



# Epistolae selectiores aliquot Philiippi Melanthonis

<https://hdl.handle.net/1874/420810>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

ALBANY ONTARIO  
Bellmatones.  
euse.  
Mister Selections.

X. Oct.

127





A. Oct.



uestra cōda exponit i pma ita ut si  
alii tār-darj ad eosmū viñaz tuor  
arḡsēpt̄ ap̄pet̄ māfeste nō cū alio.  
x q̄ māfesta dedit in  
cōḡn̄ alii rēptare cū op̄t cōḡste  
ut pol̄ est ut p̄ vñct̄ i mān̄ eor̄  
i sūn̄ l̄ disciplinā c̄tā h̄ p̄ ḡiectu  
rām q̄d̄ artificiale.

**S**emelachum quod undi uām quod' hoīe pām  
tūndil emineatē m locis q' q' b' p'p'ogdias.

129.

## Litterae Latinæ

Octavo n°. 127.

ndi  
en  
ip  
h

N. 46.A.

*Ex domo Büchli*

# EPISTOLÆ SELECTIORES

ALIQUOT,

## PHILIPPI ME<sup>E</sup> LANTHONIS.

EDITA A  
CASPARO PEVCERO.




Cum Gratia & Priuilegio.

VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.

ANNO M. D. LXV.





ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO, DOMI-  
NO GEORGIO FRIDERICO, MAR-  
chioni Brandenburgensi &c. Stetini, Pome-  
raniæ &c. Duci &c. Burggraui No-  
riburgensi, Domino suo cle-  
mentissimo.



ATENDVM EST TR=  
pographias esse insigne  
Dei donum, quod singu-  
lari consilio & beneficio  
hoc postremo mundi languescentis se-  
nior Deus generi humano tribuit, non  
multò ante resuscitatam velut ex ci-  
neribus Monasticæ doctrinæ lucem  
Euangeli, ut ea per hoc latius in oms-  
nes mundi partes spargeretur: ut Ec-  
clesia in plures gentes propagaretur:  
ut eruditæ & incorruptæ antiqui-  
tatis indubitata testimonia de omni-  
bus controversijs, suffragatura incoa-  
tæ emendationi, ut hæc ergo è clau-

## EPISTOLA

stris & carceribus prolatæ, cederent  
vñsi publico, et ostenderent hanc redi-  
tam Ecclesiæ puritatem doctrinæ  
congruere cum doctrina Apostolo-  
rum et illorum, qui fuerunt Apostolo-  
rū auditores atq; discipuli, vel ab his  
quasi per manus tradita testimonia  
conseruarunt atq; ad posteros trans-  
miserunt: ut necessaria Ecclesiæ ad-  
minicula Philosophiæ, non illius vel  
absurdæ, qualis fuit Stoicorum aut  
Epicureorum, aut posteriorum Aca-  
demicorum, vel lutulentæ cænoq; &  
sordibus cum opinionum ac quæstio-  
num ineptissimarum, tūm verò ora-  
tionis monströsæ fædum in modum  
contaminatæ hominum barbarorum  
seculo proximo, sed veræ, explicatæ,  
puræ, nitentis demonstrationum fun-  
damentis: ut huius ergo præsidia re-

. uoca-

DEDICATORIA.

uocarentur & restituerentur: Deniq;  
vt in hac ingenti imbecillitate natu-  
rae effætæ, senioꝝ voluptatibus &  
ignavia fractæ ac fathiscentis, & in-  
tentionem vehementiorem omnem la-  
boresꝝ discendi defugientis, consule-  
retur seræ ac miseræ posteritati, quā  
ipſe Filius Dei prædixit visuram  
eſſe tot tantasꝝ sanæ rectæꝝ doctri-  
næ dilacerationes, & opinionum con-  
fusiones tantas, vt & fides ſit vel in-  
teritura vel nutatura in maxima par-  
te generis humani, excuſſa ſcilicet  
vel exagitata varietate nouorum er-  
rorum, & periclitaturi forent electi,  
niſi ſeruarentur diuinitus.

Hoc tanto Dei beneficio quan-  
tum abutatur hoc ſeculum noſtrum,  
& ante oculos atq; in conſpectu eſt,  
& pīj ac boni omnes ubiq; deplorant.

A 3 Impleſ

EPISTOLA

Impletur & turbatur Ecclesia libel-  
lis contentiosis & maledicis. Vetera  
utilia & elaborata scripta excutiu-  
tur e manibus hominum, & paulatim  
abolentur. Peccant autem utriq; &  
autores scriptorum, quæ premi præ-  
staret, & Typographi in his edendis  
auaritiæ suæ, non commodis publicis  
seruientes, cumq; malis, quæ inde re-  
dundant in Ecclesiam, occurri priua-  
torum consilijs nequeat, considerare  
ea Principes decebat, & dare ope-  
ram, ut coërceatur licentia ista, &  
prohibeantur promiscuæ diuulgatio-  
nes quorumlibet libellorum.

Hac de re ut quererer, causam  
mibi, imò necessitatem attulit editio  
Epistolarum Philippi Melanthonis,  
nuper publicata à Manlio, apud quem  
si prior mea commonefacilio eum re-  
perisset

DEDICATORIA.

perisset locum, qui debetur gratæ optimi Præceptoris memoriæ, cuius manibus parcendum erat, non mihi nunc noua & iterata querela fuisset opus. Prioris farraginis inspectio, et si his qui virum audiuerunt, & pleraq; ut fuerunt ab ipso prolata, declarata, accommodata, meminerunt, fortasse non ingrata est, tamen quo eam affectu et quo cum de autore iudicio leget posteritas, cum sit consarcinata stolidissime & plerisq; in locis mutila, depravata, hians, aberrans ab eo scopo, quem ipse spectauit, falsa etiam, & cum à veteribus, tum recentibus historijs discrepans? An plus his trahet posteritas quam facetijs Bebelianis, aut similibus scriptis?

Fateor fuisse me farragine illa grauiter offendit, & auxit dolorem

A 4 meum,

EPISTOLA

meum, quod cum magna auiditate  
expeti eam viderim praे alijs optimis  
et sanctissimis atque elaboratissimis  
scriptis, nequiuerim aliter mecum  
constituere, quam obrepisse homini-  
bus fastidium rerum bonarum.

Sed addidit ad priorem dolorem  
plurimum publicatio epistolarum, cū  
quod sine iudicio et sine delectu con-  
tractæ congestæq; sunt, tūm quod ita  
expressæ sunt typis, vt cum nulla pe-  
nè sui parte constent atq; cohærent,  
Manlium vix sibi constare osten-  
dunt. Adeò enim nihil penè integrum  
inest, nil congruum, nil cohærens, sed  
lacerum, imperfectum, dissonum, à  
latinitate alienum omne est, in ijs praे  
cipue, quæ continent res maximi mo-  
menti, vt impossibile sit cuiquam  
mentem autoris assequi. Extorsit  
mibi

DEDICATORIA.

mibi hanc querelam Manlius inuito,  
Quare docti & boni omnes iusto do-  
lori meo ignoscent.

Etsi autem constitueram editio-  
nem Epistolarum differre eò usq;  
donec ex magno numero per amicos  
hinc inde collecto liceret cum iudicio  
excerpere selectissimas, et in eum di-  
gerere ordinem quo scriptæ sunt, ta-  
men consilium hoc me Manlius mu-  
tare, & suæ farragini hunc libellum  
opponere coëgit, in quo si quibus ordo  
non satisfecerit, ij me hoc tempore &  
in hac festinatione alium instituere  
non potuisse sciant. Oro autem,  
et si fas est, obtestor viros doctos &  
bonos, vt si quas habent Philippi  
Melanthonis Epistolæ, illas ad me  
potius mittant, quam vel ad istum,  
vel ad alios huius similes errores.

A 5 Quæ

EPISTOLA

Quæ enim posteritati prodeſſe de-  
bent, quod nobis in his editionibus  
conſilium propositum eſt, ea cum iu-  
dicio & diſcrimine edi oportet, &  
quidem ad eum modum, ut legi &  
intelligi poſſint. Pro hoc offi-  
cio ſingulariſ ſuo loco et ordine promitto gra-  
titudinem debitam.

Hanc verò noſtram editionem,  
Illiſtrissime Princeps, Domine cle-  
mentissime, cur ad Tuam Celfitudi-  
nem mittendam censuerimus, re deli-  
berata, Reuerendus Dominus Pa-  
ſtor Eccleſiæ noſtræ D. Paulus Ebe-  
rus & ego, id nos mouit, quod agno-  
ſcimus debere nos omnes Celfi: Tuæ  
ſubiectiſſimam gratiarum actionem.  
Accepimus enim nuper autoritate &  
mandato Celfiud: Tuæ, Manlio ſe-  
ueriſſime interdictum eſſe, ne quid  
tale

DEDICATORIA.

tale posthac tentet. Dignissimum  
Celsitud: Tua consilium hoc censemus,  
quod si in similibus exemplis  
imitarentur alij, plus quietis, plus con-  
sensionis atq; concordiae, plus sinceræ  
puritatis in doctrina esset habitura  
Ecclesia. Quòd ergo hac in parte con-  
sulere præsentibus rebus & posteri-  
tati Celsitud: Tua voluerit, gratias  
Celsitud: Tuæ subiectissima volun-  
tate agimus.

Accessit ad hanc occasionem &  
alia causa, quòd deberi Celsitud: Tuæ  
hoc munus statuo propter Illustrissi-  
mum Principem Marchionem Geor-  
gium, beatissimæ memorie, patrem  
Celsitud: Tuæ, cuius fuisse erga Phi-  
lippum Melanthonem clementissi-  
mam affectionem, omnes scimus. De  
illo Principe huius vicissim & indi-  
cia

EPISTOLA

cia erant & sermones, ut de optimo  
Principe & togatis pariter ac belli-  
cis virtutibus excellente, & Eccle-  
siæ ac sincerioris religionis amantis-  
simo ac studiosissimo, optimi semper  
& honorificentissimi, coniuncti cum  
votis ac precationibus, ut posteritati  
ipsius bene esset.

Memini, cum recitaret, quanta  
constantia nomen suum sit professus  
Augustæ Anno 30. inter eos, qui à  
Romana Ecclesia ad Ecclesiam Chri-  
sti tum discesserant, quando Confes-  
sio nostrarum Ecclesiarum Carolo  
V. Imperatori exhibita est. Acce-  
serunt ad Imperatorem Marchio Ge-  
orgius Celsitud: Tuæ pater & Prin-  
ceps Anhaltinus V uolffgangus ani-  
mo intrepido & constanti, cum ad-  
uersus rectè sentientes atrox senten-  
tia

DEDICATORIA.

tia esset promulgata. Marchio post-  
quam oratione graui commemoraasset  
sua & maiorum erga domum Au-  
striacam merita, & fidem atq; con-  
stantiam in omni obsequiorum gene-  
re: cum adita pericula & exhaustos  
in bellis Vngaricis labores indicasset:  
addidit nulla in re nec deinceps suam  
operam & fidem Imperatori & toti  
stirpi Austriacæ defuturam esse, Sed  
in causa pertinente ad Deum cogi se  
immutabili mandato diuino aduersa-  
ri decretis nuper propositis, & ante-  
ferre autoritatem diuinam humanæ,  
quia scriptum sit, Deo magis obedite  
quam hominibus. Idcirco propter Con-  
fessionem doctrinæ, quam sciret esse  
vocem Filij Dei, & immotam atq;  
eternam Veritatem, se non recusare  
ulla pericula, ne quidem capit is, quæ  
minimæ

EPISTOLA

minaciter sunt paulò antè denunciata  
omnibus amplectentibus Confessio-  
nem Augustanam.

Admiratus Imperator excelsi atq;  
constantis animi magnitudinem, cer-  
ta fiducia cœlestis auxiliij nihil refor-  
midantem, vicissim placidissimo re-  
sponso cen definitum, non hoc agi vt  
vita cuiquam eripiatur, iussit bono  
animo esse, & in pristina virtute ac  
fide perseverare. Quid memorabilius  
hoc Confessionis exemplo? quid æter-  
na memoria dignius? Lucere enim in  
Confessione Principum exempla con-  
stantiae præcipue debent, quæ confir-  
ment cœteros, & mouentur his animi  
imbecilliorum efficacius quam vlla  
re alia. Valentianus qui postea Im-  
perator factus est, cum esset Tribu-  
nus militum, sacrificulo Ethnico af-  
ferenti

DEDICATORIA.

ferenti aquam lustralem colaphum  
impegit præsente Iuliano Apostata,  
Sed maius est & excellentius decus  
Marchionis Georgij, qui edita con-  
fessione profiteri fuit ausus, pro hac  
se caput suū neci destinasse. Hāc itaq;  
alteram causam habeo huius dedica-  
tionis, ut debitum Illustrissimo patri  
Celsit: Tuæ munus à socero meo Phi-  
lippo Melanthone, nunc T. Celsit: post  
fata vtriusq; persoluam, in quo ubi  
considerarit Celsitudo Tua historiam  
nostrorum temporum inde usq; à tri-  
cesimo anno, delectabitur lectione  
hac. Volui enim aliquot Epistolas  
in hanc partem ex illis conferre, quæ  
aliquo modo, quid publicè acciderit,  
monerent, & ostendent illæ fuisse au-  
torem in defensione veræ doctrinæ,  
& cæteris deliberationibus pertinen-  
tibus

EPIST. DEDICAT.

tibus ad res medias, perpetuo eundem  
& sui similem omni tempore. Ut ergo  
Celsit: Tua & dedicationem hanc  
& me clementissimo animo comple-  
tatur, ea qua par est, ac decet, animi  
subiectione rogo.

Celsit: Tu &

deditiss:

Casparus Peucerus  
D.

# EPISTOLÆ DE COMITIIS AVGVSTANIS.

DOCTORI MARTINO  
LVTHERO PATRI SVO CHA=

riſimo Philippus Melanthon.



ORIBERGÆ NON PLVS  
uno die substitimus, ubi cognoscimus Cæsarem postridie Pascatis  
ex Mantua mouisse, & properare cum exiguis copijs in Germaniam.  
A Turcis plane affirmant summum esse  
periculum. Res Pontificiæ in Italia adhuc ualde  
impeditæ sunt. Nam obsidio Florentina infecta  
re soluta est, quia oppresso, & imperfecto præsi-  
dio Hispanico ad Pistorium, exercitus qui in ca-  
stris ad Florentiam erat, properè contulit se ad  
Pistorium, ut pœnam sumeret de perfidis socijs.  
Ita relicta est Florentia. Feruntur hic & aliæ  
fabulæ, sed indignæ quæ scribantur de Afris, qui  
totum mare mediterraneum infestum reddunt,  
& Cæsari aliquot triremes interceperunt, καὶ  
τὰ λοιπὰ. Valde prædicatur constantia nostri  
Principis, quod non dubitauit ad hunc conuen-  
tum proficiisci, & id natōρθωμα sperant alt-

B

quid

quid momenti allaturum esse ad retinendam p̄dæ  
tem. Fuimus apud Pirchamerum hodie ego &  
Jonas, qui de te, & causa honorificè sentit, sed est  
paulò uehementius iratus τῷ διαβόλῳ. Hodie  
pergimus, Christus seruet te, ora pro nobis om-  
nibus. Vale feliciter Noribergæ die Iouis post  
Quasimodogeniti, Anno 1530.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Luthero.

IAM conduxeramus nuncium qui ad te, & de-  
inde Vuitebergam proficisceretur, resciuerat  
enim Jonas de filij morte, ex literis Violæ scribæ.  
Sed inter scribendum sunt nobis redditæ tuæ li-  
teraæ posteriores per tabellarium D. Apelli. Jonas  
sic satis est æquo animo, postquam intellexit u-  
xorem rectè ualere. Nam de illa tantum erat so-  
licitus, nec ego nihil angebar. Et augebat suspic-  
cionem, & curam, quod non miseræ Pomerani  
literas, quarum tamen ille fecerat mentionem, in  
literis ad te scriptis. Cæsar nondum adeat, ac mi-  
hi uix ante Pentecosten uidetur affuturus. Non  
admisit Bauaros, ὅτε τὸν γέωργιον ad delibera-  
tionem de religionis causa, uult enim se seruare  
integrum. Feruntur duæ sententiæ consilij Cæ-  
sariani. Altera ne cognoscat causam, sed pro-  
posito

posito edicto damnet. Altera ut cognoscat ordi-  
ne, ac emendet uicia Ecclesiæ. In posteriore sen-  
tentia dicitur esse Mercurinus ὁ ἀρχιγαμμα-  
τεὺς uir summus, & moderatissimus, quem aiunt  
dicere, se in aduersa ualeitudine hac spe secutum  
Cæsarem esse, quod arbitraretur fore, ut res Ec-  
clesiasticæ rite constituerentur, nolle se uiolen-  
tis consilijs interessere. Nihil hic audiuimus quod  
magis uideretur nobis dignum memoratu, &  
certè delector hac uoce, & sententia sapienti-  
simi uiri. Christus respiciat, ac seruet nos, &  
gubernet omnium consilia ad pacem, & utilita-  
tem publicam. Addidit Mercurinus hoc quoq;  
Vuormacie apparuisse, quam nihil proficiant  
violentia consilia. Fuit enim Vuormacie in co-  
mitatu, & consilio Cæsaris. De tua ualeitudine  
ualde solliciti sumus omnes, ac Princeps quoque.  
Rogamus igitur Deum ut te propter Euange-  
lium seruet. A te quoque petimus ut cures ua-  
letudinem. Doctor Caspar misit tibi per Prin-  
cipis nuncium quædam remedia ad confirman-  
das cerebri uires, & cordis. Mirificè enim amat  
te. In Apologia quotidie multa mutamus. Lo-  
cum de uotis, quia erat exilior iusto, exempti, sup-  
posita alia disputatione eadem de re, paulo ube-  
riore. Nunc de potestate clauium etiam dispu-  
to. Vellem perecurrisse articulos fidei, in quibus si  
nihil putaueris esse uitij, reliqua utcunq; tracta-

bimus. Subinde enim mutandi sunt, atque ad occasiones accommodandi. Nunc Macedo agit, ut orationi nostrorum subscribat, ac uidetur posse retrahi ad nostros. Sed opus est tuis literis. Orogitur te quam maxime, ut ad ipsum scribas, & horteris eum, ne oneret suam conscientiam alicuius impij dogmatis defensione. Nolo te ad iuniorum principem rescribere, nullum enim magis odit, quam illum, quem antea magis quam oculos suos amare uisus est. Verum est ingenium non tantum etatis uicio, Sed, ut mihi uidetur, natura uarium. Neppius uir est optimus, & constantissimus, ad quem uellem te honoris ipsius causa, si quando posses commode, literas dare. De Friesijs, iussit Princeps D. Pomeranum isthic Saxonice linguae peritum, hominem idoneum querere, & mittere ad Frisios. In hanc sententiam potes respondere. Mitto tibi picturam ob sessae Viennae. Per Apelli nuncium plura scribemus, interim dabis huic nuncio nostro literas ad tuam uxorem honestissimam fœminam, poterit enim responsum perferre. Vale felicissime. Et ora pro nobis Christum Dominum nostrum. Dominicæ Vocem Iucunditatis.

D. MARTINO LV<sup>s</sup>  
THERO PHILIPPVS  
Melanthon.

Cum

**C**VM hodie ad te scripturi essemus per Ionæ tabellarium, ecce præter opinionem nostram, sed tamen optatissimè nobis afferuntur literæ tuæ. Gratissimum est nobis officium tuum, teq; rogamus, ut de omnibus rebus tuis, quam sepiissimè ad nos scribas. Ex Norico ad te deditus literas, de quibus etiam huic nuncio mandata dedi, ut si nondum essent transmisse, tradi postularet. Augustæ certiora cognouimus, heri enim rediit comitis Alberti puer, qui missus erat ad exploranda Cæsaris itinera. Is affert Cæsarem Tridento mouisse, & si non fallit nos ratio, iam peruenit ad Inspruk.

Comes Henricus Nassensis scripsit literas plenas humanitatis, & officij ad nostrum Principem, hortantes ut mature ueniat ad conuentum. Quanquam uarent uulgi sermones, tamen adhuc bene speramus, de uoluntate Cæsaris. Res tamen est, ut scis, qv yðvæci ðe. Orabis igitur quod scio te facere. Præter nostrum nullus alias Princeps adest. Dux Georgius dicitur affuturus intra triduum, adducens secum Cochleum, qui paucis literis mutatis fiet auis κόλοιος, de quo genere nobis scripsisti, quam suauiter in tua uicinia rhetorimentur. Et ut intelligas nequitam uanum esse. Eckius qui geminatus redit uocem monedularum, Ekekek magnum aceruum conclusionum congesit. Postulat à

principibus, ut instituatur disputatio cōtra Lütheranos. Habet subscriptorem meum ueterem amicum Billicanum. Is uero horribiliter minatur nobis, Sunt alij multi quos piget recensere, uere κόλιοι καὶ κόρακες κοράκηωρ. Κύριος μετώπιδε γένονται. Hesii Cancellarius Ficulnus ille heri uenit, & affirmauit suum Principem in itinere esse. Venit una Sneppius uir optimus, tuiq; amantissimus : qui nobis aliquam spem ostendit Principem suum in officio posse contineri, quanquam non dissimulet magnum esse periculum. Narrat quantam dimicationem sustineat cum illo τῷ περὶ δεῖπνῳ κυπρίᾳ. Ait eum urgeri mirificè assiduis Heluetiorum literis, & Surionem Sturni singulis pene mensibus ad eum recurrere, ut τῷ περὶ δεῖπνῳ stimulus subdat. Hec me ualde excruciant. Fortasse prodest te ad ipsum, aut certè ad nostrum Principem iu niorem literas mittere, ad confirmandum animum τῷ πανεύδοντι in sacra doctrina. Videatur sèpe leuibus momentis impelli. Ego exordium nostræ confessionis feci aliquanto ἐκτοπικῷ τῷ πορῷ quam Coburgæ scripseram. Breui autem ipse afferam, aut si id non permittet princeps, mittam.

Pene oblitus eram recensere in monedulis Cætetanum tuum. Hunc enim diuit adducere Cæsarem. Noribergæ de Campegio audieram, sed hic

hic affirmant Caietanum esse. Ego sane Campe-  
gium malim, ut uirum peritum rerum ciuilium.  
Alter est homo ineptus, & inciuilis, quo genere  
hominum nihil est intractabilius. Doctor Caspar  
mittit literas, & remedium, Christus seruet te.  
Literas tuæ coniugis remitto tibi. Casparis epi-  
stolam retinui, de quo si Deus dederit nobis pa-  
catum redditum, uidebimus ut habeat locupletio-  
rem. Si isthic essem, non grauarer te iuuare.  
Vale feliciter.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Luther.

Pridie corporis Christi, quod faustum sit, fœ-  
lixq; Cæsar urbem Augustam uesteri circi-  
ter octauam horam est ingressus. Noster Prin-  
ceps de more prætulit ensem. Ibi cum sero ad-  
modum (nam pompa tardè procedebat) uentum  
esset in hospitium Cæsaris, mox petitum est, ut  
conclaves intermitterentur. Hac de re postea  
diebus tribus disputatum est. Neque enim statim  
desierunt nostri concionari. Tandem post lon-  
gam decertationem, decursum est eò, ut Cæsar  
utriq; parti prohiberet conciones. Ipse unum  
aliquem iubebat recitare Euangelium, & Epi-  
stolam sine explicatione. Ita meo iudicio futu-

rum est, ut magis etiam suam partem Pontificij ledant. Multas causas pro tua prudentia facile colligere poteris.

Sic se habent principia, nihil sp̄ei ostenditur ex aula Cæsariana. Nam Campegius tantum est autor, ut ui opprimamur. Neq; quicq; in tota aula est mitius ipso Cæsare. Nam ipse mitigauit acerbissimas sententias principum, ut mihi narravit Dux Henricus Brunsuicensis. Duo tantum sunt Principes, qui afficiuntur nostro periculo, Mo-  
guntinus, & Brunsuicensis. Palatinus, Badensis Marchio non adsunt. Bauari mirabiliter insolentes sunt. Orabis igitur Deum pro nobis. Cornelius inquit, spem se habuisse pacis aliquam, uiuo Mercurino. Hoc extincto neminem esse in aula affirmat, qui autoritate ualeat, qui pacis autor sit, Sed ludit suo more, ac uidetur singulari diligentia cauere, ne ueniat in suspicio-  
nem nostræ amicitiae. Ideo nihil nos adiuuat. Est alius quidam Hispanus Secretarius, qui benignè pollicetur, & iam cum Cæsare & Campegio, de mea sententia contulit. Sed tota res est q̄v γρ̄α-  
τι δεῖ. Vale.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Lutherio.

Ante

**A**nte biduum dedimus Coburgensi nuncio literas, quem quia heri hic uidi facile ante- uerti. Arnoldus noster ex aula Megelburgensi domum redit. Spalatinus perscripsit tibi Hispanorum procerum consilium de nostra causa, quod meo iudicio est honestissimum, ἡ ἀδελφὴ αὐτοκράτορ, mulier uerè heroico ingenio, præcipua pietate, & modestia, studet nobis pla- care fratrem, sed cogitur id timide, & uerecun- dè facere. Unus rusticus mirum in modum fu- rit, & incitat imperatorem, ne quid nobis per- mittatur, id quod ex ipso intellexi legato Cam- pegio, & mali solum ualent, & in pessima cau- sa fortiores sunt, quam boni in optima. Videtur futurum, ut imperet Cæsar, ut omnia restituam- tur in integrum, donec synodus has controuera- sias iudicauerit. Nondum aduersarij responde- runt, quare certi nihil habemus. Hæc tantum consuurrant inter se inimici. Vale, & ora pro nobis, nihil opus est te singulis scribere, una enim epistola omnibus satisfeceris. 10. Iulij.

D. MARTINO LV.  
THERO PHILIPPVS  
Melanthon.

**Q**uanquam heri misimus tabellarium de nostro conductum, ut tibi nos purgare= B S mus

mus de silentio, tamen cum hodie iturus esset Februarius, iterum scripsimus, ne quem uacuum hinc dimitteremus. Non potest dici quantum dolorem acceperimus lectis viti literis, qui significat, te implacabiliter irasci, quod parum aſ fidui in scribendo uisi sumus. Nullo unquam tempore magis fuit nobis opus consilio, & consolatione tua, quam nunc, cum uersemur in periculofissimis negotijs, & quidem tuam haclenius secuti autoritatem. Itaq; te oro propter gloriam Euangelij, ut nos respicias, uel propter Rempub: que nisi te gubernante grauiſſimas tempeſtates ſubitura uidetur. Christus paſſus eſt ſe excitari in nauicula periclitante. Nos hic certe multo cum maioribus periculis conflictamur, in quibus nihil acerbius poſſit accidere nobis omnibus quam ſi tu nos deſtituas. Non audeo hac de re queri apud Pontanum, ne quam ei ſolicitudinem grauiorem iniſciam. Adhuc is ſtatus fuit noſtrarum rerum, ut magnam partem temporis in lachrymis hic conſumpſerimus. Quare noli putare nos tanquam Ulyſſis ſocios uoluptate aliqua captos obliuisci tui. Et quidem ſæpe ſcripsimus, quod uerè confirmare poſſumus. Noſtra confeſſio eſt exhibita Imperatori, exemplum etiam tibi miſimus, quod apud te retinebis, ne emanet in publicam, uerat enim Imperator edere. Scripsi tibi, ut mihi ſignifiques, ſi ita res tulerit, quantum cedere

cedere aduersarijs possimus. Res sunt antea deliberatae, ut scis, sed semper aliter in acie sedant, quam ante sunt deliberatae. De Missa priuata suspicor maximum fore certamen. Sed nihil adhuc habeo certi. Faber, Eccius, imò etiam principes aliquot nihil nisi uim, & bellum meditantur. Deus dissipet cogitationes populorum, qui bella uolunt, Vale & pro nobis ora.

PHILIPPVS MELAN<sub>N</sub>  
THON D. MARTINO  
Luther.

Scripsi tibi subinde nouas deliberationes ha-  
beri, id reipsa experimur. Heri in senatu  
principum decretum factum est, ut Cæsar de  
consensu uniuersæ Germaniae oretur, ut cogi Sy-  
nodum curet. Erat adiectum caput alterum,  
ut interim ea ratio seruetur, que paci nihil offi-  
ceret. Nostri pugnârunt, ut secundum caput o-  
mitterent, quod quanquam ipsi fecerunt, non  
nullis adducti causis, mihi tamen non admodum  
placet. Nemis cauti uolumus uideri. Mitto tibi  
indicem scriptorum, que sunt exhibita Cæsari  
à nostris aduersarijs, ubi uidebis, scelerato con-  
silio ἀνδρογίας & alia addi confutationi, ut

irritent nobis mansuetissimum Cæsar is pectus.  
His artibus pugnant sycophantæ. Si continget,  
ut respondendum sit, ego profectò remunerabor  
istos nefarios uiros sanguinum. Aliquoties iam  
fui apud quosdam imícos ex illo grege Eccia= =  
no, Non possum dicere, quantam odij Pharisæi  
acerbitatem deprehenderim. Nihil agunt, nihil  
meditantur, nisi ut concitent aduersus nos prin- =  
cipes & impia arma induant optimo Imperato- =  
ri. Vale & ora pro nobis, Veneris post Mar- =  
garethæ.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
*Luther.*

**H**Abemus tibi maximas gratias, quod non  
grauatus es respondere. Ac de alijs quidem  
rebus coram, Breui nunc perscribam, quid hic  
fiat. Exhibita nostra confessione triplices sen-  
tentiae iactatae sunt, in senatu principum. Prima  
erat atrocissima, ut simpliciter cogeret Impera-  
tor omnes Principes ac populos, edicto Vuor-  
maciensì parere. Altera fuit mitior, ut nostra  
confessio committeretur uiris bonis, & eruditis,  
ac neutri parti addictis iudicanda, postea Cæsar  
pronunciaret. Hæc etiam inducta est à rege  
Ferdinando. Tertia nunc uidetur ualitura, ut  
nobis

PHILIPPI MELANT: 13

nobis recitetur confutatio nostræ confessionis. Deinde petit Cæsar, ut ipsius iudicio rem committamus, quod si nolumus facere, Cæsar mandat nos omnia in integrum restituere, donec Syndodus cogatur. Hæc sententia nondum promulgata est, nondum enim nobis responsum est, sed existimo futurum, ut proximo die Lunæ promulgetur. Nihil expecto mitius. Cognoui enim sensum legati Campegi. Moguntinus ubi uidet, se diu pugnando nihil proficere, Postridie non uenit in Senatum, Cum in hanc sententiam irent principes, exclusi sunt & principum consiliarij, si qui uisi sunt dicere sententias equiores. In his etiam fuit ἀρχιγάμματος Dresensis. Narrauit tibi non modo historiam rerum hactenus gestarum, sed etiam earum quæ sunt in expectatione, nihil exaggerans. Sentio enim quos motus, quam miserabilem Tragœdiam paritura sit sententia aduersariorum. Omnes unus meo iudicio gubernat rusticus, quem nosti, & subdunt ei faces quidam hypocritæ Theologi. Nihil possum scribere amplius. Vale & pro nobis ora. Octauo Iulij.

PHILIPPVS MELAN-

THON D. MARTINO

Luther.

Non-

**N**ondum exhibita est nobis aduersariorum confutatio & audio eius moræ causam esse, quia Cæsar is consilium emendant, & demunt conuicia. Sed hodie accepi ex Campegio intra paucos dies proditum. Vbi prodierit, coniecturam capiemus ex discessu. Nos enim petemus, ut permittant nobis ἀνταπολογεῖσθαι, quod si concederint, non diu manebimus. Erasmus rescripsit Cæsari, aperte probans causam nostram, de coniugio sacerdotum, de uotis, de utraq; specie. Hos enim articulos nominatim attigit. Tu uideris in responsionibus de traditionibus non nihil stomachari. Sed rogo te, ut mihi sic disputanti ignoscas. Magnæ res sunt, & qui adsunt, non multum adiuuant me. Satis certus sum, quod non liceat Episcopis onerare Ecclesiam, & ita scripsi in confessione neque id muto. Sed de alijs rebus tecum συζητῶ. Obsecro te, ut mihi non de efficiente causa traditionum, sed illa finali respondeas, quam ego posui quintam, scilicet, utrum obseruationes electæ à pijs possint esse λατ. & ιων., ut si Bernhardus iam recte sentiens de iustificatione eligat certam obseruationem, an illa obseruatio possit esse cultus, seu opus, quo propriè agantur gratiæ, & laudetur Deus. Id est enim quod uocat Thomas λατρια. Ego sentio tale opus tantum esse corporale exercitium, non cultum, ut, si certis diebus ieiunet, finem operis

operis esse proprium corporis castigationem,  
non cultum, sed laudem Dei. Loquor enim de  
fine immeditato, & iudico Bernhardum falli,  
quod id opus interpretatur esse cultum. Ita si  
Petrus constituat obseruationem diei Domini-  
ci, id opus iudico non cultum esse: Sed habere  
utilitatem corporalem, ut certo die conueniat  
populus. Sed Thomas reclamat, facit cultus ex  
his ἐπελοθρικίοις, idem de uotis scribit.  
Obsecro te ne grauere mecum de his rebus con-  
fabulari per literas. Non enim nihil adfert uti-  
litatis hæc commemoratione. Vale feliciter 27.  
Iulij, Augustæ. 1530.

## PHILIPPVS MELAN-

### THON D. MARTINO.

Luther.

**H**odie putauerunt confutationem της θέσης  
μολογίσεως κατέρρη publicandam esse,  
sed rumor falsus fuit. Non existimant tamen di-  
utius dilaturos esse. Eam publicationem postea  
aiunt secutura esse horribilia edicta. Quanquam  
autem certi nihil habemus, tamen multæ sunt  
coniecturæ, propter quas persuadeor facile, nihil  
equi nos impetraturos. Tu tamen orare Chri-  
stum pergit, ut flectat animum Cæsaris ad pa-  
cem. Quidam significant appellationem ad Sy-  
nodum

nodum non obfuturam nobis, Sed post paucos  
dies omnia sciemus. Ego tuſi odioſiſima labo-  
ro, quam ex paucarum noctium iſſomnia con-  
traxi. Cetera narrabit Caſpar Aquila, qui re-  
dit, Honorificè hic tractatus eſt, & ab amicis, &  
ab ipſo Episcopo Auguſtano. Hodie in ſenatu  
principum nihil diſſimulans, legit tuam παρά-  
κληſiον. Conſtantissime propugnat nos, ſed quan-  
tum proficiat non uideo. Vale. 30. Iulij.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Lutherio.

R Aiores habemus tabellarios, quam utriq;  
uellemus, hoc præſertim tempore, cum eſt  
intraſig nostri negocij. Tandem audiuimus  
confutationem tertia Auguſti, & ſententiam  
Cæſaris, que ſatis aſpera eſt. Nam priuquam le-  
geretur confutatio, Cæſar inquit, ſe in ea ſen-  
tentia, quam ibi perſcribi curaſſet, mansurum  
eſſe, & petere, ut idem faciant Principes nostri,  
quod ſi nolint facere, ſe cum ſit deſensor Eccle-  
ſiae, nolle ſchisma in Germania tolerare. Hæc fuit  
orationis ſumma, que quanquam eſſet atrox, tamen  
cum confutatio eſſet ualde pueriliter ſcrip-  
ta, mira gratulatio ſecuta eſt lectionem. Nullus  
Fabri liber extat tam ineptus, quo non ſit inep-  
tior

tior hæc confutatio. De utraq; specie allegauit historiam de filijs Heli māducaturis panem, hinc argumentatus est solo pane debere laicos contentos esse. De Missa mirabiliter frigida fuit defensio. Ioachimus rediens ab ea lectione, nam ego non interfui, mihi dixit, ualde me errare, qui me usque adeò uarijs disputationibus crucialem & causis traditionum. Nihil tale illis in mentem uenire posse. Nostri petiuerunt exemplum confutationis, sed Cæsar respondit se deliberaturum, utrum esset exhibitus. Postridie accersit Principes, iterū hortatur, ut in sententiā eant, quæ scripta est in confutatione. De exemplo inquit, se ea lege exhibere, ne edatur, uel transcribatur. De hac re diu tenuit contentio, tandem dirimunt eam Moguntinus, & frater, & Brunsuigius. Hi accedunt ad nostros principes, & iubent omittere hoc certamen, se, ne Cæsar uchementius commoueat, de transfigendo toto negocio consilia habituros esse. Itaq; confutationē illam nondum uidere licuit, & expectamus hodiè quas conditiones principes illi nobis proposituri sint. Habes nostra omnia. Viri boni, & sapientes omnes uisi sunt mihi erectiore animo esse, audita illa pueriliter scripta confutatione. Nostri ἀρχοντες facilius possent impetrare pacem, si ambirent ipsum Cæsarem, & siores principes, sed mira est negligentia, &

ut mihi uidetur, tacita quedam indignatio, que  
ab istis officijs eos abducit. Res tota est  $\zeta\psi\gamma\delta$ =  
 $\nu\sigma\tau\pi\delta\epsilon\zeta$ , nec regitur ulla humana diligentia.  
Id interdum stomachor, interdum reproto Deum  
haec præsidia nobis adimere, ne confidamus no=br/>bis. Tu igitur diligenter orabis, ut Deus seruet  
nos, & det pacem Reipub. Landgrauius ualde  
moderatè se gerit, mihi etiam aperte dixit, se  
pacis retinendæ causa, etiam duriores conditio=br/>nes accepturum esse, quascunq; sine contumelia  
Euangelij accipere posse. Vale 6. Augusti.

PHILIPPVS MELAN=THON D. MARTINO  
Lutherò.

**P**ostquam non destitit Cæsar petere, ut nostri  
arent in sententiam scriptam in fabrili con=br/>futatione, & nostri contra contenderunt, ut ex=br/>hiberetur nobis exemplum confutationis, neque  
finis apparuit eius certaminis, quidam principes  
horati sunt, ut omitteremus illud certamen, &  
polliciti sunt se inituros rationē pacis faciendæ.  
Hæc significavi proximis literis. Ecce postridie  
Landgrauius abiit clam omnibus, reliquit tamen  
hic mandata. Cæsar statim accessit nostros, &  
petit ne discedant, præsertim postq; principibus  
permiserit, ut de componendo negocio nobiscum  
agant.

ngant. Visus est æquum postulare Cæsar. Quare nostri respondent, se incōsulto Cæsare nunquam abituros esse. Ego de Landgrauij consilio nihil affirmare possum, sed uidetur commotus indig-  
nitate actionum, spem pacis abiecisse. Quan-  
quam, ut dicam, quod sentio, suspecta mihi in eo  
simulatio moderationis in talibus negocijs hic  
fuit. Nunc Principes illi nihil adhuc egerunt,  
quod magnopere ad pacem facturum uideatur,  
προοίμια fuerunt de Cæsaris uoluntate peten-  
te serijs auxilia. Marchio omnia πρτορικως  
exaggerauit, ad absterrendos nostros ab hoc do-  
ctrinæ genere. An præterea ad æquas condi-  
tiones descensuri sint, nondum scimus. Mona-  
chorum Spirensium φάσμα, de quo scribit Is-  
leius, plane significat horribilem tumultum.  
Vale felicissime. 8. Augusti.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Luther.

**M**ittitur tibi apologia nostra, quanquam  
uerius confessio est. Neque enim uacat  
Cæsari audire prolixas disputationes. Ego tamen  
ea dixi, que arbitrabar maximè uel prodesse, uel  
docere. Hoc consilio omnes ferè articulos fidei  
complexus sum, quia Eckius edidit διαβολικω-

tātāc diaçolāc contra nos. Aduersus has uolui remedium opponere. Tu pro tuo spiritu de toto scripto statues. Dux Georgius, & Mar- chio Ioachimus profecti sunt ad Cæsarem. Ibi habentur de nostris cœruiibus comitia. Orabis igitur Deum ut dissipet consilia gentium, quæ bella uolunt. Refertur ad te quæstio, de qua magnoperè peto ut respondeas. Non dubium est, Cæsarem prohibitum esse Cinglianæ con- ciones. Suspicamur igitur fore, ut hoc prætextu nostræ conciones etiam prohibeantur, quia Isle- bius iam in publico templo concionatur. Quid igitur censes? Est' ne relinquendus locus pu- blicus, Si Cæsar ita ostendet hoc se petere, ut si- ne motu Cinglianæ conciones etiam prohiberi possint? Ego respondi cedendum esse uoluntati Cæsar, in cuius urbe iam sumus hospites. Sed noster senex difficilis est. Quid igitur tibi uide- atur, quæso ut scribas Germanicē in peculiari charta. Amabo hac de re uelis respondere. Cæ- sarem non arbitramur posse aduenire intra dies quatuordecim. Nunc enim conuentus agitur di- tionum Austriacarum in Salinis. Nihil noui ha- bemus præterea, neque quid sperandum sit de consilijs Cæsarianis existimare possumus in tan- ta opinionum uarietate, sed expectamus auxili- um à Christo. Vale feliciter.

Philip

PHILIPPVS MELAN<sup>N</sup>  
THON D. MARTINO  
Luther.

Versamur hic in miserrimis curis, & plane  
perpetuis lachrymis, ad has hodie mira  
consternatio animorum nostrorum accessit, le-  
atis Viti literis, in quibus significat, te nobis ita  
irasci, ut nostras literas ne legere quidem uelis.  
Non exaggerabo mi pater dolorem meum uer-  
bis, sed te queso ut reputes, quo loco, quanto in  
periculo simus, ubi præter tuam consolationem  
nihil quicquam solati habere possumus. Quoti-  
die confluunt huc Sophistæ, ac Monachi, ut ac-  
cendant odium Cæsaris aduersus nos. Amici, si  
qui antea fuerunt nostri, absunt. Nos hic soli  
ac despecti infinitis conflictamur periculis.  
Oro igitur te ut resficias uel nos, qui certè au-  
toritatem tuam in maximis rebus sequimur, uel  
Rempub: & non recuses legere nostras literas,  
& respondere, tum ut gubernes nostras actio-  
nes, tum ut consoleris nos. Cæsari est exhibita  
defensio nostra, quam tibi mitto legendam, Satis  
est meo iudicio uehemens. Nam Monachos hic  
satis depictedos uidebis. Nunc mihi uidetur con-  
stituendum, priusquam respondeant aduersarij,  
quid uelimus concedere ipsis, de utraq; specie, de  
coniugio, de priuata Missa, quam nullo modo ui-

dentur amissuri aduersarij. Hunc nuncium con-  
duxí de meo, & nuper miseram peculiarem nun-  
cium, qui à te rediit manis. Aduersarij iam de-  
liberant, quid uelint respondere. Omnia igitur  
pendent adhuc. Vale feliciter.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Luthero.

**H**er finiuimus Collationem, seu potius Con-  
tentionem, quæ fuit instituta coram arbitri-  
tris. Arbitri fuerunt initio, Henricus Brunsui-  
ensis, Augustanus, Eccius, Coeleus, postea Hen-  
rico Brunsuicensi suffectus est Dux Georgius,  
Nam Brunsuigius coactus erat abire πρὸς τὸν  
μακέδονα, quem timent contrahere exercitum.  
De dogmatibus sic se res habent. Cauillabatur  
Eccius nomen Sola, cum dicimus, sola fide iusti-  
cari homines, neque tamen rem damnabat, sed  
dicebat imperitos offendit. Nam coëgi eum fa-  
teri, rectè tribui à nobis iusticiam fidei. Voluit  
tamen nos ita scribere, quod iustificemur per  
gratiam & fidem, Non repugnai, sed ille stul-  
lus non intelligit uocabulum gratiæ. Altera rixa  
fuit de remissione poenæ, & satisfactionibus.  
Tertia de meritis. In his duobus locis nihil con-  
uenit,

uenit, quanquam est exiguum, quod merito tri-  
buit, nos tamen ne illud quidem recepimus. De-  
inde uentum est ad utramq; speciem. Hic maxi-  
ma contentione conatus est ostendere, quod non  
sit præceptum sumere utramq; speciem. Sentit  
prorsus indifferens esse, sumere unam aut am-  
bas. Et si hæc doceremus, libenter erat nobis  
concessurus utramq; speciem. Ego non potui  
hæc recipere, & tamen excusaui hos qui hacte-  
nus errore unam sumpserunt, uociferabantur  
enim totam à nobis Ecclesiam damnari. Quid  
tibi uidetur? Ordinatio Christi iuxta ad Lat-  
cos & clericos pertinet, quare cum sacramento  
uti cogamur, mentes formam integri sacramenti  
retinere debent. Tu si sic sentis, scribe plane. De  
Missa, uotis, coniugio nihil disputatum est, tan-  
tum propositæ sunt conditiones, quas tamen nos  
non accepimus. Non possum diuicare de exitu.  
Quanquam enim aduersarijs etiam pace opus  
fit, tamen quidam uidentur non expendere, quan-  
tum periculum futurum sit, si res ad arma de-  
ducatur. Nos moderatismas conditiones pro-  
ponimus, reddimus obedientiam Episcopis &  
Iurisdictionem, & communes ceremonias pol-  
licemur nos esse instauraturos, Hæc quantum  
habitura sint momenti ignoro. Tu orabis Chri-  
stum, ut seruet nos. 22. Augusti.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Luthero.

Per Cyriacum plura scribemus, qui cras abi-  
turus est, Mitto tibi quæstiones quasdam,  
de quibus rixamur cum aduersarijs. Huiusmodi  
argumenta captant, non quæ doctrinam pieta-  
tis contineant, sed quæ plurimum ualeant ad  
concitandam inuidiam, & nostra moderatio in  
talibus locis auget insolentium hominum fero-  
ciam. Non potest dici quos agant triumphos hic.  
Si meo nomine, non principis uersarer in his ne-  
gotijs, nullo modo ferrem hanc Superbiam.  
Nunc me omnia dissimulare cogunt principum  
pericula, Republicæ discrimina, Voluntates no-  
strorum mirabiliter aut imbecilles, aut parum in  
loco fortes, Nihil tamen, ut spero, faciemus con-  
tra Euangelium. Pontanus profecto declarat, se  
esse uirum fortem, & bonum. Bucerus scribit  
tibi πολὺ δέιπον κυριακῶν, & uult accedere ad  
nostram sententiam. Sentit adesse corpus Chri-  
sti in pane. Haec summa est, Scripti ei propo-  
sitiones, sed certo consilio misit suas proposicio-  
nes, plura non potui scribere, Mox responde.  
Vale Postridiè Bartolemæi.

Auguste

Augustæ electi sunt arbitri  
quatuordecim.

A NOSTRA PARTE.

Georgius Marchio Brandenburgensis.

Iohannes Fridericus dux Saxonie.

D. Pontanus.

D. Heller.

Philippus Melanthon.

Iohannes Brentius.

Sneppius.

AB ADVERSA PARTE.

Henricus Dux Brunsvicensis.

Episcopus Augustanus.

Cancellarius Badensis.

Cancellarius Coloniensis.

Eccius.

Mensingerus.

Cochlea.

Inter hos cum minus conuenisset,  
tandem electi sunt.

Pontanus.

Heller.

Philippus.

Eccius.

Cancellarius Coloniensis.

Cancellarius Badensis.

PHILIPPVS MELAN,  
THON D. MARTINO  
Luther.

**T**Vum iudiciū de postulatis aduersariorum nondum accepimus, cum quidem maxime intersit, nos id habere. Adhuc tota res posita est in his negocijs. Volunt ut fateamur, neque sumentes, neque porrigentes alteram speciem sacramenti peccare. Nos excusauimus sumentes, de porrigentibus hæret res. Synodus Basiliensis hac conditione concessit Bohemis integrum sacramentum, si faterentur, rectè posse unam sumi, ac dari. Hanc confessionem, & à nobis cupiunt extorquere. Eccius inquit, se ideo laborare, quia non posset uulgi retineri in officio, nisi & nos liberemus uulgi conscientias de Sacramento. Tuam igitur sententiam audire cupimus. Causam applicationis missarum suspendunt ad Synodum, qua in re significant, se non imponere nobis hoc onus, ut impiam de Missa opinionem recipiamus, & tamen Canonem recipere nos iubent, sed cum commoda, & pia interpretatione. Video nobis insidias strui, & quid mihi in priuata confessione faciendum esset, facile iudicare possem. Sed hæc res est communis omnium, ideo aliorum sententias non reprehendendas esse censco. Valde reprehendimur à nostris, quod iudeo risdi-

risditionem Episcopis reddimus. Nam uulgas assuefactum libertati, & semel excusso iugo Episcoporum, ægre patitur sibi rursus imponi illa uetera onera, & maximè oderunt illam dominationem ciuitates imperij, De doctrina religionis nihil laborant, tantum de regno & libertate sunt solliciti. Mitto tibi exemplum nouissimè postulatorem, ut facilius respondere possis. Vale. Postri-  
die Augusti.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Luther.

**N**eque de priuatis rebus, neque de publicis, quicquam scribere possum, tot iam dies colloquimur de sarcenda concordia, neque tamen expedimus quicquam. Vrgent de Missa priuata, deq; alijs rebus proponunt conditiones, quas non satis tutum uidetur accipere. Existimo ex prioribus nostris literis illas te intellexisse. Interim addunt atrocissimas minas, qua in re, et si nihil moueor meo periculo, tamen interdum confido, quanta sit imbecillitas animi in nostris Ηγεμόσιων. Fortasse prius confecta erunt omnia, quam ad te perueniant he literæ. Nam γραμματοφόρος est tardus. Quare nunc deliberare nihil possum. Hodie erat ueniendum in collo-  
quium,

quium, cum quidem neque ego, neque Pontanus sciremus quid esset agendum, & que esset summa sententiæ Principum. Omnino hæc pœnula, noui ænropia uidentur non minus significare aliquid, quam portenta, que uulgas obseruat. Christus liberet nos ex tantis periculis. Vale feliciter.

26. Augusti.

PHILIPPVS MELAN=  
THON D. MARTINO  
Lutherio.

**S**CIO tibi diuturnum hoc silentium molestissimum esse, præsertim hoc tempore, quo maxime nos oportuit colloqui: Verum ita mihi credas, nulla res æquè me offendit in aula, atque ista negligentia, quod non mittunt ad te crebrios tabellarios, Nos quidem impetrare nō possumus, ut mittant. Has literas misi ad Ioachimum. Non recepimus conditiones ab aduersarijs propositas, de utraq; specie, de coniugio, de Missa. Itaq; rursus reiecta est res ad Cæsaris deliberationes. Is pertinuit ante triduum, ne omnia in pristinum statum restituantur, quod si tamen grauari uideamur hac sententia sua, operam pollicetur ad transactionem. Nostri respondent, se nihil scire quod largiri aduersarijs possint, præter ea, que iam largita sunt. Ita hæret res, & tamen hodie de quis

quibusdam pacis conditionibus deliberauimus,  
 quas si urgebunt aduersarij, princeps prius ad  
 te mittet, quam aliquid constituat. Nostri socij  
 plane uidentur ελεγτιζεν, hoc magis nobis puto  
 pacem faciendam esse. Nihil moderati respon-  
 dent Legati Norici, & Heſi, & assentantur his  
 Luneburgici. Nostri iudicant non esse amit-  
 tendam occasionem facienda pacis, si qua fieri  
 honeste posſit. Impendet enim horribilis mutatio  
 uniuersi imperij, ac omnium rerum, si res ad ar-  
 ma deducetur. Hodie intellexi ex quodam Prin-  
 cipe uiro, & amico Cæsaris, Heluetios mira con-  
 filia habere de perturbanda publica pace, &  
 Turcas certam & horribilem expeditionem pa-  
 rare. Vale feliciter, 4. Septembris 1530.

PHILIPPVS MELAN<sup>S</sup>  
 THON D. MARTINO.  
 Lutherio.

A nte triduum finitum est colloquium no-  
 strum. Nolumus enim conditiones de altera  
 Sacramenti parte, de Canone, de Missa priuata  
 accipere, item de Cœlibatu. Nunc res iterum ad  
 Imperatorem relata est, ut, quid futurum sit, di-  
 uinare non possum. Tantum oremus, ut mentem  
 Imperatoris flectat ad pacem retinendam, qua  
 nunc maxime opus est, non tantum nobis, sed uni-  
 uerſe

uerse Germanie. Non credis quanto in odio sim  
Noricis, & nescio quibus alijs, propter restitu-  
tam Episcopis iurisdictionem, ita de suo regno  
non de Euangelio dimicant socij nostri, Amicus  
quidam scripsit, me, si quanta uoluisssem maxi-  
ma pecunia à Romano Pontifice conductus es-  
sem, non potuisse meliorem rationem suscipere  
restituendæ dominationis Pontificie, quam hanc  
esse iudicent homines, quam instituimus. Ego  
nullum adhuc articulum deserui, aut abieci, qui  
ad doctrinam pertineat, tantum stomachabantur  
de politicis rebus, quas non est nostrum eripere  
Episcopis. Breui, ut spero, sciemus, quid dece-  
net Imperator. Vale feliciter, Die Egidiij.

PHILIPPVS MELAN-  
THON D. MARTINO  
Lutherο.

**H**er i uestperi Principes fuerunt in Palatio  
Cæsaris usq; ad medium nonæ, & accepe-  
runt responsum, Cæsarem uelle curare congre-  
gari concilium, sed more antiquo Romanae Ec-  
clesiae, & fortasse extra Germaniam propter  
negocia Cæsaris. Interim restitui debere omnia  
Papistis, sed hoc adhuc non est planè decretum.  
Si quid adhuc uelint contendere nostri in illis  
articulis de quibus cōtrouertitur, uelle Cæsarem  
adhuc

ad hoc per octo dies præsidere. De hoc hodie agent nostri Principes Cæsari gratias, & dicent se in nullo posse cedere. In ludis equestribus Ferdinandi (cum feudum à Cæsare in campo pro portis iure Austriaco acciperet) sex homines occisi sunt uno die. Duo perierunt dissidente Bombarda, & bene salutante omnes circumstantes. Unus ex militibus à quodam imprudenter dirigente Bombardam ictus, per os & medium cerebri transeunte globulo, subito concidit, & in cesspite sepultus est. Quidam aliis ab irato Hispano cui è conspectu cedere noluit, confosus est. Sextus per ponticulum incedente turba decidens submersus est. Marchio à Baden calce equi percussus ex illo spectaculo abiit. Rex ipse in conflictu ter prostratus est, ut dicitur, tertio non sine leſione alterius lateris. Vale.

## PHILIPPVS MELAN-

### THON D. MARTINO Luther.

**T**oto pectore ago gratias Deo patri misericordiarum, & Domino nostro Iesu Christo, Pontifici nostro interpellanti pro nobis, ον μαθωσόμεν τοτε διδειδας ήμωρ, quod morbi nimis periculū leuare coepit. Gaudeo enim ex animo, cum tuo, tūm Reipub: nomine, te reuiuisce-

uiuiscere, & hanc læticiam auget, quod iuuat exemplum uidisse, quo manifeste testatus est Deus, se hanc nostram Ecclesiam respicere. Hic omnium Principum, & aliorum bonorum uiorum uultus, atque congressus fuerunt hilariores, postquam allatae sunt literæ tuæ spem uitæ ostendentes. Agnoscunt tuo ministerio lucem Euangeliū rursus patefactam esse, seq; debere tibi intelligunt, simul etiam prospiciunt, quantum detrimentum acciperet Ecclesia, si nobis eriperas. Ideo optant communibus uotis, ut diu sis superstes, agunt Deo gratias, quod te uelut è media morte reuocauit in uitam. Ac spero gratam esse Deo hanc lætitiam, & gratiarum actionem.

Precor Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, ut te prorsus restituat, ac sanet. Hic nondum finitæ sunt deliberationes de responso dando Cæsaris oratori, ad ipsius disputationem, quam de priore responso duriorem habuit. Itaq; nondum etiam Pontificio nuncio responsum est. Dux Virtebergensis laudat magnitudinem animi tui, quod ausus sis in tali morbo te committere itineri, & ex hoc antro euaseris. Ait se tuum exemplum imitaturum esse, iam enim amplius octiduum ægrotat, & cras abire constituit. Christus faciat, ut breui te uideam incolumem, & restitutum bonæ ualeitudini. Fui in maximis doloribus,

ribus, et hos augebat indignitas, quod nihil opis  
afferre tibi hoc loco poteramus. Excruciant  
me etiam errata quædam iatrinæ, quibus anima  
aduerti morbum augeri. Itaq; dici non potest,  
quantis doloribus conflictatus sim. Solitudine  
nondum prorsus liberatus sum. Sed si fuit d'u-  
t' opia ex oppilatione, iam depulsum spero omne  
periculum, si ex calculi mole, tamen leuius fore  
spero, & habebis medicum Dei beneficio pru-  
dentem, & fidum, quem ut Deus adiuuet opto.  
Vale. Smalcaldiæ 1537.

## PHILIPPVS MELANT: MARTINO LVTHERO.

*Acta conuentus Smalcalden-*  
*sis 1540.*

**S**cipserat Lundensis rediens ex Hispania, Im-  
peratorem Carolum uenturum in Germania-  
am, non ut bellum ciuile moueret, sed ut de con-  
cordia Ecclesiarum deliberaret, sarcienda mode-  
ratis rationibus. Ideo hortatus est Lundensis no-  
stros principes, ut & ipsi deliberarent, quid de-  
fensi essent, aut largituri aduersarijs. Hanc ob-  
causam indicatus est conuentus Smalcaldensis. Al-  
latæ sunt deliberationes, quarum consensus sum-  
mus fuit, non posse abiici eos articulos, quos in  
Confessione, & Apologia confitemur. Constitu-

D to do-

to doctrinæ consensu, de Adiaphoris non odioſe  
pugnandum esse. Deliberatio noſtra, cui cæteri  
ſubſcripſerunt, accurate et eruditè uidetur ſcri-  
pta, ut Paulus narrare poterit. Hæc dum agun-  
tur in conuentu, allatum eſt reſponſum Impera-  
toris Caroli, in quo narrat Imperator, ſe in Ger-  
maniam ueniffe non hofili animo, ſed a clurum  
eſſe de concordia Eccleſiarū, & ſpem oſtendit, ſe  
daturum pacem, eaq; de re dixit, ſe paulo pōſt re-  
ſponſurum eſſe. Hoc dictum ſatis quidem civix-  
muſicuſt, ſed nos tamen interpretamur eſſe  
ſimpliū mōp. Aliquanto poſt uenit comes Noue  
Aquilæ, is adfert deliberationem de concordia,  
.ui additæ erant quædam Imperatoris expoſtu-  
la.iones. Erat Legatio quadam aulica Ironia in-  
ſtructa, Comites Manderschidt, & Noue Aqui-  
læ præ ſe ſerebant, ſe non eſſe miſſos ab Impera-  
tore, ſed tamen conſilium ſuum Imperatori pla-  
cere. Summa conſilij hæc erat. Cūm malit Imper-  
ator publicas controuerſias componi ſine maio-  
re tumultu, Granuellano, & hiſ duobus comiti-  
bus uideri conſultum, ut petamus hanc ren pri-  
uatim peti ab Imperatore, eum quaſi arbitrum  
faciamus harum controuerſiarum priuatim.  
Quod ſi faceremus, Imperatorem adhibiturum  
eſſe Granuellanum, & paucos alios, et delecturū  
utrinq; cruditos, qui dogmata iudicarent, et mo-  
derarentur. Contentiones uero de prædijs Eccle-  
ſiarum

fiařū Imperatoris iudicio permittēdas esse: petītū  
 & hoc est, ut disertē, & planē dicamus, quid lar-  
 giri, aut defendere ad extremum uelimus. Erant  
 adicētæ satis dure expostulationes, Nam Impera-  
 tor ait se ægre ferre, quod hactenus simulantes  
 concordie studium hoc egerimus, ut rem extra-  
 heremus, ut paulatim nostræ partes confirma-  
 rentur, non uerè uoluissē nos discordias tolli,  
 quod nihil concessimus aduersarijs. Narrat quām  
 diligenter Augustæ egerit de concordia. Ac tota  
 querela cōspectat, non uideri nos appetere con-  
 cordiam, nisi abijciamus totum doctrinæ genus,  
 quod profitemur. Nos uerecundē & uerè re-  
 spondimus de nostra uoluntate erga Rempub: &  
 studio pacis, purgauimus obiecta crimina, & in-  
 genue diximus, nō uelle nos conciliationem intel-  
 ligi confirmationem ueterum errorum, & pro-  
 iectionem pie doctrinæ, ostendimus clarē, quos  
 articulos non posse abisci censeamus, & petiui-  
 mus, ut res non priuatim, sed in publico conuen-  
 tu ageretur, ut anno superiori promisit Impera-  
 toris legatus Francofordie, ostendimus etiam nos  
 nequaquam de prædijs Ecclesiarum pugnare.  
 Exempla responsionis habent Principum & ci-  
 uitatum legati. Fortassis erunt uaria iudicia de  
 nostra responsione. Non multa sunt φορτικώτε-  
 ρα, Cætera uerecundē, ingenuē, grauiter, ac sine  
 sophistica scripta sunt. Et si uult Imperator pie

consulere Ecclesijs, occasionem aliquam præbuisse uidemur. Utinam Deus excitet animum Imperatoris, ut uerè uelit inquisitis fontibus, & fundamentis de doctrina agi, sicut toties in hac narratione scriptum est. Habes historiam huius conuentus præcipuum, Nam cætera sunt communia, in quibus & pleraq; sunt quæ Demosthenes nominat, κοινὰ τρόπῳ σηματίματα, de quibus coram loquemur. Vale.

## ERASMO ROTERODAMO PHILIPPVS MELANT.

**N**unquam eram crediturus, tantam ferociam, tantam sauitiam in hominem cadere posse, quantam in Eccio & quibusdam eius regalibus deprehendo. Nam principes ipsi satis clementes & moderatas sententias dicunt, à quibus tamen isti miris artibus conantur eos abducere. Accipio te per literas Imperatorem auolentis consilijs dehortari, qui ut mihi uidetur, genuina quadam bonitate etiam ad moderationem & pacem ducitur. Quare spero tuas literas plurimum ponderis apud ipsum habituras esse, Teq; rogo, ut inchoatum Reipub: beneficium perficias, & pergas eum iterum atq; iterum dehortari. Nil hac tua sapientia atq; autoritate dignius facere potes, nil ad omnem posteritatem gloriösius, quam si tua diligentia hos motus sedaueris.

Nos

Nos causam nostram simpliciter & sine cōuicijs proposuimus, quanquā cauillari aliquis posset sc̄ ram esse moderationem, tamen uolumus ostendere, nos non abhorrente à consilio pacis, si conditiones æquæ proponantur. Res ipsa ostendit impendere mutationem publicam, quam utinam ita gubernent illi, qui rerū potiuntur, ne subito impetu prosteratur Ecclesia. Oro igitur te quantum possum per Christum, ut non desinas Imperatorem adhortari, ne bellum aduersus ciues suscipiat, qui non recusant æquas conditiones accipere. Non enim hoc agunt nostri, ut πλάτων Ecclesiasticum dissoluant. Danielem Stibarum ualde amo, quem tametsi scio tibi iucundissimum esse, tamen oro, ut mea causa aliquid addas ad tuam erga ipsum benevolentiam. Vale, Augustæ Calendæ Augusti. Anno 1530.

## ERASMO ROTERODAMUS MO PHILIP: MEL:

**C**um nactus essem certum ac fidum tabellarium, facere non potui quin ad te literas darem, præsertim in hoc officij genere amanter abs te prouocatus ante aliquot menses. Toto biennio dum uersor in negotijs ac rixis, à quibus prorsus abhorret natura mea, nihil mihi contingit, in quo perinde ut in illis tuis suauissimis li-

teris acquieci. Quare uelim tibi persuades officium illud tuum non solum gratissimum, sed etiam iucundissimum fuisse. ἐκότως γαρ ποι πλείστη μάκρη τὸν αὐθόρον γνωσθεῖν Οὐλοσόφος ἔμοιαρ διότι εἰ ταῖς Επανάστοις τῷρι ἀπεδεύτωρ Οὐλοσόφος οὐδέποτε Οὐλόρ, οὔτε πιστὸν ὑπέρχεται. Scriberem ad te de rebus alijs, que partim nunc aguntur, partim impendent, si quam Reip: utilitatem deliberationes nostre adferre possent. Sed quia nihil moderati placet utriq; parti, nostra consilia repudiantur. Illud tamen oro te quantum possum, ut etiam tuam autoritatem, si qua erit occasio, ad pacem faciendam conferas, τοι horteris eos, qui rerum potiuntur, ne bello ciuili magis dissipent Ecclesias. Quis enim belli ciuilis exitus esse potest, quād omnium rerum uastitas? Et ego nihil dubito falli quosdam, qui spes habent immoderatas, eamq; ob causam undiq; faces admouent mitissimo ingenio Cæsaris, ut eum ad bellum mouendum accendant. Mea consilia quod ad ipsas disputationes attinet, spero à prudentibus & intelligi & probari. Controversias multas precepi, deinde quasdam ad pietatem necessarias bona fide illustrare studeo. Conor etiam in honorem adducere τὸ ὄξιωμα τῆς πλατείας ἐκκλησίας μηδὲ, Huius mei iudicij ac uoluntatis quicquid accidat, testes erunt commentarij in Romanos nunc editi.

Tu si quid poteris adferre opis labenti Reip:effi-  
ce, ut quod ille fieri inquit in bonis poëmatiis,  
in hoc quasi ultimo actu uitæ tuæ, totus orbis  
terrarum sapientiam tuam præcipue perficiat.  
Contulit se Friburgum quidam adolescens Theo-  
dorus Reiffenstein, natus in familia studiosissi-  
ma tui nominis. Habuit auunculum iuuenem op-  
timum, qui multum apud te Louanijs fuit. Qua-  
re te oro, ut hunc adolescentem & propter stu-  
dia maiorum suorum erga te, & propter meam  
commendationem complecti uelis. Apud nos sa-  
tis commodis moribus fuit, ac spero eum confir-  
matum tuis præceptis non indignum tua con-  
suetudine fore. Vale. 8. Calend. Nouemb. An-  
no 1532.

AD NICOLAVM PERE-  
NOTTVM GRANVELLA-  
num 22. Decemb. VVormaciæ  
Anno 1540.

**I**llustriſ: & ampliſ: Domine. Utinam ingenio  
& autoritate tantum ualerem, ut mea opera  
aliquid ad ueram Ecclesie concordiam conduce-  
re posset. Certè ſcripta mea teſtantur, ne hor-  
ridiores quasdam queſtiones præcidiffe & co-  
natum eſſe mitigare quasdam materias. Nec una-

quam à consensu Catholicæ Ecclesiæ Christi dissentiam. Videtur et hoc ad concordiam idoneum, quod toties obtulimus, nos Episcopis suam autoritatem uelle tribuere. Nihil de potentia, dignitatibus aut opibus litigamus. Hæc politica boni consulimus. Sed quosdam doctrinæ et cultuum errores taxamus. Est autem Francofordiæ deliberatum de via concordiae, ut utriusq; partis uoluntate deligerentur homines eruditi, pii, moderati. Nominaueram ipse quosdam in altera parte Reuerendissimo D. Lundensi, quos existimabam ad talem deliberationem utiliter adhiberi posse. Hanc unam esse uiam arbitror dirimendi has controuersias, nisi fatali aliqua mutatione dirimantur. Sed hic aliter res instituta est, ad sunt Monachi, inter quos si qui sunt eruditi, debebant minus duri esse. Sed aliqui etiam iactitant se habere mandatum, ne quid nobis largiantur. Iam si hoc agitur, tantum ut nostra omnia damnentur, et deleantur, non possumus eis adsentiri damnantibus ueras sententias, et Ecclesiæ necessarias, ut maxime proponantur nobis extrema supplicia. Mouemur et nos publicis periculis, optaremus patriam tranquillam esse. Ego qualia sint humana præsidia non spacio, et quedam incommoda mihi in oculos incurruunt. Sed tamen qui pie de religione sentiunt, propter talia non debent approbare uiciosos cultus, et publicam causam

causam piam & necessariam abijcere. DE=inde quid opus fuit indicere hunc conuentum, ut de controversijs eruditij colloquerentur, si tantum damnatio confirmanda fuit? Sed quia in hac controversia aliqui nimis dura man= data habent, & per se sunt tractabiles, optandum est ut redeatur ad Francofordiensem formulam, de qua supra dixi. Arbitror tamen hic etiam posse aliquas controversias tolli pla=cida disputatione, quia si remoueatur sophisti=ca, certè paucas habemus difficiles aut obscu=ras materias. Et expectat à me fortassis Excel= lentiā T. aliquas articulorum mitigationes. De his ita sentio. Primum si condentur noui arti=culi flexiloqui, qui non funditus tollant contro=uersias, sed tantum inuoluant, Hi multò maiores dissipationes efficiunt, quia utraq; pars detor=quebit eos ad confirmandas suas res, & alij ali=ter interpretabuntur. Deniq; puerile est & in=dignum sapientibus uiris in Ecclesia, sic ludere ambiguitatibus. Tutius est igitur hic in dispu=tatione rebus agitatis, uidere in quibus articulis ueritas ita perspicua sit, ut omnes sam intelligent re ipsa sublatam esse controversiam, etiamsi for=assis aliqui Monachi qui habent depravata iu=dicia, reclament. Projectò recta uia in his tan=tis rebus tutissima est, & pleræq; controversiae facile possent dijudicari. Due fortassis sunt,

D 5      quarum

quarum explicatio uidetur difficilior, Articu-  
lus de Iustificatione, & articulus de Missa, In re-  
liquis nihil est obscuri. Et ego in quibusdam meis  
scriptis multas horridiores materias præcidi, ac  
satis iudicare prudentes possunt, me quasi ma-  
num directam habuisse ad hunc scopum, ut quas-  
dam controuersias mitigarem, & exasperem  
res Ecclesiæ utiles. In illo ipso articulo de Iusti-  
ficatione, tantum hoc in summa dicimus, quod  
agens poenitentiam debeat credere remitti sibi  
peccata propter Filium Dei, non propter pro-  
priam dignitatem. Hic quid est absurdum? Et  
tamen huc articulum in primis flagellant Monas-  
chi fascinati suis quibusdam imaginationibus, que  
unde ortae sint, hic longum esset recensere. Ar-  
bitror autem homini fano facile posse in hoc ar-  
ticulo satisfieri, qui propter deliramenta Mo-  
nachorum nec abisciendus nec obscurandus est.  
De Missæ abusibus constat multos bonos viros  
aliquot seculis questos esse. Et fortassis publicæ  
calamitates multæ sunt poenæ contaminati sa-  
cramenti. Nec dubium est, quin Missæ opus ha-  
beant emendatione. Nota est autem consuetudo  
ueteris Ecclesiæ in usu Missæ. Et noster articu-  
lus mollissime positus est. Reprehendit applica-  
tionem, qua putant Missam mereri alijs remissio-  
nem peccatorum & alia. Hinc creuerunt abu-  
sus. Quare utile esset de emendatione grauiter  
delibe-

deliberari. Sed si de singulis materijs articuli condendi essent, prodesset hoc fieri à delectis ex utraq; parte eruditis & moderatis, & in hac causa uersatis. Commoda autem ad pacem uia est, quod de Episcoporum dignitatibus, & de politia Ecclesiastica nostri satis moderatè loquuntur. Viciſſim nobis Episcopi debebant piam doctrinam & emendationem aliquarum rerum concedere. Sed cur nihil æqui ab his impetrari posſit non est obscurum. Conſpirant cum Pontificibus Monachi, hi ſuperſtitiones defendunt propter queſtum, iſcritiam & pertinaciam. Legi quotidiè libros qui recens eduntur, qui nihil nobis concedunt, ac abuſus maniſtatos ante hæc ſecula ab omnibus taxatos adprobant, ut ſuperſtitiones Monachorum. Cum talib. quid prodeſt de concordia paciſci? cum ſint, ut Psalmus inquit, ſurdæ aſpides. Sed uaticinia prædicunt Eccleſiae poſtremi tēporis nō leuia certamina, quæ quidem mitigare gubernatores, non oppreſſione ueritatis, ſed ueris consilijs debent. Succurratur Eccleſiae ſic, ut extet doctrina pia & utilis. Ego meam imbecillitatem agnōſco, Sed tamen quod ad me attinet, iudicia honorum uirorum & doctorum non defugio. Nec à moderatis consilijs abhorreo. Non amo ſimulationes, occultationes, diſimulationes, quibus ſæpè uidi magis implicari negocia quā in extricari. Ideo ſi uel in

uel in publico congressu, uel in alijs deliberatio= nibus adhibitus fuero, modestè, diligenter ac bo= na fide dicam quod sentio. Et quod largiar, in= genuē sine ambiguitate largiar. Quanquam au= tem video quales sint pleriq; cum quibus rixan= dum est, tamen spero aliquas controuersias in hoc ipso congressu posse tolli. Relique ad aliam de= liberationem reijsi possunt. Hæc scripsi ad Exc. T. simplici animo & bono studio, quæ oro ut bo= ni consulat. 22. Decemb:

AD LEGATVM PONTI= FICIVM, IN CONVENTV  
VVormaciensi, Anno 1540.

**I**Nstat dies, in quo celebratur historia de nato Filio Dei liberatore nostro, cui prodeunti in mundum pijs Angeli hymnum canunt, quo bene= ficia prædicat̄ nascentis Christi, qui patefacturus sit gloriam Dei, facturus pacem in terra, & lœti= cia sempiterna cumulaturus homines. Ideò uero præcimunt Angeli, ut nos admoneant de nostro officio, ac maximè gubernatores. Hi fiunt illius chori socij, cum gloriam Deo canunt, id est, cum ueram doctrinam illustrant, cum Ecclesijs pacem concedunt, & inter homines disciplinam tuen= tur, non cum oppressa ueritate faciunt in Ec= clesias exercent, & uastitatem efficiunt. Erant socij chori cœlestis Theodosius, Constantinus, & alij

alij p̄ij principes, cum doctrinam cœlestem de uero Dei cultu propagabant, & tollebant im-  
piorum principum edit̄a atrocia, constituebant Ecclesias. Ita multiſimi Imp: Caroli Augusti uoluntas laudanda est, quod hunc conuentum in-  
dixit, ut patefacta ueritate pax constituatur. Ac nos quidem & ipſi & eius commissario gratiam habemus, ac reuerenter oramus, ut ita res con-  
ſtituat, ut patefiat ueritas, qua gloria Dei celebra-  
tur, Ita & concordia feliciter constitui poterit.  
Audiuimus autem iam Pontificij Legati orationem, in qua etiā erat communis adhortatio, ta-  
menaculei quidā ad nos propriè pertinebāt. Etsi scimus genus hoc respōſionum odiosum esse, ta-  
men ne crima nobis obiecta uideamur agnoscere, magna nobis imponitur necessitas, ut nos pur-  
gēmus, quod quidem uerecundē ac breuiter fa-  
ciemus. Atrox crimen est Ecclesiæ desertio,  
multò atrocius est ſeditionem excitare in Eccle-  
ſia ſparsis falsis dogmatibus. Dicam igitur pau-  
ca de utroq; crimine. Non adeò rudes omnium  
rerum ſumus, ut ignoremus potentum iudicia de  
his discordijs, nec adeò ſine ſenſu communi, ut ſo-  
li pericula noſtra non uideamus, nec adeò fer-  
rei, ut ærumnis noſtris, quas ſuſtimemus non exi-  
guas nihil adſiciamur. Quid nobis optatius eſt,  
quam ut liberati periculis et ærumnis, præſertim  
tot iam annos experti uarias difficultates, tran-  
quillita-

quillitate fruamur? Sed hanc causam in qua ueramur, non possumus sine scelere abiscere. Ideo semper expetiuimus ueram cognitionem, cum ut Ecclesiæ consuleretur, tum ut nos quoq; periculis liberaremur. Scimus etiam plausibilem esse orationem, dicere de concordia ciuium, de pace, execrari seditiones, uituperare contumaciam. Scimus ex his fontibus multa speciose contra nos dici. Nec leuiter mouentur animi mediocres hoc genere obiurgationum. Sed tamen uidendum est, in quibus culpa haereat. Non sumus Ecclesiæ Christi desertores, non sumus auulsi à corpore Christi. Nam qui ueram Euangeliæ doctrinam retinent, & ei obtemperant, manent membra Christi, etiamsi Pontifices eos ex suo coetu expulerint. Non propterea Ieremias auulsus fuit ab Ecclesia, etiamsi sacerdotes eum ex suo coetu eiecerant. Prædictis Christus fore, ut pijs ejiciantur è Synagogis, ac uetat frangi animis propter eam iniuriam. Natum est hoc dissidium initio ex reprehensione turpisimæ nundinationis indulgentiarum. Hinc Pontifex & eius satellites concurrerunt. Editum est fulmen excommunicationis. An proprie illa iniusta decreta dicimur auulsi ab Ecclesia. Sed pergo ad alterum crimen. Iure ejicimur, si genus doctrinæ, quod profitemur, dissentit ab Euangilio. Hic constanter assueramus, hanc ipsam doctrinam, quam profitemur,

mur, uerè esse consensum Catholice Ecclesiae Christi, ut testantur Prophetica & Apostolica scripta, & tota Ecclesiae antiquitas, ueteres Sy-nodi, & scriptores saniores. Sed hoc non dis-simulamus, nos improbare quasdam superstitiones & opiniones pugnantes cum Euangelio, quæ paulatim ante hæc tempora in Ecclesiam irre-pserunt. Nec deterremur illorum sapientum iudicijs, qui disputatione: ut in amicitijs quedam uicia amicorum ferenda sunt: Ita esse in Ecclesia quedam errata dissimulanda. Habent hæc præcep-ta suum locum, sed non ubiq; ualent. Regula Pauli tenenda est: Si quis aliud Euangelium do-cuerit, anathema sit. Doctrinæ & cultuum pec-cata non sunt probanda. Quis est autem paulu-lum modo amans religionis, quem non res ipsa fa-teri cogat, plurimum superstitionum irrepisse in Ecclesiam? Traditiones, ut uocantur, qualis car-nificina piarum mentium diu fuerunt & quantos tumultus sepè excitarunt? Quantum est uani-tatis et tenebrarum in illa disputatione Theolo-gia? An non aliud genus doctrinæ saniores Theo-logi etiam multò antè flagitarunt? Quantum flagitium est in invocatione mortuorum? Mona-steria emendanda esse nemo, opinor, negat? Nihil ne offendit Deum putatis horribilibus proph-a-nationibus Coenæ Domini, quæ ad questum col-lata est? Sed nolo omnia persequi. Nota sunt ua-ticinia,

ticimia, que præsertim concionantur de præsentî  
etate Ecclesiæ, in qua futurum prædicunt, ut su-  
perstitione & auaritia cumulentur falsi cultus,  
& monent accessuras esse tyrannides & ambi-  
tionem. Cum igitur negari non possit multos non  
leues morbos hærere in Ecclesiâ, cur irascuntur  
potentes ijs, qui initio pio studio meliora et que-  
suerunt, & pleraq; monstrauerunt? Dedit De-  
us imperia potentibus, sed uult etiam locum esse  
suo Filio, uult hunc quoq; regnare. Nec possunt  
pij doctores ocio potentum semper parcere. Sed  
tamen uiderint, ut uera, recta & necessaria Ec-  
clesiæ doceant. In hanc curam incubuisse aliquos  
ex nostris, Deus testis erit. Et semper ostendi-  
mus, nos non defugere uera Ecclesiæ iudicia, nec  
unquam defugiemus. Sed iniquum est ea tantum  
colligere, quæ contra nos dici possunt, & diſsi-  
mulare alterius partis uitia. Ac propemodum ut  
in apolo<sup>go</sup>, lupus queritur turbari aquam ab oue  
bibente ex inferiore fluminis parte: ita aduer-  
sarij obliti sua uicia, nos tantum accusant, quos  
sciunt semper expetiuisse pacem atq; ocium, &  
propter Rempub: & propter priuatas difficul-  
tates. Interea cum nulla sit hadenus instituta le-  
gitima dijudicatio, multa uera dogmata & Ec-  
clesiæ necessaria opprimuntur, stabiliuntur ui-  
ciosi cultus, trucidantur sacerdotes, passim fit  
Ecclesiârum uastitas. Hæc etiam agnoscant ad-  
uersarij

uersarij emendanda esse, nec tantum in nos cen-  
suram agant. Nec nos nostra uicia uel errata de-  
fendemus, Sed in hoc ipso colloquio libeter emen-  
dabimus, admoniti ueris & rectis iudicijs, sic ubi,  
ut sunt humana, lapsi sumus. Nunquam certe uo-  
luimus ab Ecclesia Christi dissentire, et si fatemur  
nos quædam iniusta decreta Pontificia non pro-  
bare. Cumq; profiteatur Pontifex ipse se hostem  
esse nostrarum Ecclesiærum, non possumus eum  
facere iudicem, nec tribuere eius Legatis auto-  
ritatem gubernandi huius colloquij aut similium  
Synodorum. Etsi nos quidem facile patiemur in-  
teresse quoscunq;. Atq; utinam exaudiri nostra  
explicatio à bonis uiris ubique gentium posset.  
Excusauit hactenus Doctores & Ecclesiæ ampler-  
xas doctrinæ genus, quod nostra confessio conti-  
net. De Principibus & ciuitatibus est breuis  
responsio. Cum ideo accusantur, quod hospitium  
præbent sacerdotibus & piæ doctrinæ, quid re-  
prehenditur, nisi quoddam pium officium, de quo  
Christus in extremo iudicio concionatus est:  
Esuriui et pauiisti me. Quid facerent magistra-  
tus? An trucidarent & tollerent sacerdotes, aut  
pudicas & pias matronas, eorum coniuges, cum  
paruis liberis extorres agerent? Cum omnis in-  
iusta asperitas detestanda est, tūm maximè ea, que  
in sacerdotes, honestas matronas & pueros ex-  
ercetur. Et nondum ulla facta est legitima diju-

E      dicatio.

dicatio. Quare non sunt accusandi nostri magistratus, quod duriores esse in sacerdotes noluerunt. Hæc præcipua laus est politiarum, præbere hospitium pœ doctrinæ. Hæc breuiter respondimus ad diluenda crimina nobis obiecta, ac summa reuerentia obtestamur omnes bonos uiros, ut boni consulant hanc nostram purgationem, quam nisi arbitrati essemus necessariam esse, intermittere maluissimus, ac rursus petimus ut querantur uera remedia publicarum discordiarum. Nos quoq; pollicemur, non defuturas esse nostras uoluntates pijs consilijs concordie instituendæ.

### AD IMPERATOREM CAROLVM V. RATIS.

bonæ 1541.

S. D. Inuictissime Imperator, Auguste, Domine clementissime. Non inusitatum est eos qui adhibentur ad conciliationes, in utriusq; partis odia incurvare, & utrinq; plagas accipere, Id mihi non nunc primum accidit. Nostri me accusant quedam à me languidius defensa esse. Et fateor me quedam studio pacis & concordie, que disputari diutius poterant, concessisse alteri parti. Quid ad communem concordiam utilius esset, quam quod de autoritate Episcoporum respondimus? Non pugnauit de ijs ceremonijs, de quibus hactenus collocuti sumus, cum tamen quedam sine gravi causa flagitarentur. Sed in con-

tentione de autoritate Synodorum, ut essem a-  
erior, & ueritate, & publica Ecclesie necessita-  
te mouebar. Eadem me cause mouerunt ut cum  
de priuata absolutione moderatam & utilem  
sententiam proposuissimus, tamen Ecclesijs ne-  
cessitatem enumerationis imponi nollem. Hic in-  
telligo me accusari apud Cæs. M. V. tanquam du-  
rum & pertinacem, & ut audio, susspiciones  
contra me ex his causis ortæ sunt, quod fertur me  
à Lutherò habere instructionem, incitari etiam  
sermonibus ceterorum concionatorum, qui ad-  
sunt. Postremò quod me forte Legatus Gallicus  
allocutus est. Cum autem maxime optarim tanto  
principi non solum potentia sed multò magis he-  
roica bonitate & clementia excellenti, & cupi-  
enti iuuare Ecclesiam, maxime probatam esse  
meam uoluntatem, iudicavi necessario susspicio-  
nes illas refutandas esse. Et cum summa reucren-  
tia oro, ut hanc meam purgationem simplicem  
& ueram C. M. V. clementer accipiat. Veriſſi-  
mis testimonij confirmare possum, me à Lutherò  
nulla mandata habere, qui ipſe, si ad hæc negotia  
adhiberetur, facilius fortassis ostenderet ra-  
tionem sarcinæ concordie, quam pleriq; alij.  
Dux Saxonie generalia mihi mandata dedit, ne  
à ueris sententijs discedam. Id preceptum alio-  
qui infixum esse cuiusq; animo debet, etiam sine  
principium mandatis. Quod autem dico r com-

municare consilia cum cæteris concionatoribus  
qui adsunt, fateor mihi quosdam familiares esse,  
Sed uiros graues & moderatos, quibus cū inter-  
dum colloquor de negotijs, uel ut ipse de rebus  
tantis cogitare accuratius possim, uel ut quo-  
rundam suspicionibus occurram, quæ interdum  
oriuntur ex fabulis, quæ in populo sparguntur,  
ut solet fieri. Nec tamen illorum magis quam meo  
iudicio dixi, & scripsi ea quæ hic à me proposi-  
ta sunt. Nec pugnauit usquam de re non neces-  
saria. Due causæ fuerunt, altera de Synodis,  
altera de enumeratione. Nec dubito subire iude-  
cia bonorum & doctorum uirorum toto orbe  
terrarum. Quis enim non intelligit quantum  
periculum sit Ecclesiæ, si tribuatur synodis, id  
est, certæ hominum multitudini, quod errare &  
labi non posset? Cum Propheta dicat: Maledictus  
qui confidit in homine. Quis etiam non uidet  
legem de enumeratione peperisse horribiles du-  
bitationes, & obscurare fiduciam, qua mentes  
amplecti Christi beneficium debent. Spero doctos  
& bonos uiros ubiq; terrarum probatueros esse  
meum consilium, quod de his tantis rebus acrius  
contendi, ac intellecturos me in hac re non alie-  
nis affectibus, sed necessitati Ecclesiæ seruiisse.  
Nota sunt mea studia multis in hoc conuentu, ac  
principiè collocutoribus. Hi testes esse possunt  
me multas controuersias moderatum esse, &  
remissem.

remissee. Sed habeat suas metas moderatio. Luceat in Ecclesia ueritas, quam Filius Dei ex sinu Patris allatam patefecit. Ac optarim Cæs. M. V. introspicere meum pectus, & uidere animum, ut uerè iudicare possit, quod sit meum consilium, quæ uoluntas tot iam annos in his controuersijs, Volui extare doctrinam ueram, propriè explicatam, certam, Ecclesiæ utilem. Hic fuit mihi semper studiorum & actionum scopus, ut multa testimonia ostendunt. Quare boni consulendum est, si corruptelas rectæ doctrinæ stabilire aut adiuuare non uolo.

Tertia querela de congressu cum Gallico legato, si quos mouit, hi me prorsus non norunt. Sun Scholasticus & alienus ab omnibus aulicis negocijs, & colo scholasticas amicitias, quæ mihi sunt etiam cum aliquibus Gallis, propterea quod hoc tempore maximè floret Gallia doctrinæ studijs. Adierunt ergò me hic quoq; aliquot studiosi adolescentes. Cum his loquor de Philosophia, de eloquentia. Sunt etiam qui interdum de doctrina Christiana sermones miscent. Per hos adolescentes ueni in noticiam legati Gallici, qui me semel tantum in uia fortè deambulantem cum Gallico adolescente, paucis uerbis salutauit, adiiciens, etiam se optare, ut concordia Ecclesiæ feliciter hic constitueretur, deplorauitq; haec disidia in Germania. Haec fuit summa orationis, si

quis aliud suspicatur actum, de utroq; errat.  
Hanc simplicem & ueram purgationem spero  
Cæf: M. V. satisfacturam esse. Sed satis animad-  
uerto ex his seu narrationibus, seu suspicionibus  
quosdam malle me abesse ab his conciliationibus,  
quaे institutæ sunt. His ago gratias. Nam ut ex  
animo cupio fideliter Ecclesiæ Filij Dei seruire:  
Ita profectio ab his fucosis conciliationibus ab-  
horri, & nunc dimitti me etiam atq; etiam oro.  
Et si. n. non dubito quin C. M. V. optima uoluntate  
has conciliationes instituerit, & cupiat Eccle-  
siæ consulere, & communem concordiam con-  
stituere, tamen multa sanctissimis conatibus ob-  
stare uidi. Difficile est aliquid admittere contra  
communem consuetudinem, quamvis recentium  
temporum. Ideo cogitaui futurum ut aut iube-  
remur dogmata nostra prorsus abijcere, si qua  
dissentient à consuetudine ubiq; recepta, aut de-  
currendum esse ad ambiguas & flexiloquas con-  
ciliationes, sicut olim accidit in Syrmensi Syno-  
do. Ideo fateor me maximo in metu semper fu-  
isse de exitu harum actionum. Sed tamen cum  
propter uirtutem & pietatem Cæf: M. V. puta-  
rem non omnino desperandum esse, passus sum me  
adhiberi ad has actiones. Principia fuerunt me-  
diocria. Sed postea utrumq; accidit. Iubemur ab-  
ijcere articulum de Enumeratione. Deinde mul-  
ta sunt in libro flexiloqua, ubi recepti abusus ex-  
cusantur,

cusantur, & nouis coloribus pinguntur. Et tam  
semnia retinentur. Hic cum adsentiri sine  
offensione conscientiae non possum, quid aliud fa-  
ciam, quam ut dimitti me orem. Scio doctrinam  
Ecclesiarum nostrarum uerè esse doctrinam Ca-  
tholice Ecclesiæ Christi. Idq; fateri multos sapi-  
entes arbitror. Sed hi nos arbitrantur in abusibus  
tollendis suisse duriores quam opus fuit. Ipsì re-  
timeri aliquam Sanctorum inuotationem, priua-  
tas Missas, & similia quedam capiunt. Ideoq;  
nos regredi uolunt. Volunt semina abusuum à  
nobis adprobari. Id cum non possum facere, ite-  
rum me dimitti etiam atq; etiam peto.

AD MARTINVM LV<sup>e</sup>  
THERVM DE CONVEN-  
tu Ratisbonensi, Anno 1541.  
mense Martio.

**I**n iusto conuentus, postquam Imperator Carolus  
exposuit, se deliberationes instituere uelle de  
controversijs Ecclesiasticis dirimendis: coniuncti  
Augustanae confessioni petiuerūt pertexi dispu-  
tationem Vuormaciensem, ut ex ea explicatione  
Imperator & Principes cognoscere possent, &  
qua res ueniant in contiouersiam, & qui sint  
fontes. Quomodo enim eligi uerae sententiæ à  
principibus possunt, nisi res hoc modo collatæ,

¶ disertè explicatae eis proponantur? Sed hoc consilio repudiato, ostendit Imperator, se paucos quosdam delecturum esse, non ut sententiae inter se pugnantes defendenterentur, sed ut quereretur que dogmata conciliari possint. Ac ne quid periculi esset ex hac deliberatione partibus, praestatus est, uelle sc, non teneri quenquam his delibera- ratis, nec ea uim præiudicij habere, sed omnia rursus ad consilia Principum referenda esse. Postulauit item, ut sibi permitteretur, ut suo iudicio, quos uellet, deligeret. Nihil enim mirum esse, in re tanta dissimiles esse hominum uoluntates, dissimilia studia & iudicia. Sed erant quidam, qui ab hoc toto consilio conciliationum abhorreabant, propter magnitudinem periculi. Multa enim sunt et uetera et recentia exempla, quæ admonent, in talibus conciliationibus plerunque decurri ad ambiguos, flexiloquos, fucosos & fallaces articulos, quibus ueritas obruitur, & non sannantur Ecclesiæ, sed dissipantur. Alij contraria disputabant, hanc uiam etiam profuturam esse ad declarandas sententias, quas profiterentur Ecclesiæ, quæ amplexæ sunt Augustanam confessio- nem: præsertim si interfuturi essent boni uiri, qui Imperatori recitarent, ut res posceret, dispu- tationum summas. Et Imperator dixerat, uelle se inquire ueritatem. Futurum autem animum Imperatoris mitiorem, si intelligeret non tam absurdæ

absurda esse dogmata Ecclesiarum nostrarum, ut à Pontificibus, Monachis, & alijs sycophantis traducuntur. Addebat item, si colloquij huius deliberata referrentur ad Principes quosdam, discituros eos liberas et honestas sententias. Tandem igitur eò occurritur: assentimur Imperatori, ut hoc loco colloquium instituantur: sed ita, ne condantur flexiloqui articuli, sed ut simplex ueritas patefiat. Et testatus est Imperator, uelle se inquiri ueritatem: ac in delectu usus est hac æquitate. Ex Pontificijs tres delegit, Iulium, Eccium, & Gropperum. His addidit ex altera parte Philipum, Bucerum, & Nidanum pastorem. Petitum est, ut addantur Principes seu gubernatores colloquij, & aliqui auditores seu testes, ut acta cum Imperatori, tum alijs principibus fidelius recitari possint. Delecti sunt gubernatores, Dux Fridericus, Palatinus, & Granuellus. Adiuncti auditores, Comes de Manderscheit, Eberhardus Ruede, consiliarius Moguntini: cancellarius Palatini Electoris, Saxonius cancellarius, cancellarius Haßicus, Iacobus Sturmius Argentinensis.

Initio congressus Dux Fridericus rursus adhortatur delectos, ut sedatos ac pios animos ad tantam deliberationem adferant, & dirimere controuersias studeant. Narrat, ipsi Imperatori tot iam annos eam rem maxime curæ fuisse, eoq;

E 5 multo-

multorū doctorum & bonorum explorasse sentias. Cū igitur quidam exhibuerint ipsi scriptū, quod propter aliorum moderationē consilijs duriorib. antetulerint: uelle Imperatorem, ut delectis liber ille proponatur, qui quasi uiam monstraret ad dirimendas controuersias. Liber est exhibitus æquissima conditione, ut quæ non probarentur nobis, dicere liceret: & censuram adaderemus. Etsi autem tutius uidebatur nonnullis ex delectis, perecurrere Augustanam confessio- ncm: tamen cum alijs librum anteferrent, & in ciuile uideretur, nolle inspicere scriptum propositum ab Imperatore sine inquis conditionibus: conuēnit, ut liber legeretur, & ordine dicerentur sententiæ. Initia non habebant controve- uersias, de conditione hominis, de lapsu, de libero arbitrio, de caussa peccati, de iutio originis. De his locis tunc quidem rixæ nullæ fuerunt. Secu- tus est locus de reconciliatione hominis, seu iustificatione, de quo farrago illa neutri parti sa- tisfaciebat, & quia nouas quasdam sententias continebat, & pleraq; erant obscura, impropria & flexiloqua: ut alias uideretur rectè dicere, Fide propter Christum iusti sumus: alias contrà, propter donatas uirtutes sumus iusti: ut Thom- mas, seu ut Plato loquitur.

Depositō igitur libro, de summa rei liberè di- sputatum est: & tandem ad formulam reue- sum,

Sum, in qua recepta & explicata sententia est,  
Fide propter Christum GRATIS iustificamur,  
non propter uirtutes nostra. Cum de hoc loco  
conuenisset, redire ad librum iussi sumus. Lectus  
est locus sequens de Ecclesia, ut facilius obtineri  
sequentia possent: insidiose addita est hypothe-  
sis, communem consensem & synodos legitimas  
non errare. Hic magnum certamen ortum est.  
Cumq; per aliquot dies de hoc loco diligenter di-  
sputassimus, iussi sumus rei cercare hanc partem in  
aliud tempus. Lectus est locus de Sacramentis, in  
quo cum uentum esset ad Cœnam Domini, ortæ  
sunt rixæ de conuersione substantie panis. Re-  
iecta est & hec disputatio in aliud tempus. Po-  
stea acerrima contentio de re non magna secuta  
est. An in confessione, ut uocant, sit necessaria de-  
lictorum enumeratio. Defendebatur regnum  
confessionis à nonnullis, uel propter autorita-  
tem ordinis sacerdotum, uel propter culinas mo-  
nachorum. Sed ab alijs exhibita est contraria  
sententia, explicata copiose. Agitata est & que-  
stio de Satisfactionibus, de quibus formula pro-  
posita est à Pontificijs breuis: & ut moderata  
uideretur, ambigua. Sed concessum est, ut & al-  
tera pars suam exhiberet sententiam. Vendum esb  
ad locum de gradibus & potestate Episcopo-  
rum, ubi aliquid de potestate Romani Pontificis  
significatum fuit. Adiecta erant & alia que uo-  
cabantur

abantur in quæstionem. Tribuebat enim scriptum autoritatem Episcopis ceremonias diuinis institutas mutandi. Id quidam interpretabantur de parte Coenæ Domini, adempta populo. Secuta sunt certamina de invocatione Diuorum, qui ex hac uita discesserūt, de applicatiōe Missæ, de priuata Missa, de usu integræ Cœnæ Domini. In his materijs cum iſ qui Augustanam confessio- nem amplectuntur, diſiderent à libro illo, & à Pontificijs: concessum est ut contrariæ sententiæ exhiberentur. Reliqua erat in libro longa reci- tatio ueterum Canonum, de coniugio Sacerdo- tum. Etsi autem liber eam causam reiſciebat ad deliberationem summorum gubernatorum: ta- men significabat, coniugium sacerdotibus con- cedēdum esse iuxta normam ueterum Canonum. Hic adiecta est liberior sententia à nobis. Tan- dem igitur percurso libro, iuſſi sumus acta refer- re Imperatori: ac reddito libro ostendere, de qui- bus locis conuenerit, & quæ controuersiæ non sint diremptæ. Etsi fuimus delecti ut inquisita ueritate, diſidia tolleremus: tamen ut studium concordiæ ostenderent hi qui Augustanam con- fessionem amplectuntur, de libro non acerbam censuram egerunt, multa impropriè dicta diſi- mularunt: quædam donarunt aduersarijs, quæ tamen digna erant reprehensione. Sed semper ita sensimus, non propter leues causas alenda esse diſidia:

dissidia: tantum de magnis & necessarijs rebus pugnandum esse duximus. Postquam Imperatori liber redditus est, tentatæ sunt per Marchionem Ioachimum & compositiones reliquarum controuersiarum, de quibus articuli à nobis exhibiti erant. Cumq; cætera communia de utilitate concordie & pacis, de ingentibus malis quæ ciuale bellum comitarentur, longa oratione memorata essent: illud tandem adieclum est, moliri Imperatorem nouam Ecclesie reformatiō nem, & doctrinam de iusticia fidei propagaturum etiam esse in cæteras regiones. Hæc tanta bona impediri, si cæteros articulos mordicus retineremus, nec regrederebemur aliquantulum, cœfuri non hostium improbitati, sed piorum in alijs regionib. utilitati. Multi priore ratione mouebantur: bellum ciuale, quo nihil iniustius in hac uita cogitari potest, non stultè formidantes: nonnulli & altera parte orationis moueri se significabant, & censebant nostra moderatione multitudinē & confirmandam esse uoluntatem Imperatoris, uniuerso orbi consulere cupientis, & quasi quoddam aureum seculum promittentis. Ac disputabant, cum singuli quædam dissimuleamus amicorum uitia, cum celebratiſ. autoribus Augustino & alijs, errores quosdam condonemus: posse etiam hoc tempore aliqua seu remitti, seu inuolui ac tegi, cùm propter nostras ciuitates

uitates & Ecclesiæ, in quibus uastitas futura es-  
set: tūm propter gentium, quæ tanquam infir-  
me inuitandæ essent, utilitatem. Nec leue fuit,  
cum de re tanta sententiæ dicerentur. Nam alij  
contrā: Etsi publica Ecclesiarum & scholarum  
excidia metuerent, ipsi tamen doctrinæ corru-  
ptelas fugiendas esse sentiebant. Nec hi tantum  
eo mouebantur, quod omnibus periculis antefe-  
renda sit ueritas: sed etiam hoc considerabant.  
Primum moderatores pacem, quam ostendebant,  
non impetraturos esse, nisi totum puræ doctrinæ  
genus abiiceremus. Deinde domesticum consen-  
sum tuendum esse, cum constet plerosq; domi pa-  
cificationem hanc, uel cum paucorum articulo-  
rum corruptelis coniunctam asperrimè repre-  
hensuros & improbaturos esse. Postremò, secu-  
turas esse magnas in nostris Ecclesijs discordias.  
Illa uero promissa de aureo seculo, & de refor-  
matione, non magnificiebant: quod uiderentur  
esse, ut inquit Thucydides, οχ οὐα πλιγόρ λό-  
γος. Tandem igitur Marchioni respondetur ue-  
recundè, has de reliquis controuersijs delibera-  
tiones differendas esse, donec à Principibus in-  
utraq; parte sententiæ de prioribus articulis di-  
cta essent, de quibus fortassis collocutorum iudic-  
ium neutrī satisfaciet. Etsi autem multæ  
controuersiæ nondum erant dirempta, tamen  
Cæsar iubet in senatu Principum sententias dici  
de li-

de libro. Hic dux Bauarie Guilelmus, recitat de scripto longam criminationem eorum, qui amplexi sunt Augustanam confessionem. Deinde & hunc librum à Cæsare oblatum prorsus reijcit. Censet nullam ullius opinionis correctionem aut moderationem, nullam legum pontificiarum mitigationem admittendam esse: nihil concedendum aduersarijs, quod discrepet ab usitatis opinionibus, aut ceremonijs ceterarum nationum. Hæc summa fuit orationis Bauaricæ, cui assentiebantur pleriq; Episcoporum. Hos ut confirmaret Eccius, misit ad senatum Principum breuem epistolam, in qua improbat librum: ac testatur, nunquam sibi placuisse, propterea quod errores non ferendos contineat, nec in loquendo sequeretur Theologorum phrasin & consuetudinem. Dicuntur sententiae moderatores à legatis Coloniensis Episcopi, à legatis Palatini, & à Marchione Brandenburg. Electore: ut conciliati articuli comprobentur, ceteri reijciantur ad synodus aut alium conuentum. Hi enim disputabant, paulatim coituras in concordiam Ecclesijs, si æqñitas adhiberetur: & conscientijs piorum, quæ desiderent quorundam rituum uitiosorum emendationem, confundendum esse. Tertia fuit sententia nostrorum, Non reprehendi articulos conciliatos, si tamen in his quedam ambigua diserte explicarentur.

Adde-

Addebant & de controuersijs non diremptis: se iudicare articulos à nostris in colloquio exhibitos, ueros: & ita moderatè scriptos esse, ut sparent sanis iudicijs satisfacturos esse. Et quia iusserat Imperator exhiberi deliberationem de reformatione Ecclesie, adieci sunt libelli de gubernatione Ecclesiarum. Cum uero Principum sententiae inter se non congruerent, Imperator, ne de summa rei ipse statuere uideretur, Cardinalem Contarenum adhibet. Hic ut honesto praetextu certamina finirentur, proponit scriptam sententiam, in qua iubet totam uel integrum caussam seruari Romano pontifici, ac ueritat in conuentu de his rebus iterum disputari. Et quia fuerat contentio de conciliatis articulis recipiendis, quos uisis est antea Contarenus non improbare: adductus est importunitate Eccij, ut alterum scriptum proponeret, in quo disertè inquit, se de conciliatione non pronunciare, nec probare eos, sed relinquere iudicium Romano pontifici. Mirabantur multi Contarenum, cum & doctrinæ Christianæ peritißimus esse diceretur, & singulari grauitate & uirtute præditus, non liberè profiteri quod sentiret. Nam cùm omnes Christiani & intelligere communem Euangelij doctrinam debent: tūm uero maximè illis qui primas in Ecclesia tenent, & gubernatores doctrinæ esse uolunt, conuenit aperte suam sententiam

tentiam ostendere. Nec continent articuli conciliati inanes argutias, sed res magnas, & Ecclesiae necessarias: ut de morbo originis, de libertate uoluntatis humanæ, & fide iustificante propter Christum, de retinendis officijs Episcoporum & aliorum graduum Ecclesiasticorum. Sed quo consilio suam sententiam Contarenus occulat, nihil ad nos attinet: sed euentus satis ostendit, eos qui sperarunt initio aduersarios nostros aliquam moderationem aut emendationem suarum opinionum admissuros, non satis prospexit esse corum uoluntates: tentando putarunt animos nostros, ut seu inclinatio quædam, seu distractio fieret, posteaq; suum odium declararent. Alij meliores, qui serio moderationem aliquam expectant, cum uiderent nec animorum concordiam uerè coituram esse, nec semina odiorum tolli, et si receptæ essent hæ moderationes, minus succensebant nobis quod repugnaueramus. Audip & \* cum uideret frustra tentatas esse has conciliaciones, dixisse, Deum fortassis hos conatus impedituisse, qui arcano & mirabili consilio regit Ecclesiam: quod his moderationibus receptis, mala quædam confirmata fuissent: & eorum stabilita potentia, qui errores præcipue defendunt.

Deum uero orandum esse, ut ipse Ecclesiae opem ferat, et pios cultus ac ueram doctrinam restituat.

EPISTOLÆ  
AD IMPERATOREM  
CAROLVM V. RATIS.

bonæ 1541.

Mense Martio.

**I**nuidissime Imperator Auguste, Domine cle-  
mentissime: Aduiuimus narrationem eorum  
qui ex nostris ad colloquium delecti fuerunt, ex  
qua intelleximus, quæ controuersiæ agitatæ sint,  
quæ in Libro mutata, quæ comprobata, & quæ  
non recepta sint. Et animaduertimus, in quibus-  
dam articulis aditum ad concordiam factum esse.  
Quare et C.M.V. gratias agimus, quod doctorum  
collatione, et quadam moderatione, quæ decet Ec-  
clesiam, dirimi controuersias Ecclesiasticas ma-  
uult: & precamur Deum, ut has actiones ita gu-  
bernet, ut ueritas & doctrina salutaris Ecclesiæ  
Christi magis illustretur. Dolendum est autem,  
tantam esse temporum infelicitatem, ut nō potue-  
rit de omnibus articulis rectè conueniri. Loci  
quidam relictæ sunt ambigui, quorum explicatio  
tamen necessaria est Ecclesijs. Hæc fortassis eò  
acciderunt, quia difficile est uetus abusus tol-  
ere, quos alij propter diuturnitatem temporis et  
exempla, alij propter alias causas defendunt. Neq;  
.n. negari potest, ante aliquot secula irrepisse in  
Ecclesiā multos abusus, qui confirmarentur, si no-  
strū testimonium opponeretur pijs rectè sentien-  
tibus,

tibus; etiam ad posteritatem. Quale uinculum insiceretur Ecclesiae, si fateremur prorsus nullum ullius synodi lapsum reprehendi posse? Ita & reliquæ materiae ad uniuersam Ecclesiam pertinent, cui omnia membra hoc debent officium præcipuum, curam uidelicet conseruandæ ueritatis, Ut Paulus lætari se dicit, quod immoletur, hanc ob causam, ut alij Deum uera fide colant. Quid in Ecclesijs nostrarum gentium & urbiū fieret, imò domesticis: quot piæ mentes imbutæ puriore doctrina sauciarentur, si nunc ad approbando abusus retraherentur? Quam multi pij iustè nos increparent hac ipsa Pauli uoce: Cur nos à gratia Christi abducitis ad aliud doctrinæ genus? Postremò, nostrorum articuli ita moderate scripsi sunt, ut cum proferentur, saniores ubiq; intellecturi sint, nostras sententias nec absurdas, nec immoderatas esse. Quanquam enim Liber, ut uideatur moderatior, quædam nimis horridè proponeat, & alcubi manifesta uitia iubet tolli, tam interim in plerisq; articulis abusuum semina retinet, de quibus admoneri Ecclesias necessse est. Cæterum de articulis conciliatis maximè quidem optamus, ut hi propagentur in omnibus Ecclesijs, modò ut rectè & uerè intelligantur. Videamus autem collocutores nostræ partis, spe & studio concordiae quædam breuius & impropre dicta præteriisse, quosdam etiam articulos non

prætexuisse, & quedam ambigua reliquisse. Iam cum constet, ambiguis & flexiloquis articulis non sedari, sed potius accendi certamina, sicut quorundam ueterum synodorum euentus ostendunt, opus erit in his iusta, propria & perspicua explicatione. Nos enim sic intelligimus eos, ut in nostra Confessione & Apologia res eadem traduntur. Sed si aliam diuersam interpretationem adderent, reclamare necesse esset. Nec sunt obscuræ aut intricatæ, aut perplexæ, aut absurdæ nostræ sententiæ. Totum enim hoc genus doctrinæ, quod in Ecclesijs nostris proponitur, & quod extat in confessione nostra & Apologia, doctrina est tradita in Euangelio, & consensus Catholicæ Ecclesiæ Christi, habetq; eruditorum patrum uera testimonia, nec ab ea confessione discedimus. Quare si qui astutè hos breues articulos in libro transformarent in falsas opiniones, & à nobis taxatas, cum his non esset concordia. Deniq; indignissimum est Ecclesiæ, lude re ambiguae dictis, & condere articulos, qui opus habeant nouis articulis condientibus priores: scilicet pisces sale opus habet, ut de legibus ambiguis Aristoteles dixit. Iussimus igitur nostros concessionatores, qui adsunt, addere huic nostræ responsioni eas particulas, in conciliatis, quæ præcipue opus habent explicatione. Oramus autem cum debita reverentia C. M. V. ut hanc nostram respond-

responsionem, profectam ex bona conscientia, & optimo studio erga Ecclesiam Christi & communem tranquillitatem, clementer accipiat. Diximus bona fide, ut in re tanta fieri decet, quod sentimus. Magna res est Ecclesias gubernare, in qua conscientiarum ratio habenda est. Quæ cum auctoritate humana sine ueris rationibus coguntur, ijs non tolluntur, sed augentur certamina. Ideo Deum oramus, ut ueris modis aliquando concordia perficiatur.

HENRICO OCTAVO  
REGI ANGLIÆ, PHIL.  
Melanthon S. D.

Serenissime rex, & domine clementissime, Etsi me quædam grauiſſimæ cauſæ hortabantur, ut literas ad R. M. T. darem, & nota mihi eſſet publica omnium doctorum opinio de tua bonitate atq; clementia: tamen me à ſcribendo pudor meus deterruiſſet, niſi me conſirmasset D. Antonius doctoṛ, amicus meus: qui me etſi inſpicientem heroicæ uirtutes tuas, tamen ita nunc accendit com memoratione laudum tuarum, ut in ſpem uenerim, R. M. T. pro excellenti ſapiencia atque humanitate tua literas boni culturam eſſe, præſertim in quibus non ſolum de meo offiicio, ſed nonnihil de republica scripturus eſſem. At de me

quidem dicam breuius. Quid in hac mea & ingenij tenuitate & fortuna præstare possum, quo meum studium erga R. M. T. declarare queam? Cæterum ita semper iudicauit: Cum bono & sanitati Princeps nihil sit amabilius, nihil diuinius: R. M. T. ab omnibus bonis uiris propter excellenter in summa potestate moderationem ac iusticiam meritò amandam esse. Plurimum uero debeti R. M. T. à nostro ordine, & à literarum studiosis, quod in ornandis excitandisq; honestis disciplinis R. M. T. longè Regum aliorum ac principum huius ætatis studium uicerit. Quia in re & felicitatem & sapientiam tuam admirari soleo. Quod enim R. M. T. iudicauit curam literarum dignam esse magno Princeps, uidit prospecto, quantum Republicæ decus sint, quantum afferat momenti studia ad consociationē generis humani, & consensum de religione. Felicitas uero magna fuit, quod eodem tempore iam multa egregia lumina ingeniorum tulit Anglia tua, ut numerare in his multos possumus, conferendos cum summis uiris, qui unquam doctrinæ laude floruerunt.

Ac sepe cogitanti mihi de R. M. T. uenit in mentem, tale nunc aureum seculum esse tuæ Britanniae, quale fuit olim Ægypti, regnante Ptolemeo Philadelpho, qui et si opibus antecelluit omnes suæ ætatis reges, & res gescit bello egregias, tamen omnium gentium ac posteritatis  
etiam

etiam amorem hoc nomine præcipue meruit, q  
literarum studia sicut ac prouexit. Itaq; ut Pto= lemæo & cæteris regibus, quorum beneficio con= seruatæ sunt honestæ artes: ita R. M. T. hoc no= mine plurimum debebit uniuersum genus huma= num. Hæc sunt eruditorum omnium in Germania iudicia. Cum igitur erga studiosos sit tanta bene= uolentia R. M. T. non dubitavi ad R. M. T. scri= bere, ut ostenderem, quantum cupiam tali regi commendatus esse. Scio R. M. T. fide ac studijs ho= mines metiri, non fortuna. Ideo me commendo R. M. T. tanquam præcipuo ac penè unico lite= rarum patrono, & omne meum studium atq; o= peram quantum quidem in hac ingenij mediocri= tate præstare possum, ad R. M. T. defero. Sed non tam meam causam agere institui, quam pu= blicam literarum, quarum ut hoc tempore pe= riculum R. M. T. consideret, uehementer oro. Non solum enim in cæteris regnis, sed etiam in ipsa Germania literæ contemtæ sunt, inquis hominum iudicijs, & uocantur in odium, pro= pter religionis controuersias. Erit igitur sapi= entiae tue, eo maiore benignitate recta studia excitare, & pulsis Musis hospitium præbere. Scimus, & olim cum propter arma Gottica pe= nè extinctæ essent in Europa literæ, ex insula tua rursus in totum orbem propagatas esse. Hac re de uniuersa posteritate, de Ecclesia bene=

mereri R. M. T. poterit. Nec uero dubito, quin & ipse religionum controuersiae mitigarentur, si R. M. T. cum autoritatem suam conserret ad Reges ceteros ad moderationem flectendos, tum uero cum doctis hominibus de genere doctrinæ deliberaret. Nam & illud minimè obscurum est, in Ecclesiâ abusus quosdam non dissimulando irrepissere: neq; tamen operam dare Reges ut extet aliqua simplex & certa doctrinæ forma. Discordia publica præbet locum interdum etiam indectis & malis, qui regum iracundiam accidunt. Sed tamen erat adhibenda diligentia, ne interim simul bone res & utiles Ecclesiæ opprimerentur: né ue in bonos exerceretur crudelitas. Grauiſſimè Poëta inquit, cum de sedandis populi motibus loquitur :

Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum  
quem

Confexere, silent, arrectisq; auribus astant;  
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.

Virum enim pietate grauem, ac meritis, ad componenda diſidia uult accedere: qualis est R. M. T. que cum etate, sapientia, doctrina antecellat ceteris regibus, tantum adferet ad hanc causam autoritatis, quantum aliis nemo.

Illa autem oratione apud R. M. T. non est opus, quam gloriosum sit regi, de uniuersa Ecclesia, de toto genere humano bene mereri. Intelligit

git enim R. M. T. pro sua excellenti sapientia,  
 & hanc curam diuinitus esse regibus mandatam,  
 quodq; æternam ac ueram gloriam apud omnes  
 gentes hoc beneficium paritum sit. Quare R.  
 M. T. propter Christum oro, ut hanc cogitatio-  
 nem suscipere uelit, & curam de regum uolun-  
 tibus flectendis ad moderationem, ne pariter  
 boni & mali sine discrimine trucentur, & de  
 Dei gloria ornanda. Postremo oro, ut R. M. T.  
 meas hasce literas, simplici animo ac bono studio  
 scriptas, boni consulat. D. Antonius, summa fide  
 & diligentia, de certis articulis nobiscum dispu-  
 tauit, de quibus meum iudicium ipsi perscriptum  
 dedi. De quo hoc testatum uolo, me non ita ama-  
 re meum iudicium, quim si quid reprehenderent  
 aliquot boni uiri & docti, re communiter deli-  
 berata, ipsorum sententiam mee anteferre uelim.  
 Christus seruet R. M. T. in columem, ad salutem  
 plurimarum gentium. Ex Academia VVuite-  
 bergenfi, die 13 Martij, Anno 1535.

## EIDE M.

**I**nclite & clementissime Rex. Quod Regia  
 Maiestas tua non solum amplissimo munere, sed  
 etiam literis, in quibus illustre testimonium est  
 benevolentie R. M. T. erga me, declarat, sibi of-  
 ficium meum in dedicando placuisse, multis de  
 causis laetor. Primum enim, quid mihi priuatim

F S accide-

accidere potest honorificentius, quām quōd grā-  
uiissimo iudicio sapientissimi regis ornatus sum? Deinde hoc nomine gaudeo, R. M. T. non ab-  
horrere à meis scriptis, quōd sp̄ero, postquam in-  
tellexerit, ea quae docemus, Ecclesiæ necessaria  
esse, magnum momentum allatum esse ad ornant-  
dam gloriam Christi, & allectandos ad modera-  
tionem cæteros reges, quorum iracundia sine mo-  
do aduersus studiosos puræ doctrine exarsit. At-  
que hanc sp̄em meam ualde confirmarunt literæ  
R. M. T. in quibus planè testatur R. M. T. se nun-  
quam defuturam ijs consilijs, que ad gloriam  
Christi illustrandam suscipimus. Que uerba cūm  
legeremus ego & pleriq; aliij, hunc animum R.  
M. T. maximis de causis gratulati sumus uniuers-  
itatem Ecclesiæ Christi. Scio R. M. T. pro sua excel-  
lenti sapientia intelligere, quām gloriosum sit, et  
dignum summis heroibus, ueram religionem pro-  
pagare, & publicis uitijs mederi. Ideo non puto  
bac in re mea adhortatione opus esse. Tantum  
agam gratias R. M. T. & quod meum officium  
probat, & significationem ostendit minime ob-  
scuram singularis benevolentiae erga me, quam  
tanti facio, ut libenter profitear me uiciissim R.  
M. T. debere omnia studia mea, & (si quæ sunt)  
ingenij uires omnes. Utinam uero mihi tantum  
ingenij & doctrinæ esset, ut aliquo officio amo-  
rem erga R. M. T. & gratitudinem meam decla-

rare

rare possem. Illud certe efficiam, ut intelligi possit, nō deesse nūbi uoluntatem ac studium declarandæ gratitudinis R. M. T. tanquam optimo Principi, & cupido iuuandæ uniuersæ Ecclesiæ. De cæteris rebus scripsi ad clarissimum D. Secretarium supremum. Alexandrum Alesium R. M. T. propter egregiam ipsius fidem & doctrinam, & in omni officio diligentiam commendando. Bene et fideliter ualeat R. M. T. Ex secessu schole Vitebergensis, Cal: Decembbris, Anno 1535.

## E I D E M.

**I**NCLYTE & SERENISSIME REX. CLEMENTER ACCEP-  
TRUNT ALIQUIT ROMANI IMPERATORES, ADRIANUS,  
PIUS, & DEINDE FRATRES VERUS & MARCUS, APO-  
LOGIAS CHRISTIANORUM, QUE QUIDEM TANTUM APUD  
ILLOS MODERATOS PRINCIPES UALUERUNT, UT EORUM  
IRACUNDIAM ADUERSUS CHRISTIANOS LENIRENT, &  
TROCUM DELICTORUM MITIGATIONEM IMPETRARENT.  
ITAQ; POSTQUAM EDICTUM ISTHINC CONTRA PIAM DO-  
CTRINAM & ECCLESIAE NECESSARIAM, QUAM PROFITE-  
MUR EDITUM EST, ROGO UT R. M. T. BENIGNE HANC NO-  
STRAM QUERELAM ET LEGAT ET CONSIDERET, PRESENTIM  
CUM NON SOLUM NOSTRA CAUSA, SED MULTO MAGIS  
PROPTER PUBLICAM ECCLESIAE SALUTEM, HOC AD TE  
SCRIPTUM INSTITUERIM. CUM ENIM ILLI ETHNICI  
PRINCIPES DEFENSIONES NOSTRORUM & ADMISE-  
RINT, ET APPROBauerint, quanto magis Regi Chri-  
STIANÆ PROFESSIONIS & UERSATO IN STUDIJS SACRA-  
RUM

rum literarum: decorum est et te audire piorū in Ecclesia querelas & admonitiones. Scribo autem eò ad te libentius, quia antea cum singulari benevolentiæ significatione meas literas accepisti. Et in hac causa spem aliquam mihi facit, te non gravatim hæc lecturum esse, quod phrasis ostendit, Episcopos haud dubie autores esse articulorum isthac editorum, non te. Etsi, ut sèpè accidit laudatissimis Principibus, Sophistica sua perfecerunt, ut tua suffragatio accederet: ut Darium Regem sapientem & iustum, impulerunt tamen Satrapæ ut Danielem Leonibus obiiceret. Nunquam autem indecorum fuit bonis Principibus, corrigerè iniustam asperitatem, & (ut dicitur) habere δύτερας φροντίδας, hoc est, secundas deliberationes. Sapientissima ciuitas Attica decretum fecerat, recuperata Mitylene, quæ defecerat, ut ciuibus omnibus interficitis, funditus urbs deleretur. Nauis missa est, quæ ad exercitum hæc mandata adferebat. Postridie iterū relato negocio, ad eosdem iudices, fit contrarium decretum, ne poena uagaretur per omnes: sed ut pauci autores desertionis plecterentur, & ciuitas scruaretur. Missa est igitur altera nauis, quæ properare iussa est, ut priorem anteuerteret; sicut accidit. Nec puduit ciuitatem tunc quidem latè regnantem, publicè corrigerè prius decretum. Multa huius generis exempla extant,

quoniam

quorum pleraq; nota esse tibi non dubito. Ac de Ecclesia sēpissimē Principes correxerunt edicta: ut Nabuchodonosor, Darius. Assueri nomine editum fuerat decretum de interficiendis Iudeis: id postea retractatum est. Ita sua edicta Adrianus & Antonini correxerunt. Quanquam igitur extat edictum in Anglia factum, quod supplicia minatur aliena à consuetudine ueræ Ecclesiæ, aliena à Canonibus: tamen existimauit adhuc licere nobis deprecari hanc asperitatem. Eaq; in re non tantum periculo eorum qui nobiscum sentiunt mouor: sed dolco, te alienæ fœuitiae atq; impietatis ministru fieri. Doleo etiam Christi doctrinam arceri, stabiliri uitiosos ritus, confirmari libidines. Audio uiros excellenti doctrina & pietate præditos, Latimerum, Saxtonum, Cramerum, & alios teneri in custodijs: quibus opto animum ac robur dignum Christianis. Etsi autem ipsis quidem nihil melius accidere, aut gloriostius potest, q; ut in tam manifestæ ueritatis cōfessione mortem oppetant: tamen nollem R. M. T. sanguine talium uirorum respergi, nollem hæc Ecclesiæ uestræ lumina extingui, nollem impieati & uiulentis ac pharisaicis odijs inimicorum Christi morem geri, nollem præberi uoluptatem Antichristo, qui gaudet in simum, te iam aduersus nos pro ipso arma gerere: ac sperat Episcoporum opera se facile possesso-

nem

nem, ex qua honestis & pijs consilijs deturbatus est, aliquando recuperaturum esse. Videt Episcopos ad tempus more gerere uoluntati tuae, sed aeterno & perpetuo fædere cum Romano Pontifice coniunctos esse. Norunt has artes Romani Pontifices, Ex multis seuisimis tempestatibus eluctati sunt, ante haec secula, contando. Meminerunt uim esse maximam temporum: cogitant illud, Multa dies, uariusq; labor mortalibus æui Rettulit in melius.

Multi boni & docti uiri in Germania spem conceperunt, fore ut autoritas tua etiam ceteros reges mutaret, ut tandem indignam crudelitatem Principes Germaniae deponerent, & de emendandis erroribus deliberarent. Huius sanctissimi & pulcherrimi consilij ducem atque auctorem te fore statuebant. Sed nunc præiudicio tuo nos non leue uulnus accepimus. Confirmatur cæterorum regum iracudia, augetur pertinacia impiorum, stabilitur uictores errores ingentes. Sed illud haud dubie contendunt Episcopi, se non errores, sed ueras sententias & ius diuinum tueri. Et quanquam non ignorant, se re ipsa cum iure diuino & Apostolica ecclesia pugnare, tandem homines astuti possunt inuenire bellas interpretationes, & ut uocat Euripides, σοφὲ φάρμακα, quæ in speciem excusare errores & abusus uidentur. Haec sophistica nunc no[n] tantum

in Aliis

in Anglia habet admirationem sapientie, sed Rome dominatur: ubi Cardinalis Contarenus, Sadoletus, Polus, nouis fucis pinguit abusus. In Germania etiam multorum nobilium animos hec sophistica deprauat. Itaq; nihil miror, his præstigijs istic moueri plurimos. Et quāquā tibi nec eruditio, nec iudiciū deest, tamen etiā sapientes speciosis persuasionib. interdā à ueritate abducuntur. Laudatur illud Simonidis, qui summis uiris suæ etatis, Themistocli & alijs, familiaris fuit: Opinio sēpe uim adfert ueritati. Sēpe magis speciosa est falsa opinio, quam ueritas. Idq; maxime in religionis controuersijs accidit, ubi Diabolus se in angelum lucis transformat, ornat, quibus potest fucis, falsas opiniones. Quām concinna est Samosateni cauillatio de dicto Iohannis, In principio erat Verbum? Et tamen plena est impietatis. Sed omitto aliena exempla. In ipso decreto, quām multa sophisticè & infidiose posita sunt? Confessio (inquit articulus) necessaria est, et retinenda. Cur non disertè dicit, necessaria est iure diuino enumeratio delictorum? Sciebant Episcopi hanc sententiam falsam esse: ideo generaliter uerba posita sunt, ut offundatur caligo plebi. Cum audit necessariā esse confessionem, intelligit enumerationem iure diuino necessariam esse. Similes præstigie sunt in articulo de priuatis missis. Etsi initiu plane falsum est,

Necesse

Neceſſe eſt retinere priuatas missas. Quis ſic ſen-  
ſit annis amplius quadringentis poſt Apoſtolos,  
cūm nullæ eſſent priuatæ miffæ? Sed poſtea ſe-  
quuntur ſophiſmati. Ut populus per eas recipiat  
diuinas conſolationes & beneficia. Cur non ad-  
dunt, quæ conſolationes, quæ beneficia? Non  
nominant Epifcopi applicationem & meritum:  
quia ſciunt defendi non poſſe. Ludunt uerbis, ut  
elabi poſſint, ſi applicatio uituperetur. Et ta-  
men à populo applicationem intelligi uolunt.  
Volunt conſirmari perſuasionem idolatrica, me-  
reri hoc ſacrificium alijs remiſſionem culpe, pœ-  
næ, leuationem omnium calamitatuum, deniq; lu-  
cra in negocijs, & quicquid adfixit homi-  
num ſollicitudo. Similis eſt ſophiſtica, cum di-  
cunt, coniugium ſacerdotum pugnare cum iure  
diuino. Non ignorant Pauli locum: Oportet  
Epifcopum eſſe unius uxoris uirum. Quare ſci-  
unt, ſacerdotibus concedi coniugium iure diu-  
no. Sed quia nunc aiunt acceſſiſſe uotum, ludunt  
uerbis, non dicunt uoto impediri coniugium ſed  
ſimpliciter ponunt articulum, pugnare coniu-  
gium ſacerdotum cum iure diuino. Deinde  
quantum impudentiæ & phalarifmi addunt,  
cūm iubent diſſolui coniugia: cūm iubent inter-  
fici eos, qui illa coniugia nolint diſſolui, cūm  
tamen uotum ſacerdotum, etiam ſi quod eſ-  
ſet, aut ſi ualeret, tantum catenus eos obliga-  
ret,

ret, ne in ministerio manerent, si ducerent uxores. Hanc esse Synodorum & Canonum sententiam, manifestum est. O sceleratos Episcopos, o impudentem Vintonensem, qui his fucis arbitratur se oculis Christi, & omnium piorum iudicia toto orbe terrarum fallere.

Hæc recitauit, ut deprensa Sophistica iudices de uoluntate & consilio Episcoporum. Nam si candide et ex animo ueritatem quererent, non his fucis & imposturis ueterentur. Est autem cum in cæteris negocijs illiberalis, & digna odio sophistica, tum uero maxime fugienda in religiis, in quibus impietas est summa, corrumpere & contaminare cœlestia dicta. Itaq; ab hoc artificio nomen habet, cauillationibus & præstigijs excutit hominibus uerbū Dei. Cur Episcopi non ingenuè fatentur se doctrinæ, & cultuum emendationem nullam permisuros, quia sit labefactura ipsorum dignitatem, opes, & uoluptates. Cur cæteri quos habent suffragantes, non aperte dicunt, se retinere præsentem formam Ecclesiæ propter utilitatem, tranquillitatem, & splendorem. Hæc fateri, esset ingenuitas. Nunc dum simulant studium ueritatis & pictatis, affingunt inepta sophismata. Illa tegunt errores, sunt enim falsi & impij Articuli in illo edicto, quantumuis speciosè propositi. Quare optandum erat Episcopos meminiſſe cœlestem comminationem

G apud

apud Esaiam, Vae uobis, qui leges iniquas condic-  
tis. Quid facietis in die Visitationis, & calamita-  
tis uenturæ &c. Vae qui dicitis malum bonum  
&c.

Accedo igitur ad res ipsas. Negari non po-  
test diuturnas & horribiles tenebras in Eccl-  
esia fuisse. Traditiones humanæ non tantum fue-  
runt carnificina piarum mentium, sed quod est  
indignius, fuerunt cultus multipliciter uitiosi.  
Erant uota, donaria templorum, uestitus, cibo-  
rum delectus, battologiae precium, indulgentiae,  
honos statuarum, colebantur sancti manifesta  
idolatria, ignorabantur ueri cultus Dei, & uera  
opera, Deniq; magna similitudo erat Ethnica-  
rum religionum. Et Romæ adhuc est. Erat  
ignota doctrina uera de pœnitentia, de remissio-  
ne peccatorum, quæ fide in Christum contingit,  
de iusticia fidei, de discrimine Legis & Euange-  
lij, de usu Sacramentorum. Claves translatæ  
erant ad tyrannidem Pontificiam constituens-  
dam, longè anteferebantur politicis officijs cere-  
moniæ humanæ. Ad hos errores accedebat uith  
contaminata libidinib. propter legē de coelibatu.  
Ex his tenebris Deus nonnihil euoluit Ecclesiam  
repurgata doctrina: fatendum est enim non hu-  
mana diligentia deprehensos esse tam inuetera-  
tos errores, sed Dei donum est hæc Euangelij  
lux, quæ Ecclesijs rursus ostensa est. Nam Spiritu-

ius sanctus uaticinatur postremis temporibus certamina uehementiora pijs fore cum Antichristo, uaticinatur et Antichristum stipatum satellitio ingenti Episcoporum, hypocritarū, principū, aduersaturum esse ueritati, interfectorum pios.

Hæc fieri nunc res loquitur ipsa, Romani Episcopi tyrannis partim inuexit errores in Ecclesiam, partim confirmauit, & nunc tuetur uiribus, ut prædictum Daniel. Gaudebamus autem te ab eo seiuinctum esse, ac sperabamus fore, ut Anglica Ecclesia restoresceret: Sed Episcopi tui non sunt auulsi a Romano Antichristo, illius Idolatriam, errores, uitia, tuentur. Nam articuli nunc editi astutè delecti sunt, confirmingant omnes humanas traditiones cum stabiluunt præcipua uota, cœlibatum & confessionem. Muniunt non solum autoritatem, sed omnes errores, cum retinent priuatam Missam. Ita arte cauerunt, nulla ut emendatio institui posse dignitas & opes in tuto sint. Hoc egisse Episcopos res ostendit ipsa. Quis autem nō doleat sic opprimi gloriam Christi? Etenim ut dixi, non tantum de his articulis, quorum ibi fit mentio agitur: opprimuntur Articuli ceteri quoq; purioris doctrinæ omnes, si cultus humani necessarij, & retinendi sunt. Cur inquit Christus: Frustra colunt me mandatis hominum: Cur toties detestatur Paulus humanas traditiones?

Non est leue peccatum instituere cultus sine mandato Dei, aut tales cultus defendere. Hanc audaciam Deus horribiliter detestatur, qui uult agnosci in uerbo suo, non uult fingi religiones humano arbitrio, alioqui omnes omnium gentium religiones essent probandæ. Non innitaris inquit, prudentiæ tue, sed Christum misit, hunc iubet audire, non hominum astutorum inuenta, qui religiones attemperant suis utilitatibus.

Porro priuata Missæ, uota, cœlibatus, enumera<sup>ratio</sup> delictorum in confessione, ut constat, sunt cultus ab hominibus instituti. Etsi enim Cœna Domini à Christo instituta est, tamen priuata Missa est impia prophanatio Cœnæ Domini. Nam in canone quantum est sceleris, qui inquit, hic offerri Christum, & hoc opus sacrificiū esse, quod redimat uiuos & mortuos. Hæc non sunt instituta à Christo, imò multipliciter pugnant cum Euangelio, non uult se offerri Christus à sacrificiis, nec opus illud offerentis aut sumentis sacrificium pro alijs ullo modo esse potest. Idolatria manifesta est, & opprimit doctrinam de fide, & de uero usu Sacramentorum: fide in Christum iustificamur, non opere sacrificuli, & cœna instituta est, ut minister alijs porrigit, qui agentes pœnitentiam admoneantur, ut credant uerè ad se pertinere promissiones Euangeliij, cùm hic

bic proponatur testimonium nos fieri membra Christi, & ablutos esse sanguine Christi.

Ab hoc usu, qui institutus est in Euangelio, et obseruatus in ueteri Ecclesia annis amplius trecentis non licet discedere? Impietas est enim transferre ritum diuinum ad alios usus, iuxta secundum præceptum Decalogi. Quare Missæ priuatæ cum multis modis, oblatione, sacrificio, applicatione, deniq; alijs modis longissimè discesserint ab instituto Christi, non retinendæ, sed abolendæ sunt. Fugite, inquit Paulus, Idolatriam. Est autem multiplex idolatria in priuatis Missis, quam quidem tueri Pontifices, non est mirum, quia postremis temporibus ait scriptura, insinem idolatriam regnaturam esse in loco Ecclesiæ. Sicut Christus significat inquiens: Cum uidebitis abominationem desolationis, que dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Et Daniel. cap. II. Et Deum Maosim in loco suo uenerabitur, & Deum quem nescierunt patres eius colet, auro, argento & lapidibus preciosis. uterq; locus de Missa concionatur. Hunc cultum, hanc tetram prophanationem Sacramentorum abominatur Deus.

Quād multa sunt enim manifesta flagitia in hoc ritu, confertur ad questum, coguntur indigni sumere, uel si nolint, applicant pro uiuis & mortuis, promittunt alijs faustam nauigationem,

nem, alijs alia. Hec sunt aperte flagitia, sed alijs non minus reprehendenda sunt, quæ imperiti non perinde cernunt. Non sunt humano arbitrio instituendi cultus sine mandato Dei. Quare errant homines, cum offerunt sine mandato Dei, cum ex hoc opere faciunt sacrificium, imaginantur priuatas Missas faciendas esse, quia hoc ritu Deus coli uelit. Et uidemus auro & argento, apparatu, sumptu ingenti Missas emi, Sacramentum circumferri adorandum in auro & argento, cum in hunc usum non sit institutum Sacramentum.

Quare cum mandatum Dei iubeat fugere idolatriam, non erunt retinendæ priuatas Missæ, ac miror cur dixerint, necessariò esse retinendas, cum constet olim nullas fuisse. An deerant priori Ecclesiæ annis trecentis post Apostolos, res necessariæ in cultu Dei? Quid potest dici absurdius.

Videmus acerrimis studijs defendi priuatas Missas, quod fit magis ab alijs, quia questui metuunt, ab alijs, quia inferuiunt uulgi affectibus, quod ægrè sibi eripi hoc præsidium, ut existimat, patitur, quam uera aliqua ratione, sed tamen firma & perspicua causa est, cur abrogari debeant. Primum enim applicatio haud dubie est impia, non meretur alteri gratiam opus sacrificuli, sed sua quisq; fide iustus est. Nec uult Deus confidere quem

re quemquam ceremonia ulla, sed tantum Christi beneficio. Et certè applicatio pro mortuis plena est erroris. Ac frustra hic finguntur sophismata ad excusandam applicationem. Nemo ex uniuerso populo aliter sentit, quām hoc opus prodesse uniuersæ Ecclesiæ. Ipse etiam canon Missæ hoc profitetur. Quid ludunt uerbis quidam astuti, qui negant se applicare Missas, cùm sciant suo facto confirmari populi errorem, etiamsi ipsi aliter sentiant. Quanquam quotus quisque aliter sentit?

Absit simulatio à diuinis ritibus, utamur eis, ut docent sacræ literæ, & ut mos fuit primæ Ecclesiæ aliquot seculis. Cur hominum audacia discessit à ueteri more, cur nunc defenditur alienum erratum, qui mutauerunt Christi institutum?

Iam etiamsi fingat aliquis, se non applicare, tamen ita ceremoniam seorsum facit, ut existimet hanc oblationem esse cultum, quem Deus requirat, id quoque improbandum est. Quia non sunt instituendi cultus humano arbitrio sine mandato Dei.

Quare obsecro per gloriam Christi, ut de Missa non defendas articulum decreti illius, sed finas rem diligentius à pijs & doctis deliberari. Nostra habent evidens & firmum testimonium primæ Ecclesiæ, quod non dubito omnium postea-

riorum iudicijs opponere, qui ueterem doctrinam, ueteres ritus multis erroribus contaminarunt.

Reliqui articuli non habent opus longa disputatione: uota impia, ficticia, impossibilia non sunt seruanda.

Non dubium est omnium de uotis hanc esse persuasionem, hæc opera ab hominibus instituta, esse cultus Dei. Sic sentiunt etiam, qui modestissime loquuntur, alij plus errorum addunt. Hæc opera esse perfectiones, mereri uitam æternam. Porro has opiniones omnes, sæpè taxant diuinæ literæ. Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ait: Has ipsas observationes esse doctrinam Dæmoniorum, quia tribuunt humanis viribus falsum honorem, quod sint cultus, obscurant fidem, & ueros cultus. Item ad Colos. ait: Nemo uos decipiatur simulata humilitate &c. Quare decreta facitis. Ergo hæc uitia humanarum traditionum sunt re ipsa impij cultus.

Accedunt deinde multa alia uitia. Totum genus uitæ monastice, quantum habet superstitionem, prophanationes Missarum, invocationes Sandorum, uestitus, ciborum delectus, superstitiones preces sine modo. Haec cause singule sufficiunt, quare uota sint irrita. Quid quod maxi-

ma pars hominum imitatur ad hoc genus uitæ,  
propter culmas, postea prætexitur uoti reli-  
gio.

Præterea uotum cœlibatus, non omnibus est  
possibile, ut Christus ipse inquit: Non omnes ca-  
piunt hoc. Rescindenda autem sunt uota, quæ  
sine peccato præstari non possunt, sed hæc satis  
alibi à nobis explicata sunt.

Valdè autem miratus sum, uotum sacerdo-  
tum in Anglico decreto etiam arctius adstrin-  
gi, quam uotum Monachorum, cum Canones  
ipse tantum eatenus uelint obligatum esse pres-  
byterum, si sit in ministerio, planeq; cohorrui,  
legens hunc articulum, prohibet matrimonia, &  
contracta dissoluit, & addit pœnam capita-  
lem. Etsi autem alicubi intersecti sunt sacerdo-  
tes pij propter coniugium, tamen legem hanc  
scribere nemo adhuc ausus est. Videbant enim  
pleriq; omnes sanos & moderatos hanc crude-  
litatem detestaturos esse, uerebantur etiam iudi-  
cia posteritatis. Quis credat in Ecclesia, in qua  
lenitas præcipue erga pios esse debet, tantam ex-  
istere posse sævitiam, ut capitales pœnæ consti-  
tuantur in homines pios, propter coniugium.

At uiolant uotum. Id enim opinor allatueros  
Episcopos. Primum id uotum, ut dixi, irritum  
est, cum sit falsus cultus, & sit impossibile. De-  
inde etiamsi ualeret, tamen non obligaret disce-

dentes à ministerio. Postremò si hic uellent Episcopi consultum conscientijs, deinde ordinarent presbyteros sine uotis, sicut constat ex ueteribus Canonibus, olim multos sine uoto ordinatos esse, & hos cùm postea ducerent uxores, mansisse in ministerio, ut testatur cap: Diaconi dist:28.

Profectò quid querar dubito. Non in hoc articulo inscitiam accusare possum. Nemo ignorat mandatum Dei, Propter fornicationem habeat unusquisq; uxorem suam. Nemo non uidet, qualis sit uita cœlibum, bonorum querelæ nota sunt, malorum turpitudo manifesta est. Sed fortassis Episcopi isthic Epicureas opiniones habent, iudicant Deum non offendit libidinibus, quod si sentiunt, difficilem nos quidem causam agimus apud tales iudices.

Scio cœlibatum aptiorem esse ad splendorem Episcoporum, & collegiorum conseruandum, & ad opes tuendas. Hanc opinor quibusdam esse causam, cur tantopere abhorreant à coniugio Sacerdotum. Sed ô miseram Ecclesiam, si seruire leges non ueritati, non uoluntati Dei, sed iniustis utilitatibus coguntur. Errant qui putant licere sibi leges condere, pugnantes cum mandato Dei, cum iure naturæ modo sint utiles ad opes tuendas.

Ac profectò ex animo doleo, & tuam uicem Rex inclite, & uicem Ecclesiæ Christi. Ostendis  
te Roe

te Romani Episcopi tyrannidem improbare, & uerè eum uocas Antichristum, interea eas leges Romani Antichristi, quæ sunt nerui potentiae ipsius, defendis, Missas priuatas, cœlibatum, & ceteras superstitiones. Minaris atrocissima supplicia uiris bonis & membris Christi, opprimis illucescentem in Ecclesijs tuis ueritatem Euangelij. Hoc non est Antichristum tollere, sed confirmare.

Obtestor igitur te propter Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ne conscientiam tuam horum articulorum defensione polllas, quos Episcopi de priuatis Missis, de confessione, de uotis, de cœlibatu Sacerdotum, de prohibitione integri Sacramenti, ediderunt. Non est leue peccatum idolatriam, errores, crudelitatem, libidines Antichristi stabilire. Si nunc haberet Romanus Episcopus Synodum, quos alios articulos præcipuos conderet, & orbi terrarum imponeret, nisi illos ipsos quos recensent Episcopi tuis.

Agnosce quæso Diaboli infidias, qui quidem imprimis gubernatores adoriri, ac tentare solet. Et cum sit hostis Christi ab initio mundi, præcepè hoc molitur omni uafricie, ut Christum contumelia afficiat sparsis impijs opinionibus, & excitata idolatria. Deinde ut iniustis cœdibus & libidinibus polluatur humanum genus. Ad has res

res abutitur hypocitarum ingenij & potens-  
tum uiribus, ut historiæ omnium temporum  
ostendunt, Magna imperia sœuiisse in Ecclesi-  
am.

Sed tamen aliquos Principes Deus ab illo Gi-  
gantum exercitu, traduxit ad Ecclesiam, & ag-  
noscere ueram doctrinam & ueros cultus uo-  
luit, ut Abraham erudiȝt Abimelech, Ioseph A-  
gyptios reges. Postea David, Iosaphat, Ezechi-  
as, Iosias excelluerunt pietate. Daniel flexit ad  
agnitionem Dei reges Chaldaeos & Persicos.  
Dedit & Britannia pium Principem orbi terra-  
rum Constantium. In hoc te cœtu potius opta-  
rim esse, quām inter hostes Christi, contaminatos  
idolatria, & respersos sanguine piorum, de qui-  
bus Deus poenas sumet, ut sæpè concionatur, &  
ostendunt multa exempla.

Rursus igitur te propter Dominum nostrum  
IESVM CHRISTVM obtestor, ut decre-  
tum Episcoporum lenias & emendes. Eaq; in re  
glorie Christi seruias, & consulas tuæ, & Eccles-  
iarum tuarum saluti, Moueare uotis multorum  
piorum toto orbe terrarum, qui optant, ut aliqui  
Reges conferant autoritatem suam ad ueram  
Ecclesiæ emendationem, & ad tollendos impios  
cultus, ac propagandum Euangelium. Respicias  
& illos pios uiros uinctos propter Euangelium,  
qui sunt uera Christi membra.

Efti

Et si non mutabitur decretum, sine fine  
grassabitur in Ecclesia saevitia Episcoporum. Hos enim habet Diabolus odij sui aduersus Christum, & furoris ministros, hos impellit ad Christi membra trucidanda. Horum impias & crudeles sententias, & sophisticas cauillationes, nostræ ueræ & iustissimæ deprecationi, ut non anteferas, omnes pij te orant & obtestantur. Quod si impetrabunt, haud dubie Deus ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & piorum literis, & uoce, uirtus tua celebrabitur. Christus enim iudicaturus est benè & male meritos de Ecclesia. Et dum uiuent literæ, extabit ad posteritatem memoria rerum tantarum. Et cum Christi gloria seruiamus, & Ecclesiæ nostræ sint Christi Ecclesiæ, non deerunt, qui piæ causæ patrocinari, qui benè meritos, debita laude ornare, & crudelitatem uituperare poterunt. Circumit Christus esuriens, sitiens, nudus, uincitus, conquerens de Pontificum rabie, de multorum Regum iniustissima saevitia, petens ne lacerentur corporis sui membra, sed ut defendantur ueræ Ecclesiæ, ornetur Euangelium. Hunc agnoscere, excipere, fouere pij Regis est officium, & cultus Deo gratissimus.

Bene uale, i. Nouembris,

Anno 1529.

F R A N<sup>c</sup>

FRANCISCVS DEI  
GRATIA FRANCORVM REX,  
dilecto nostro Philippo McLan=  
thoni S. D.

Singulare tuum ad sedandas eas, quæ in do-  
ctrinam Christianam inuectæ sunt alterca-  
tiones, studium intellexeram, antea quidem ex  
Guilelmo Bellatio Langio, cubiculario atq; consi-  
liario nostro, quo ego præcipue sum usus ad eam  
rem administro & interprete. Nunc uero ex  
literis ad eum tuis, & sermone redeuntis à te  
Barnabæ Voce Fosse intellecti, te etiam hoc la-  
boris perlamenti animo suscepturnum, ut ad nos  
primo quoq; tempore te conferas, deq; unione  
doctrinarum cum selectis aliquot nostratibus  
Doctoribus hic apud nos coram differas, atq; ra-  
tiones ineras, quo resarciri possit pulcherrima il-  
la Ecclesiastice politiæ harmonia, qua una re  
cum ego mihi nihil unquam quicquam maiori  
cura studio & sollicitudine animi complecten-  
dum esse duxerim, committere nolui, quin hunc  
statim Voceum Fossem ad te dimitterem, cum  
his uelut publicæ fidei obsidibus literis: Obtesta-  
rer etiam, abduci te ullius persuasione ut ne sis-  
nas, ab hoc pio sanctoq; instituto. Venies omnino  
mihi gratissimus, seu priuato tuo, seu publico ue-  
strorum nomine adueneris, meq; re ipsa experie-  
ris, ut

PHILIP: MELANTH: 95  
ris, ut priuatim uestre Germanie dignitatis, &  
publicae in uniuersum quietis, ante omnia esse,  
atq; adhuc semper fuisse, studiosissimum. Vale. Ex  
oppido Gulfi, die 28 Iunij, Anno 1535.

FRANCISCO REGI  
GALLIE PHILIPPVS  
Melanthon.

Christianissime & potentiissime Rex. Cum  
alijs multis ornamenti pulcherrimum  
Francie regnum longè antecellit omnibus regnis  
totius orbis terrarum: tum hec laus inter p̄r-  
cipias ducenda est, quod doctrinæ studijs cete-  
ras nationes semper uicit, et pro religionis Chri-  
stianæ defensione p̄cipue uelut in statione per-  
petuò fuit. Quas ob causas merito titulum ha-  
bet auspiciatissimum Christianissimi, quo nullum  
in terris p̄econium maius, aut augustius dici po-  
test. Quare gratulor R. M. T. q; etiam hoc tem-  
pore suscipit curam seruādæ Ecclesiæ, non tamen  
violentis remedijs, sed uera ratione, & digna Re-  
ge optimo & Christianissimo. Et in his dissen-  
sionibus utriusq; partis impetus ita moderari stu-  
det, ut explicata doctrina Christiana, & repur-  
gata simul gloria Christi, dignitati ordinis Eccle-  
siastici & tranquillitati Reipub. consulatur.  
Profectò hac uoluntate & his consilijs nihil glo-  
riosius,

riosius, nihil Rege dignius excogitari potest. Ita  
que R. M. T. oro, ut non desinat in hanc curam  
cognitionemq; incumbere. Etsi enim publica  
dissensio alicubi immoderatis, uel etiam malis do-  
ctoribus locum tribuit, tamen à bonis uiris ple-  
raq; patefacta sunt, quæ extare in Ecclesia plu-  
rimum refert. Quanquam igitur cohercenda  
est in malis petulantia, tamē oro R. M. T. ne aspe-  
rioribus iudicijs aut scriptis quorundam sinat se  
adduci, ut etiam res bonas & Ecclesiæ utiles de-  
leri patiatur. Mihi quidem nullæ immoderatae  
opiniones, aut quæ labefactarunt pulcherrimum  
& sanctissimum Ecclesiæ ordinem, unquam pla-  
cuerunt. Quo quidem nihil in terris carius, nihil  
antiquius esse omnibus debet. Atq; ita scio apud  
nos affectos omnes bonos uiros, qui in hoc ipso  
doctrine genere uersantur, in quo & ego uera-  
sor. Itaq; cum accepissem literas R. M. T. Deum  
testor, me, quantum potui, conatum esse & con-  
tendisse, ut statim ad R. M. T. accurrerem.  
Nam mihi nihil optatius est, quam ut pro mea tea-  
nitate aliquid opis adferre possem Ecclesiæ,  
ac in spem optimam ueni, postquam cognoui eam  
pietatem ac moderationem esse R. M. T. ut in  
commune gloria Christi consultum cupiat. Sed  
quanta me difficultates paulisper adhuc remo-  
rentur, intelliget R. M. T. ex Voræo: quæ quidem  
licet moram attulerint huic itineri, tamen anti-

num

mum meū neq; à profectione, neq; à consilijs aut studio tantarum controuersiarū auerterunt. Sed hæc exponet omnia copiosius Voræus. Postremo me R. M. T. commendo, ac polliceor me iudicium meum perpetuò ad doctorum & bonorum virorum in Ecclesia sententiam aggregaturum esse. Christus seruet R. M. T. florentem & incolumem, & gubernet ad communem orbis terrarum salutem, et illustrandam ac ornandam gloriam Dei. Datæ in Saxonia, V. Calendas Septembris, Anno Domini 1535.

**AD SENATVM VEN-**  
**TVM PHILIPPVS**  
*Melanthon.*

**C**V M anno superiore Braccietus mecum, & de studijs optimarum artium, & de religione pleraq; disputatione, facile perspexi, eum non modo singulari eruditione, sed etiam prudentia & grauitate eximia præditum esse. Itaq; magno studio eum complexus sum. Delectabar cum ipsius ingenij uenustate, quam in carminibus suis uissimis scriptis exprimit, tum uero sermonibus ipsius multiplicem doctrinam redolentibus, Sed nescio quod fatū mihi diuturnam eius consuetudinem inuidit. Scitis enim anno superiore domino quodam negotio in patriam statim reuocata

tum fuisse, in quo prædicat se à uobis amanter et summa fide adiutum fuisse. Postquam autem nunc recurrit ad nos, & tot Alpium iuga, ac herciniros saltus, in ipsa brumæ sæuitia emensus est, non obscurum specimen ostendit præcipue erga me bencuolentie, & in nostra amicitia constantie. Quare redditus eius mihi iucundissimus fuit, ac magnopere optabam me diutius eius consuetudine frui posse. Fuit autem mihi periucundum, quod grauissimorum quorundam virorum iudicia æquora commemorauit, de emendatione Ecclesiasticorum abusuum, quæ à nobis profecto non iniusta aliqua cupiditate aut studio contendendi instituta est. Sed initio quidam boni viri prouocati, impudentissimorum quorundam clamoribus, de uenijs Pontificijs, coacti sunt officij ratione purius docere Ecclesiás. Hinc exarsit discordia, quam paulatim incendit aduersariorum sæuitia, tanta autem diligentia causa à nobis acta est, ut semper uim, ac tumultus populares prohibuerimus, ortos etiam propter aduersariorum rabiem oppresserimus, Præterea in doctrina præstitimus debitam fidem, ut abusibus correctis, extaret pura ac Catholica Ecclesiæ Christi doctrina. Scimus semper in mundo disimillima fuisse iudicia de religione, & Diabolum, cum sit hostis Christi, in hoc præcipue intentum fuisse ab initio, ut sereret impias opinio-

nes

nes ac obrueret gloriam Christi. Ac incitat Diabolus curiosa & prava ingenia, ut corrumpant aut conuellant uera dogmata. Hæc pericula Ecclesiæ cùm intelligeremus, magna cura adhibita est, ne extra metas, ut ita dicam, proueheremur. Et si igitur taxamus recens natas falsas opiniones, tamen ueram Ecclesiam defendimus, nec discedimus ab Apostolicis scriptis, nec à Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano, nec quidem à ueteri consensu Ecclesiæ Catholicæ, deniq; illud Tertullianus sequimur, ut rectum esse quodcunq; primum fuit statuamus, posterius uero adulterinum. Si quis autem adeo seculo est animo, ut nihil uitij in Ecclesia hærere putet, nec ambitione, auaritia, superstitione, deniq; non aboli fraudibus uetera instituta mutata aut deprauata esse uideat, is persimilis est ijs, quibus in magnis doloribus mens ægrota non sentit uim morbi. Quis autem ex sanioribus, non ante hanc ætatem deplorauit Liturgiæ abusum, quæ ad sacrilegum questum conferri solet. Diuorum cultus quantulum abest, ab Ethnicis opinionibus & ritibus: Iure queritur Gerson recens autor, ita occupatos esse hominum animos, cura humana tradicionum ut diuina præcepta negligantur. Idem ante hunc deplorauit Augustinus, & tamen post ætatem Augustini, quantus accesbit cumulus traditionum? Nec uero igno-

ramus semper eam esse generis humani infirmitatem, ut nulla etas sit futura sine uitijis, & meminimus præceptum politicum multorum literis ac monumentis celebratum, quod docet publicæ tranquillitati & concordiæ, quædam incommoda condonanda esse, ac uetat, ut Greci loquuntur, malum bene positum moueri, Sed tamen eius præcepti modus etiam aliquis sit necesse est, præsertim in Ecclesia, in qua Deus ueritatem ac doctrinæ puritatem conseruari præcipit, Sicut inquit Paulus. Si quis aliud Euangelium docuerit, Anathema sit. Quamquam igitur quædam morum uitia toleranda sunt, tamen doctrinæ errata quæ tenebras offundunt Euangeliō, quæ idolo latriam pariunt, reprehendi necesse est. Primum igitur à nostris repurgata est doctrina de pœnitentia, reiectæ humanæ satisfactiones, quas sic uocant ut beneficium Christi clarius conspici posset, ac extaret doctrina de ea fide, qua remissio peccatorum accipienda est. Patefecimus & discrimen Legis & Promissionum, quæ sunt Euangelij propriae, hæ res maximæ iacebant obruitæ densissima caligine, in tanta mole traditionum ac labyrintorum, qui extant in scriptoribus, qui commentarios ediderunt in Petrum Longobardum. Deinde emendata est Liturgia, & mos uetus restitutus in Ecclesijs, Nihil temere, nihil nostro consilio mutatum est, sed secuti sumus, non modò

modo Apostolorum scripta, sed etiam ueteris Ecclesiae ac purioris iudicia, & exempla, Reieciimus & diuorum invocationem, ornauimus ueris Encomijs munera politica, ac oeconomica, & ostendimus esse cultus Dei, præcipuos, cum ante & longe anteferrentur nugacissimæ traditiones. Admonuimus quid de indifferentibus ritibus sentendum sit, & quatenus retineri possint. Denique summa nostræ sententia extat in quodam meo scripto, cui titulus est **LOCI COMMUNES**, in quo satis apparet nos tueri ueterem consensus purioris ac Catholicæ Ecclesiae, ac reuocare studia ad ueterem puritatem. Etsi autem profani homines partim derident has nostras disputationes, partim tanquam seditiosas execrantur, tamen nobis ratio nostri consilij constat, ac norunt pijs ac prudentes hæc certamina in Ecclesia necessaria esse, uidentq; diu iam opus fuisse, quorundam abusuum emendatione. Meministis Historiam apud Herodotum. Cum Astyages Harpago filium edendum proposuisset, interrogassetq; miserum parentem, quo animo filij necem ferret. respondisse Harpagus narratur, mihi uero placet, quicquid Rex facit, talis seruitus nequaquam in Ecclesia constituenda est, ut propter tranquillitatem omnia errata illorum qui præsunt, comprobare cogamur, maximeq; eruditis tuenda est in dicenda sententia, seu in docen-

do, libertas. Cumq; unica sit urbs uestra in toto  
orbe terrarum, in qua uera est aristocratia tot  
seculis conseruata, que semper inimica fuit Ty-  
rannidi, maximè decet in eo loco esse libera bo-  
norum iudicia, & improbare iniustam scutiam,  
que alibi in Ecclesiam exerceatur. Quare uos  
quantum possum abhortor, ut ad gloriam Dei  
ornandam, studia atq; autoritatem uestram con-  
feratis, hic cultus Deo gratissimus est.

Intellexi autem isthic circumferri Seruetti  
libellum, qui renouauit errorem Samosateni ini-  
tio Ecclesie damnatum, & labefecit sententiam  
de duabus naturis in Christo, negat in Iohanne  
Verbum significare hypostasin seu personam,  
ut nunc uocant, cum ait Iohannes: In principio  
erat Verbum, & postea, Et Verbum caro factum  
est. Etsi autem extat meum iudicium de hac con-  
trouersia, ac nominatim in locis damnaui Serue-  
ti sententiam, tamen nunc quoq; uos admonen-  
dos atq; obtestandos esse duxi, ut hortatores atq;  
autores sitis, ut fugiant, abiisciant, execrentur,  
impium Seruetti errorem. Scio absurdum uide-  
ri, quòd interpretatur Ecclesia, Verbum esse per-  
sonam seu hypostasin, sed in his cœlestibus dictis,  
non quid concinnum rationi humanæ uideatur  
spectandum est, sed quid certò doceant ac affir-  
ment testimonia diuinitus proposita in Aposto-  
licis

licis scripturis, quæ Seruetus astutè eludit, sed calumniæ præcipue remouende sunt à sacris do-  
gmatibus, Nos, ut decet pios, primum conside-  
remus, quid senserit certò prima Ecclesia. Nam Seruetus iniuriam insignem facit Irenæo &  
Tertulliano, quos fingit sibi patrocinari, cùm Tertullianus disertè instituat questionem, an Verbum sit hypostasis aut significet Patrem co-  
gitantem, aut deliberantem, seu constituentem aliquid. Sæpè autem affirmat Verbum esse hypo-  
stasin seu personam, & allegat prioris Ecclesiæ autoritatem. Irenæus citat Polycarpum auditorem Ioannis, estq; autor in primis purus, is clare affirmat Verbum esse hypostasin seu personam, etiam antequam induit humanam naturam. Extat & Gregorij Neocæsariensis confessio, cuius Gregorij autoritate præcipue refutatus est Sas-  
mosatenus, extant multa alia testimonia Orige-  
nis, Dionysij Alexandrini, qui ferè attigit Apo-  
stolorum tempora. Basilius ait sibi Gregorij Neocæsariensis confessionem, tanquam normam & regulam doctrinæ Ecclesiasticæ fuisse. Inuo-  
cat Ecclesia Christum in quotidianis precibus, neq; hic mos nouis est, sed etiam à Paulo usurpa-  
tus, ut Epistole eius testantur, & habet testimo-  
nia in Psalmis, qui iubent inuocare Dominum il-  
lum promissum, tribuit autem inuocatio, diuinis-  
tatis honorem, cùm agnoscimus eum, quem inuo-

camus omnium pectorū motus uidere, quod non  
est nisi immensæ potentiae ac Dei. Tollit igitur  
re ipsa Scrutus invocationem, etiamsi in speci-  
em retinet. Primum igitur testimonium pri-  
me Ecclesie opponamus, à qua commonefacti  
cōfirmemus etiam animos dictis Apostolicis, quæ  
satis perspicua sunt, si non depraventur cauilla-  
tionibus. Si Verbum in loco illo Ioannis nihil si-  
gnificaret, nisi Patrem cogitantem, non recte  
postea diceretur, & Verbum caro factum est.  
Deinde Ioannes de Christo inquit, In mundo  
erat, & mundus per eum factus est. Constat  
autem mundum non esse per humanam Christi  
naturam conditum, ergo necesse est, alteram na-  
turam in Christo esse, quæ fuerit initio, per quam  
mundus conditus est. Sic & Paulus ad Colos-  
senses clare inquit. Omnia per Christum condi-  
ta esse, eamq; sententiam aliquoties repetit, &  
Epistola ad Hebreos inquit: Per quem condidit  
secula, qui est fulgor glorie & character sub-  
stantiae eius. Quid in his uerbis est ambigui, si  
simpliciter & sine cauillatione accipientur?  
Affirmant conditum esse mundum per filium  
Dei, necesse est igitur in Christo esse alteram na-  
turam, quam Ioannes uocat Verbum. Epistola  
ad Hebreos Imaginem seu effigiem Patris appella-  
lat. Hec apte inter se congruunt, Nam Ver-  
bum est Imago. Hæc etsi extra captum humana-  
ratio-

rationis posita sunt, tamen non propter ea cauillationibus eludenda sunt, immo quo secretiora sunt, eò maior est audacia & impietas conuelere non intellecta, his & similibus testimonij certis ac firmis assentiamur, cum aperte hoc efficiant, quod docet Ecclesia de Filio Dei. Adiuuemur etiam consensu ueteri prime Ecclesiae, ac cogitemus de Dei natura & uoluntate non humanis ratiocinationibus, sed cœlestibus testimonijs credendum esse. In hac caligine mentium humanarum prælucere nobis uerbum DEI debet.

Belligeratur autem Diabolus cum uera Ecclesia, & gloriam Dei obscurare conatur, quibus potest artificijs. Has infidias intelligere pios conuenit, ac stare in procinctu ad tantum hostem depellendum, cum offendere opiniones contra uerbum Dei, cum auellere animos ab illa regula conatur. Sed haec militia paucis nota est. Ideo omnibus ætatibus ab initio mundi passim sparsi & propagati errores sunt omnis generis, ac labi facile est. Cum enim omnium hominum mentes natura ducantur, ut aliquid de religione querant, & tamen negligenter tueantur uerbum Dei, ac libentius assentiantur humanis speculationibus, facile excluditur hominibus uerbum Dei. Quare & in hac controuersia, & in cœtris cauendum est, ne assentiamur cauillationibus

confictis ad eludendum ueram scripture sententiam. Hæc scripsi uerbosius, quam modus Epistole paciatur, sed multò angustius, quam magnitudo caußæ postulat. Verum iudicij mei testimonium uobis significare uolui, nec grauatim de tota controuersia, si quis petet copiosius disputabo. In locis collegi præcipua testimonia ad hanc caußam pertinentia, quibus confirmatæ mentes facile possunt contrarias cauillationes refutare. Porro ut quondam lex Castrensis notabat ignominia, non cum qui gladium, sed qui clypeum abiecerat, quia prior esse cura nostri tuendi debet, quam hostes feriendi, ita in his contentionibus, prior esse cura debet, nostras mentes rectè confirmandi, posterior refutandi aduersarij. Ex Lypſia, Anno 1539.

EPISTOLA AD LECTOREM, DE COLLOQVIO  
VVormaciensi

1540.

**R**enouat mihi colloquij VVormaciensis recordatio acerbum luctum & uerum dolorem, quem cepi ex interitu duorum, quorum ibi recens consuetudo mihi dulcissima fuit, D. Capitonis uidelicet & Simonis Grynæi, qui cum ambo pro-

propter excellentem eruditionem, uirtutem &  
pietatem magno ornamento Ecclesiæ Christi  
fuerint, publica iactura & agnoscenda & de-  
ploranda est. Nihil enim dicam hoc loco de pri-  
uata nostra amicitia, qua fruemur aliquantò post  
multò suauius, cum una cum Christo, Prophetis  
& Apostolis conuersabimur. Grynæus cum ui-  
deret magnum decus esse Ecclesiæ, eruditionem  
magno labore accendere omnium honestarum  
artium studia conabatur, optimos autores uete-  
res edebat ac enarrabat. Erat ingenium capax  
omnium bonarum artium, Sed hæc maior laus  
est, quod non fastidij doctrinam Ecclesiæ, sed  
semper ad philosophica studia lectionem adiun-  
xit Prophetarum & Apostolorum. Capito Ec-  
clesiam & uoce & perpetuis monumentis eru-  
dijt. Sed ut de VVormaciensibus congressibus  
dicam. Eramus eò missi ut amanter & placide,  
sed tamen, sicut præsertim in Ecclesia decet, pu-  
blicè de controuersijs inquisita ueritate dirimen-  
dis conferremus. Ac sperabamus ad futuros gu-  
bernatores colloquij & spæctaculæ, non mutos,  
sed qui contentionem moderarentur, & elige-  
rent sententias ueras ac concordiae utiles. Sed  
dum aduersarij defugiunt publicam collationem,  
& inter se aliquot insulsoſ & flexiloquos arti-  
culos componunt, nobis postea obtrudendos, nos  
ociosi ferè quotidie conueniebamus omnes, ac de-  
singu-

singulis controvërsijs summo candore acerrime  
disserebamus. Ibi memini multa singulorum piè  
dicta, quæ à multis in commentarios relata sunt.  
Sed ut cætera omittam. Ventum erat ad contro-  
uersiam de autoritate Episcoporum & legibus,  
quæ in Ecclesia humana autoritate conditæ sunt.  
Ibi cùm mentio fieret decreti Apostolici, quòd est  
in Actis capite 15. audiebamus, & D. Andream  
Osiandrum & D. Capitonem historica quedam  
recitantes ex Iudeorum monumentis, quæ quia  
non nihil lucis addunt decreto Apostolico, duxi  
hic commemoranda esse. Scio prudentibus om-  
nibus historica grata esse. Et narratio illa con-  
tinet exemplum plenum eruditionis, ortum haud  
dubie à summis Prophetis, Itaq; magno me mune-  
re iudicabam ab utroq; ab Osiandro & à Capi-  
tione donari, cùm ueterem illum ritum, nobis  
ignotum exponerent, dicebant enim Iudeos ue-  
teres florente adhuc eorum politia siquando ui-  
cinam aliquam ciuitatem ethnicam bello cepe-  
rant aut födere sibi adiunixerant, non solitos im-  
ponere uictis Legem Mosaicam aut circumcisio-  
nem, Sed tantùm hec in conditionibus pacis, seu  
formula föderis præcipere, ut deletis Idolis,  
unum ac uerum Deum conditorem omnium re-  
rum, qui se patefecit in uerbo dato populo Israël  
colerent, deinde quia ethnicì scortationem non  
solebant prohibere, & nimium laxarant frenum  
uage

uage libidini, addebatur hoc, ut prohiberent scortationem. Addeabantur & reliqua capita, quæ in decreto Apostolico recensentur, ne rebus immolatis idolo, ne sanguine & suffocatis uescerentur. Nec obscura est ratio de immolatis, noluerunt enim piis ad conuiua & pompas festis diebus eorum, qui idola colebant, accedere, ne societate sua confirmarent impia sacrificia, quæ tunc fiebant. De sanguine & suffocato sumum est præceptum ex historia Nohæ. Nam hunc ritum uetus iorem Moise tradi uicinis Iudei uiatores uoluerūt, ut esset monumentū seuerissimi præcepti, quod Deus Nohæ commendauit, de priuata cæde. Ergo etiam ueteres gubernatores populi Iudaici intellexerunt ceremonias Mosaicas ad suam tantum politiam pertinere, nec esse iustiam, promissionem uere salutis pertinere etiam ad gentes, & has ita placere Deo & iustas esse, si uerum Deum, qui promiserat Semen, in quo benedicendæ essent omnes gentes, agnoscerent, & fide inuocarent, & in moribus ijs legibus obtemperarent, quas omnium hominum mentibus Deus imprestit. Quare Apostoli, quod proprium erat muneris ipsorum, initio pronunciaverunt de ceremoniarum abrogatione, & Iudeos ac Gentes hoc onere leuauerunt. Deinde præcepta de idolis & de scortatione adiici necesse fuit, ut facile intelligi potest, quæ cum essent addenda, usi

da, usi sunt formula usitata ueterum gubernatorum eius populi, à qua minus abhorrebat uicini. Hæc si quis expendet, intelliget longè discrepare exemplum Apostolorum, a consilio Episcoporum, qui postea à se excogitatas ceremonias, cœlibatum, & ciborum discrimina, & quidem tanquam cultus Ecclesie imposuerunt. Hæc historiola ostendit hanc partem in decreto, nec nouam nec ingratam fuisse uicinis. Hæc ut recenserem, admonitus sum recordatione Capitonis, cuius memoria studiosis commendanda est, ut talis uiri mores, pietatem, & studia imitentur. Nec profectò quidquam habeo, quod de eo conuentu relatu dignius iudico. Nam publicæ tridui declamationes, uerius quam disputationes quales fuerint, lector ex hac editione cognoscet. Fortasse prodest extare ἐωλονρασιαν Eccianam eò, ut boni & graues palam uideant, Sophistas illos nec candorem nec studium ueritatis, ad has tantas deliberationes adferre. Audiui Eccium gloriose iactitatem, posse se utranq; partem tueri. Putat de laude ingenij certari, non querit ueritatem, non studet consulere Ecclesie, deniq; in hac causa deploranda erat omnium lacrimis humani generis miseria, quod propter malum originis, hoc præstans natura, primum horribili ira Dei, deinde ingenti mole calamitatum huius uitæ, et morte ipsa oppressa est. Præterea imagine Dei in nobis

nobis deformata, nunc in tenebris & contumacia perpetua contra legem Dei uersatur. Hoc tantum malum isti Epicurei extenuant. Sed hæc relinquo cogitanda pio lectori, cum conferet ue- triusq; conciones. Non arbitror autem quen- quam piuum adeo lentum esse, nouū ἔχολος, ut si- ne fremitu Eccij Sophismata & ineptas uerbo- rum præstigias legere posse. Ludit uocabulis, criminis, culpe, peccati capitalis, conuerrit te- stimonia, quæ scit nihil contra nos facere, deniq; Socratus disputator est, perpetuò suam senten- tiam occultat, tantum hoc agit, ut oppugnet ad- uersarium. Ingenuè dicam quod sentio, sæpè mibi & stomachum & bilem hæ infidiosæ tergi- uersationes, captiones, γοντεῖαι mouerunt, quæ Phormionem aut Pseudolum in Comœdijs, non Theologum in explicatione doctrinæ decent. Hec eò commemoro, ut cogitent studiosi, quan- tum sit periculi cum his sycophantis congregati, sej; ad similia certamina maiore cura prepa- rent, ac primum quidem uera & salutaria Ecclesie dicere studeant, deinde luceat in oratione, tanquam in uultu ingenuitas dicentis, sitq; pro- pria & simplex orationis forma. Qualis Apel- leis est color in tabulis. Hec ut efficaciam conniti me non exigua animi contentione, multi norunt. Eccij uero uoluntatem, longè aliam in hoc ipso congressu fuisse, ipsius declamationes ostendunt,

qui

qui de industria quedam inuoluit, deinde aperte falsa & impia attexit. Nam in postrema peroratione, cum multa insulsa cumulasset, quæ indigna erant responsione, tandem Stentorea uoce clamitans, confirmabat uulgatam sui gregis opinionem, quæ agentes pœnitentiam iubet dubitare, an Deo reconcilientur, iubet hos inuocantes Deum dubitare an placeant, an Deus eorum preces accipiat, ac detorquebat eò dictum Salomonis. Nescit homo an amore uel odio dignus sit. Illi uero Doctores odio digni sunt, qui Salomonis dicto affingunt ethnicam sententiam. Sic Epicurei aut Pyrrhonij loquuntur, odium & amorem Dei incertum esse. Est ne incertum disPLICERE Deo Neronem? Sic in Ecclesia loqui furor est, in qua & conscius sibi sceleris expauescere iram Dei debet, & agens pœnitentiam certò statuere se in gratiam recipi & exaudiri propter filium Dei. Extat uox Euangelij, quæ est promissio condonationis. Additum est iusiurandum. Vix ego, inquit Deus, nolo mortem peccatoris. Extat mandatum ut promissione credamus. Et nominatim fides toties postulatur. Hæc omnia simul obruit & delet opinio Ecciana, quæ iubet dubitare. Quid dicat & uelit Salomon non est obscurum, modo dextrè accipiatur eius dictum. De uarijs euentibus in hac uita differit, ut doceat nos nec efferrri blandiente fortuna, nec frangi animis

atnmis in rebus aduersis, ac de uoluntate Dei non  
ex his euentibus, sed ex alijs testimonijis iudicare.  
Eruditissimum & plenum pietatis præceptum  
est, Sed accidit Salomoni idem quod ille dicebat,  
dextra se præcepta tradere, Sed quosdam audi-  
tores simstra accipere. Hæc eò recito, ut qui  
legent has Ecclesiæ pagellas, admoniti citius depre-  
hendant errorem, ac simul deplorent Ecclesiæ te-  
nebras, in qua tales Pyrrhonæ sententiae ab ad-  
uersarijs nostris defenduntur & confirmantur,  
que Filium Dei manifesta contumelia adficiunt,  
Cogitent etiam omnes pios & ex animo debere  
execrari tam absurdos errores, & querere me-  
lius doctrinæ genus. Hoc studium etiamsi in odio  
est, tamen & Deo, & Ecclesiæ & nobis ipsis de-  
bemus. Scio frustra hæc dici ijs, qui religiones  
iudicant fabulosas esse, & Ecclesiæ certamina  
tanquam facem dissidiorum publicorum exe-  
rantur. Et hac ultima ætate mundi uidemus  
hanc cyclopicam Philosophiam latè uagari, &  
multos habere adplausores. Sed ut Macchabœo-  
rum tempore non deleta est Ecclesia funditus,  
ita scimus et nunc, quanquam atrociter grassan-  
tibus Turcis & domesticis hostibus, reliquias Ec-  
clesiæ Deum seruaturum esse, apud quas hæc piæ  
cohortationes de puritate Euangelijs inquirenda  
& propaganda ualere speramus. Erat exigua  
Ecclesia, cum Filius Dei pendaret in cruce, &

subite tenebræ medio die coelum ac terras inuoluerent, Nec tamen funditus deleta est. Sed iam & Latro & Centurio agnoscunt & prædicant Christum. Ita nos in hac mundi senecta, cum propter eidem opus avicæ & alia scelerata mundum oppresbit ira Dei, tamen clamore nostro aduersus & Nœde laudes Dei & Filij eius Iesu Christi sonemus. Irascamur Epicureis sapientibus, qui derident nomen Dei, Dimicemus cum Turcis qui Filio Dei maledicunt, Refutemus impios sacrificulos & Monachos, qui Idola colunt, nec tribuunt filio Dei iustos honores, non agnoscunt esse Mediatorem, non uolunt eum fide inuocari. Magnum & multiplex bellum iam Ecclesia Dei gerit. Sed scriptum est de hoc tempore: Tunc statabit pro filiis populi sui Dux magnus, qui est filius Dei Victor & Triumphator. Huic nos pijs & ardentibus uotis commendemus, & ab eo auxilium & salutem perpetuam expectemus. Ego hac me consolatione & alias sepè, & adhuc sustento, Quod ex Deo est, non delebitur. Nec uero dubito diuinitus patefactum esse genus doctrinæ, quod fulget in nostris Ecclesijs, Nec sum adeo ferreus, ut solus non adficiar, uel publicis Germaniae periculis, cui iam aduersus exterrum hostem consensu Principum opus est, uel domesticis uulneribus nostrarum Ecclesiarum, que regi melius tranquillis temporibus possent,

Nam

Nam discordia etiam in parte saniore disciplinam impedit. Hæret autem discordia in repub. aduersariorum culpa, quorum durities asperitos scopulos, & Caucasii rupes uincit. Negant enim pacem fore, nisi oppresserint ueritatem, Nostras uero sententias fuisse moderatas, acta publica ad omnem posteritatem testabuntur, Toties flagituimus ueram dijunctionem, toties ipse supplex oraui Potentes, ut saluti Ecclesie consulerent, Sed planè uisus sum, ut in Graeco uersu, ut Nauis quassata procellis supplicare scopolis. Quare Ecclesiæ nostras Deo commendemus, & nostrum officium bona conscientia faciamus, ac precemur Deum, ut & Principum mentes gubernet, qui utrumque curare debent, ut & de Deo ac Filio eius Iesu Christo, recte doceantur homines, & armis patria aduersus barbarum hostem defendatur, qui sauvicam suam non tantum in uulnus exercet, Sed multò crudelius in ipsos Principes, Neque tamen sinet Deus hac barbarie deleri funditus Ecclesiæ, nec quinta Monarchia futura est, Bene Hale.

EPISTOLÆ  
EPISTOLA AD LECTO-  
REM, DE PONTIFICIO-  
rum consilijs & artibus.

NON dubium est Filium Dei concionari de Ecclesia postremi, hoc est, nostri temporis, cum ait uenturam esse afflictionem ingentem, qualis non fuit inde usq; ab initio mundi, nec erit postea. Etsi enim semper Ecclesia non leuibus certaminibus & ærumnis exerceatur, tamen in hac postrema etate duriſſimè quassatur. Nunquam tot ac tam ſæua genera calamitatum concurrerunt. Multis ſeculis penè prorsus extincta Euangeliū luce, magnæ in Ecclesia tenebreſ fueſunt, & græſatæ ſunt non leues ἐιδωλομανιοſ. Has defenderunt Pontifices, Episcopi, & eorum ſatellites, non aliter, quam Rex Babylonius ſue ſtatuæ adorationem tuebatur. Seuitum est in membra Christi, in homines pios qui taxarunt errores. Sicut inquit Daniel, doctos ruituros esse interfectos gladio, flammis, & alijs modis excruciatos. Accedebit ad hoc malum rabies Turcica, que in Afia, Græcia, Illyrico, Thracia, & Ecclesiæ deleuit, & exercebat crudelitatem quantum nulla exerceuit inquam Monarchia. Interim, & ſeditiones domeſtice hærefium paſſim tumultuare ſunt. Ac recens postquam Deus aliquam

Euan-

Eūangeliū scintillam nostris Ecclesijs reddidit,  
quasi omnium certaminum nunc sit epūtasis,  
magis exarsit furor Diaboli. Pontifices se-  
uerunt atrocius, Turci longius progreßi, flo-  
rentissimum regnum Pannoniæ occupant, &  
iam in uestibulo Italie ac Germanie crudelissi-  
mum latrocinium exercent. Paſsim uero in Eu-  
ropa creuit Epicurea factio, quæ singulare ge-  
nus sapientie esse dicit, ridere Deum & diui-  
nam doctrinam. Exortæ sunt alicubi & Ana-  
baptistæ, non multum dissimiles Manicheis, ali-  
cubi & Sirenes, quæ fingunt bellas dogmatum  
corruptelas. In his tantis malis cogitent piij Le-  
flores, qualis sit imago ueræ Ecclesiæ, quæ paſ-  
sim sparsa circumfert Euangelium, agnoscit  
Christum filium Dei, & uerè Deum inuocat,  
Hanc dilacerant, hinc Pontifices, Episcopi, Mo-  
nachi, Anabaptistæ, Epicurei: illinc Turci, &, ut  
Ieremias ait, Expandit Sion manus suas, nec est  
qui consoletur. Ac uerè talis est Ecclesiæ status,  
qualem describit Esaias. Nisi Dominus reliqui-  
set nobis semen, sicut Sodoma & Gomorra eſſe-  
mus. Cum igitur postremæ reliquiae ueræ Ec-  
clesiæ tam uariè oppugnantur, utcunq; intelligi  
potest, cur dixerit Christus, futuram adſlictio-  
nem, qualis nulla unquam fuit. Evidem cohore-  
resco toto corpore, cum cogito euersam à Rege  
Babylonico urbem Ierosolymam, ciues partim

trucidatos, partim abductos, Deinde post reditum, seuiciam Antiochi & Herodis. Postremo etiam Apostolorum & Martyrum ærumnas. Hæ tragediæ omnes, et si fuerint luciuose, tamen si conferantur ad Pontificiam ἐιδωλομονίαν coniunctam cum seuicia, ad fanaticorum deliria, ad Epicureorum βεβαίωτα, cuius contagium latè uagatur, & religionem obruit, demq; ad barbariem & immanitatem Turcicam, quanto grauiora sint hec mala, facile iudicari potest. Hæc eò commemoro, ut pijs Ecclesiæ ærumnas animo reputantes, accendantur ad petendum à duce Christo auxilium, qui nunc haud dubiè mirabiliter cum Diabolicis agminibus rabiosissime furientibus dimicat. Sed nos uocat ad eandem militiam, armat nos, & uult stare instructos, ut suo quisq; loco præletetur, uult pios doctores retinere doctrinæ Euangelicæ puritatem, uult bonos gubernatores adiuuare propagationem ueræ & salutaris doctrinæ, & delere idola, & fanaticorum deliria, uult pios bellatores defendere Ecclesiæ, politias, leges, disciplinam, aduersus Turcicū furorem. Sed ut est infirma et dissipata uera Ecclesia, ita segniter præliatur, multo plures sunt, qui impediunt bonorum uoluntates. Diu Pontifices conati sunt in Germania ciuale bellum accendere, extant enim literæ in eam sententiam ad quosdam Principes scriptæ. Sed Imperator

Carolus

Carolus parci uoluit patriæ, & ut Ecclesiastico more dijudicarentur controuersiæ dogmatum, iussit cogi Synodos, sed Pontifices uident, si pijs & doctis concedant libertatem sententia dicendæ, regnum, & opes, uenire in discrimen. Tentauit igitur Imperator alias uias dissidia compонendi, qua in re laudanda est eius moderatio, & quod ciuilia bella prohibet, & quod deliberationes eruditorum de doctrina instituit, que, et si initia difficultia sunt, tamen aditum faciunt ad emendationem Ecclesiarum. Itaq; gratiam ei propter hanc moderationem debemus, & Deus orandus est, ut eius uoluntatem gubernet. Cæterum quibus consilijs institutæ sint disputationes Ratisbonenses, quis sit autor libri qui propositus est, ut uiam monstraret ad concordiam, ego non planè scio. Voluntatem etiam existimo aliorum non esse uituperandam. Et hoc nomine laudandus est Imperator ipse, quod ita librum exhibuit, ut iusserit collocutores delectos candidè & liberè de singulis locis sententias suas dicere. Quare nos de locis aliquot disputauimus, ut ex articulis nostris, & alijs quæ hic adiecta sunt, intelligi poterit. Nec uero ignoro, hæc tempora, cum uagantur in uicinia Turcici exercitus, qui Germaniæ uastitatem & exitium minantur, flagitare domesticam concordiam, & hanc toto pectori opto, sed profecto magna est impietas, cl-

iuisci homines tot seculorum delicta, obliuisci priuatas cupiditates, & ueros oditorum fontes, qui merentur poenas, & accusare Euangelium, accusare Deum, qui ne funditus periret Ecclesia, pro sua immensa clementia rursus accedit doctrinam salutarem, quam constat penè extinctam fuisse. De hoc tanto munere ingratii homines uno conqueruntur. Hoc iubent nos abiijcere, ut patria defendi possit. Multas Ecclesia ingentes ærumnas perfert. Sed nihil tristius ac acerbius est hac uenenata calumnia, qua deformant eam Epicurei sapientes, qui coelestem doctrinam facem esse dissidiorum clamitant. De hac calumnia queritur in Psalmis ipsa Ecclesia inquiens: Opprobria exprobrantium tibi cederunt super me. Est autem facilis & perspicua refutatio. Nam error ueritati cedere debebat. Sed in hac uita Ecclesia premitur tyrannicis iudicij. Vitam, corpora, fortunas pro communi tranquillitate magno animo adducit in discrimen, sed abiijcere ueritatem non potest. Interea eadem uera Ecclesia præstat politica officia, tuetur ciues, ac socios, dimicat pro patria. Et quidem in hoc agone lucere fidem oportet, adeuntem ingentia pericula, propterea quod adesse Deum optimatorem statuit. Excellit uera Ecclesia magnitudine animi, cum sola intelligat nos ad aliam longè meliorem uitam conditos esse, cum sciat causas

causas ueras communium calamitatum, & didicerit, quam sit pium & gloriosum reprimere diabolum grassantem in impijs, & tyrannicis Imperijs, deniq; cum in exercitu piorum ducem adesse filium Dei norit, destruentem opera Diabolici. Hæc animi magnitudo etiam in pijs mulieribus sèpè conspecta est. Et falso tacitam ignauit se esse Ecclesiæ membra. Deinde nouit Ecclesia politias diuinitus constitutas esse, & amat hunc ordinem, amat omnes coniunctos ciuitibus vinculis, didicit ex Euangelio, nos debere animas pro fratribus ponere, ut Iohannes scribit. His tantis causis impellitur, ut omnibus officijs iuuare ciues & socios cupiat. Non igitur accusari potest Ecclesia, non cœlestis doctrina. Alia sunt que Principes disiungunt, quorum certamina utinam aliquis Nestor dirimeret. Est id quidem fatale malum regnum, ut Poëta dicit:

Nam cætera regna

Luxuries uicijs odijsq; superbia uertit.

Sed si quis putat sanari hoc malum fucosis conciliationibus dogmatum, longè fallitur. Qualia autem sint inuolucra paßim sparsa in librum, prudens lector facile agnoscet. Neq; tamen impedio, si quem delectant hæc Ulyssea artificia, quo minus fruatur. Placere mihi moderatas sententias testantur mea scripta, & mee actiones, ac solco sèpè iocans dicere, me sequi Aristoteli

telis philosophiam, qui uirtutibus omnibus hanc metam constituit, uidelicet μετριότητα. Sed idem Aristoteles graui consilio discernit à mediocritate, seu moderatione, ἐπωνεῖσαρ quam quidem inter uicia recenset. Et sepe captiosa est ironia, ac ut Aristophanes dicit, σούβε δακυδάσσα ωδῷ κύρῳ λιθαργός. Res testatur ipsa, hoc genus doctrinæ quod profitemur, non humana sagacitate patesfactum esse, sed diuinitus iterum Ecclesiæ illuxisse. Deinde constat, in eo propagando piis non leuia certamina sustinuisse. Quæ autem esset ingratitudo, nunc extingue re lucem diuinitus accensam, & confirmare eorum pertinaciam qui crudelitatem in doctores exerceuerunt. Retineamus Dei donum, & ea quæ sunt uera et Ecclesiæ necessaria, moderate, sed tamen ingenuè, propriè & perspicuè dicamus. Plerumq; perspicuitas orationis est signum rectæ & honestæ uoluntatis, tuxta illud Euripiideum, οὐδὲ ποὺ τὸ ταφές. Et profectò in Ecclesijs opus est proprietate & perspicuitate in dicendo, quam qui amant, fugient dicta flexiloqua, qua ha multa sunt in hoc libro. Et admixti sunt aliquot loci aperte pugnantes cum sententia nostrarum Ecclesiarum. Ideo adiectæ sunt respon siones nostre, in conuentu exhibite, quæ uere cundè & moderate scriptæ sunt. Nos cum nostro munere in explicatione doctrinæ, bona conscientia

Scientia fundi sumus, exitus Deo commendemus,  
 qui Ecclesiam cum aduersus Turcicam crudeli-  
 tatem defendet, tum seruabit in alijs tempestati-  
 bus. Haud dubie miranda Dei opera sunt conser-  
 uatio Ecclesiæ, & defensio politiarum. Ideo ab  
 ipso hæc & petamus & expectemus. Ut Antio-  
 chum exigua auxilia, ut ait Daniel, depulerunt,  
 ita aliquando Deus liberabit orbem à Turcica  
 tyrannide mirabili modo.

EPISTOLA AD LECTO-  
 REM DE RATISBONEN-  
 sibus actionibus, Anno

1541.

**E**T si non prorsus noui, quibus consilijs insti-  
 tutæ sint actiones Ratisbonenses, tamen &  
 moderatio Invictissimi Imperatoris Caroli augu-  
 sti grata Ecclesijs & bonis omnibus esse debet,  
 & exemplum memoria dignissimum est, ac ad o-  
 mniem posteritatem pertinet. Constat enim non  
 paucas esse Erinnias, que ciuale bellum accende-  
 re, delere Ecclesijs nostras, trucidare Christi  
 membra & pios Euangelij ministros, extinguere  
 literarum studia, barbariem & uastitatem in Pa-  
 tria efficere conatur. Hos impetus cum reprimat  
 Imperator Carolus, agnoscendum est Dei benefi-  
 cium,

cium, qui eius animum ad mitia consilia flectit,  
et ipsi Imperatori habenda est gratia, quod sue  
potius bonitati, quam alienis odijs, morem gerit,  
quod uetat arma inferri Patriæ, et Ecclesijs, de-  
niq; quod de his controuersijs Ecclesiastico more  
deliberationes instituit. Haec moderatio cum in  
præsentia salutaris est, tum uero magnis Princi-  
pibus ad posteritatem exemplo erit, ut motis con-  
trouersijs, inquirant fontes, audiant bonorum  
et moderatorum iudicia, non statim obtempe-  
rent Pontificum iracundiae, qui dimicant non de  
Euangelio filij Dei, non de salute Ecclesiarum,  
sed de sua potentia, de suis opibus et sua tran-  
quillitate. Moderate Imperator et hoc fecit,  
quod cum librum proposuisset, qui uideretur ad  
concordiam iter monstrare, tamen aequali condi-  
tionem adiecit, ut liberum esset dicere, quod quis-  
que sentiret, eaque que in libro desideraret, bona  
conscientia indicare. Praeclare Ambrosius, in-  
quiens, ad Theodosium Imperatorem. Nihil tam  
in Imperatore amabile esse, quam si libertatem  
dicendæ sententiæ concedat, et hoc inter bonos  
et malos Principes discriminem esse, quod boni li-  
bertatem ament, seruitutem improbi. Addit idem,  
Nihil tam in Sacerdote turpe esse, quam non di-  
cere quod sentiat.

Contulimus igitur inter nos de libro, non so-  
lum placide, sed etiam ingenuè. Et ad ingenuita-  
tem

tem candor pertinet. Autor libri ita attemp-  
rauerat scriptum ad iudicia Pontificiae partis, ut  
si quid nobis largiebatur, obscurè id significa-  
ret, quædam uero palam eripiebat, quædam etiam  
inuoluit ambiguis sententijs uelut ænigmatibus.  
Quanquam igitur quædam in materijs utilibus,  
de quibus nostræ Ecclesiæ necessariò pugnant,  
breuius, aut obscurius dicta erant, quam opus  
erat, tamen in iudicando candorem adhibui, ple-  
raq; præterij, ut aditus ad concordiam fieret.  
Sed cum postea grauiter nos ledi in quibusdam  
libri partibus in loco de Ecclesia, de humanis  
cultibus, de applicatione Cœnæ Domini, & alijs  
quibusdam animaduertissem, cœpi, ut dicam quod  
sentio, metuere insidias. Et manifestas ineptias  
aduersarij adeo duriter defendebant, non ut ue-  
ritas quæri ab ipsis, sed nostræ sententie palino-  
dia uideretur. De me dicam, nec reprehensio-  
nem, seu stulticie seu ineptæ morositatis metuò,  
incandui & ipse, & labefactare quedam absur-  
da cœpi, de quibus articuli sequentes exhibiti  
sunt, communi iudicio trium, qui eramus delecti  
ex nostra parte.

Videram pingi Ecclesiā, uelut regnum poli-  
ticum. Et erant in descriptionibus quædam quæ,  
quanquam fremens, præteribam tamen. Cum uen-  
tum esset ad locum de potestate interpretandæ  
scripturæ, uidi quæ fundamenta iacerentur sta-  
bilicn-

biliendorum maximorum errorum. Tria enim complectitur articulus. Primum humano more constituit in Ecclesia potestatem interpretationis, propemodum ut de prætoria potestate interpretantardarum legum Iurisconsulti loquuntur, deinde addit amplius, non licere priuatis, non paucioribus reprehendere iudicia maioris partis, seu dissentire a suffragijs plurimorum. Hinc efficit postremò, majorum Synodorum sententijs & decretis parendum esse, Inde etiam contendebat Eccius, Synodos que uocantur legitime, non posse errare. Semper ita accidit, ut de Ecclesia homines politici cogitantes, imaginem conceperint humanæ politiæ, seu Regni. In Regno potestas est interpretandæ legis, seu regia, seu prætoria, que tribuitur certis personis, quæ funguntur publicis muneribus, hoc est, uel principi ipsi, uel præcipue iudicū curiæ. Et huic interpretationi obtemperandum est propter autoritatem magistratus, ualent enim magistratum leges ac sententiæ, partim propter probabilem rationem, partim propter autoritatem quā Deus attribuit ordini, uult inferiores horum iudicia, modò non sint absurdæ, priuatis iudicijs anteferre. In Ecclesia longè alia res est. Deponamus paulisper illam imaginem humanæ politiæ, & cogitemus cœtum dispersum qui uerè Deum inuocat, gubernatur a Spiritu sancto, circumfert puram Euangelijs doctrinam.

ctrinam, & inter pericula admirantis Dei operibus defenditur. in hoc cœtu non potest, & est aligata certis personis aut certæ multitudini, sed donum est aliquorum piorum, id est, lumen diuinum, quo intelligunt sapientiam in Euangelio traditam, quæ est supra rationis humanae iudicium posita. Ac ingens interuallum est inter donum, & illam pretoriam potestatem, quæ Episcopis aut Synodis tribuitur. Porro sèpè accidit in instauratione Ecclesie, ut unus, aut pauci priuati renouarint doctrinam, & reprehenderint falsas persuasiones Pontificum, et reliqua multitudinis, quæ dominabatur, ut Elias, Esaias, Iermias, Iohannes Baptista, ab ordinaria potestate, & à multitudine dissenserunt. Et quidem mandatum Dei de confessione doctrinæ cogit singulos rectè sentientes testari quòd sentiunt, & ubi uocatio requirit contra dicere multitudini, & gubernatoribus errantibus.

Sed liber longè aliter pingebat Ecclesie politiam. Nec aliud erat comprobare hanc formam, nisi traducere equum Troianum in mœnia. Primum enim errores quidam non leues recentium Synodorum stabiliti essent, si autoritas eis tribueretur  $\Delta\varepsilon\pi'\lambda\kappa\pi\Theta'$ , eamq; ob causam fatebatur Eccius, se autoritatem Synodorum propugnare, ut articuli sequentes, de quibus sunt cōtrouersiæ, sine certamine obtincri possent. Deinde et

hos

hoc astutè agebatur, si ad sensi essemus, non licere priuatis aut paucioribus dissentire à superiorib. ac pluribus, iam nostra uoce, & nostris suffragijs nos ipsos condonassemus. Cur. n. Lutherus unus errores Pontificum & scholarum attingere ausus est, cur nostræ Ecclesie eum sequuntur, ac non potius tot seculorum, Pontificum & scholarum consensum? Postremò pertinebat hoc præ iudicium ad externas nationes, & ad posteritatem, quæ iure leuitatem nostram reprehensuræ fuisset, si tanta tyrannide armassemus Pontifices. Quanquam igitur uideo tempora domestica pacem flagitare, & natura nimis sum pugnax quam opus est, tamen cum non agam priuatam causam, sed publicam Ecclesie, quid facerem? Ego uero ne quidem in tauro Phalaridis adsentendum esse duco. Hec eò commemooro, ne quis petulantiae aut contumaciæ tribuat, quod repugnauit, et si id uercundè feci. Et uident me hæc non tragicè narrare, qui sciant quam artificiose res instructa fuerit. Nec propterea ueteribus & probatis Synodis autoritatem detrahimus. Semper enim constanter defendimus Nicenum Symbolum, quia & Apostolicæ scripture firma testimonia habet, & perspicue suffragantur uerustiores scriptores, qui testes sunt primæ sententiae in Ecclesia.

Secutum est certamen de abiectione panis in  
Cœna

Cœna Domini, seu ut nouo ipsorum uocabulo utamur, quod uerè est κενοφωνία, de transsubstantiatione. Hic error confirmat falsas persuasiones de oblatione, inancm fiduciam & adorationem spectantium panem in pompis theatricis, extra usum institutum. Et tota Ecclesia ueris gemitibus optare debet, ut tandem Elias aliquis hanc horribilem Sacramenti prophanationem aboleat. Sæpe mihi cogitanti de Turcica tyrannide, & tantis successibus impiæ & obscœnae gentis, uenit in mentem temporum. Decretum de illa panis abiectione factum est in magna Europæ perturbatione, anno post Christi natalem 1315. Eo ipso tempore in Asia dominari hec Othomanorum familia cepit, ac propemodum initia monent, hanc Turciam rabiem ac crudelitatem, peculiarem poenam esse multiplicium delictorum, quæ decretum illud peperit, quod neruus est oblationis, quæstus Missarum, et opulentiae ac luxus sacerdotum. Precedebat reges Persicos equus gerens paruam aram, in qua erant cineres & flammula sacri ignis, quem ceu numen colebant & adorabant Persæ, ut igitur Rex uideretur augustior, & una cum suo numine adoraretur, cum hac pompa prodibat in publicum. Ita nunc Pontifices Romanos antecedit equus gerens panem consecratum, qui ibi uitiose adoratur. Sed hæc alias copiosius. Nunc breuiter recenso,

K nos

nos illam κενοφωνίαν, de panis abiectione, & prophanationem Sacramenti inde ortam, non uoluisse confirmare.

De Pœnitentia, quales labyrinthi, que tenes  
bræ sint in questionibus Monachorum, quantum  
Ethnicarum superstitionum adhuc sit in satisfa-  
ctionibus multarum gentium, constat. Cum uero  
depulsa illa caligine Deus reddiderit nostris Ec-  
clesijs Euangelij lucem, noluimus recipere nouas  
corruptelas rerum rectè traditarum, ut facile  
iudicabit Lector, collatis nostris & libri senten-  
tijs.

Sed ut in acie duces arte distribuunt copias,  
ita materiae libri singulari consilio uariè dispo-  
sitæ sunt. In titulo de Ecclesia liber horribiliter  
execratur eos qui descrunt Ecclesiam. Et hanc  
describit quibusdam uerborum inuolucris, ut  
non statim adpareat, quid moliatur. His funda-  
mentis iactis, quæ sunt speciosa, post longum  
interuallum imponit illam suam ἰδεαρχίαν, id  
est, Regnum Pontificium. Hic primum ostendit, quid uocet Ecclesiam, Alligat. n. eam ad ordi-  
narium successionem Episcoporum, & ad leges  
eorum. Ait esse cœtum, in quo unus sit Monar-  
cha Romanus antistes, dans potestatem docendi  
& administrandi Sacraenta ceteris per gra-  
dus,

āus, hoc est, Episcopis, & deinde inferioribus Sa-  
cerdotibus, & condens leges, ut liber loquitur,  
ad excitandam pietatem, & fulciendam fidem.  
Et addit, vinculum dilectionis à Paulo uocari  
obedientiam præstandam Episcopis ordinaria  
successione regnantibus, & eorum legibus. Ne-  
gat esse Ecclesiam, cœtum non obtemperantem  
huic Monarchæ, & cæteris ordinaria successio-  
ne regnantibus, negat esse ministerium Euange-  
lij & remissionis peccatorum, sine autoritate  
talium Episcoporum ordinaria successione re-  
gnantium. Hæc est ἰδεαρχία, quam pingit,  
& fastigium Ecclesiæ, quam extruit. Et ut  
Virgilij uerbis utar, Hic labor ille domus, & in-  
extricabilis error. In hanc dædaleam domum in-  
troducere nos, quid erat aliud, quam postulare  
confirmationem errorum Pontificiorum, &  
condemnationem nostrarū Ecclesiarum, in qui-  
bus cum luceat uera doctrina Euangelij, certum  
est eas extractas esse super lapidem angularem,  
Filiū Dei, & ut Paulus loquitur, supra funda-  
mentum Apostolorum, & esse Ecclesiam Dei, in  
qua Deus Pater domini nostri Iesu Christi uerè  
invocatur, & perpetuò celebrabitur, Quæ esset  
impietas, condemnare has Ecclesias?

Remoueantur illæ humanarum politiarum  
imagines, Regna alligata sunt ad ordinariam

K 2 successi-

successionem, ut Cambyſi obeditur tanquam legitimo successori patris Cyri, et ſi filius diſimilis eſt patri. In Eccleſia alia reſ eſt. Hæc regitur luce Euangelij, quod cum non retinetur in ordinaria ſucceſſione, ubicumque fulget, ibi amplectendum & ſequendum eſt, ut Christus ait, Oueſ meæ uocem meam audiunt. Deinde in illa dædalea domo tribuitur potefas Epifcopis condendi leges, proponuntur Legum tabulae, de cœlibatu miniftrorum, de uotis, de Miſſarum applicatione, de inuocandis mortuis, de cæteris ſuperstitioſis ceremonijs. His qui obtemperat, ducitur eſſe ciuiſ huius Eccleſiae, cæteros liber execratur, & detracit eis ministerium Euangelij & remiſſio- niis peccatorum. Nolo in hoc ſcripto indulgere meo dolori, qui quidem à multis bonis uiris, iſpis etiam architectis huius ædificij, conſpectus eſt. Quo enim eſſe animo debebam, cum uiderem ſtabiliſi ueteres errores, & nobis cum minimè eō candore agi, quem pios præſtare decet? Habeant ſibi ſuam dædaleam domum, regna, iniuſtas leges, ſuperstitioſos cultus, εἰδῶλομανιας, au- cūpia pecuniæ, luxum. Quid attinet à nobis petere carum rerum adprobationem?

Etsi autem toties iam audimus & legimus multorum orationes ſpecioſe & plauſibiliter concionantes, de ordine, de uinculis bonæ gubernatio-

nationis & disciplinæ, & colligentes incommoda quæ sequuntur, si leges Episcoporum negligantur, si non coercent Episcopi iudicijs & pœnis Ecclesiasticis hominum petulantiam, tam honestissimè semper & grauissimè, & eodem modo respondimus, non belligerari nos cum Ecclesiastica politia. Sed cum Episcopi sinceram Euangelij doctrinam improbent, cum interficiant nostros Sacerdotes, homines pios & eruditos, necesse est nos Regulæ Paulinæ obtemperare, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Deinde quid de iudicijs & morib. nunc declamat. Quas Synodos habent tot iam seculis de doctrina? Quando concedunt pijs & doctis libertatem dicendæ sententiae? Quæ iudicia exercent de moribus? Quales sunt in collegijs mores Canoniconrum? cur ibi silent ipsorum leges & iudicia? Sed illæ magnificæ conciones, de ordine & de disciplina sunt, ut uocat Thucydides, οὐ μακρινὸς τοῖς λόγοις, hoc est, honesti pretextus prauorum consiliorum. Non enim de uera autoritate Episcoporum, hoc est, de ministerij dignitate, & de cura retinendæ puritatis Euangelij, non de emendandis moribus, & disciplina omnium ordinū, sed de stabiendi erroribus, & iniustis legibus dimicant, quæ sunt nerui potentie & opum. Memini multorum sapientum sermones de Ecclesiæ uulneribus, qui agnoscebant doctrinæ

fontes turbatos, & inuestum à Monachis doctri-  
næ genus in Ecclesiam, partim sumtum ex in-  
eruditæ Philosophia, partim ex Pharisæis su-  
perstitionibus, deplorabant Liturgie uicia pluri-  
ma, detestabantur et Regiam dominationem Epi-  
scoporum, & luxum collegiorum. Sed hæc mala  
potius toleranda esse dicebant, quam faciendam  
αὐτοῖς, que sit omnium malorum extre-  
num.

Scio hæc magnifice dici, & gratiam esse  
hanc orationem Regibus. Sed hæc sapientia ni-  
hil ad Ecclesiam pertinet, in qua neceſſe est τα-  
κτικὴ εἰδωλομονια, uel si fractus illabatur or-  
bis. Deinde errant illi de αὐτοῖς. Nunc uerè  
est in ipsorum Ecclesijs αὐτοῖς. Titulus est  
splendidus, ἰδοὺ αὐτοῖς. Ecclesiæ, in qua fingitur  
esse unus gubernator, qui custos sit doctrinæ, le-  
gum & morum, deinde attribuuntur Episcopi,  
uelut ephori, nunquam ab hac specula tuendi  
Euangelij deiſcientes oculos. Hæc ita fieri opta-  
remus, & si fierent, iam illam ἰδοὺ αὐτοῖς seu po-  
litiam Ecclesiæ toto pectore ueneraremur. Sed  
constat totam illam ἰδοὺ αὐτοῖς nūc quidem apud  
ipſos, inane nomen esse, reuera est ἀραια. Do-  
minari Pontifices, Episcopos, prælatos, tenere  
opes, dignitates, interesse Regum consilijs, aut  
frui ocio uidemus. Sed hæc nihil plus ad ministe-  
rium Euangelij, cui seruire debebant, pertinent,  
quam Lycurgi politia.

Noſtris

Nostris literis magis ornata est ministerij dignitas, quam ulti scriptis aduersariorū. Ideo maximè prohibemus ἀναρχίαν. Regnet in Ecclesia uox Christi, præcant gregi Pastores, & ministri Euangelij induit iusticia, ut Psalmus loquitur, hoc est, doctrina, pietate, uirtute, sapientia excellentes, & munere suo diligenter fungentes. In his rebus uera est dignitas. Tales Pastores etiam Canonicam politiam, ut uocatur, facile tuebuntur & sapienter moderari poterunt, ita ut consenserint pijs non iniiciantur laquei, et tamen disciplina retineantur. Illa uero uincula de successione ordinaria, non iniiciant Ecclesiæ. Inde enim postea multa sequuntur. Hunc ordinem Episcoporum ἀναμάρτητον esse, Ea quæ communi consensu probant aut constituunt hi qui titulum gerunt Episcoporum, amplectenda esse tanquam firma dogmata, et uirilæ d'æxæ Ecclesiæ. Denique hæc persuasio, præcipuum uallum est legum iniistarum, & regiæ dominationis ipsorum. Ideo necesse fuit, nos de hoc circumspectius respondere.

Reliqua est extrema pars, que inuocationem mortuorum, & applicationes Cœnæ Domini non disimulanter confirmat, quam partem si quis nostra suffragatione iudicat comprobandam fuisse, & consideret quantum εἰδωλομανίαν toto orbe

terrarum confirmaturi fuissimus. Magnum Ecclæ probrum est impurus cœlibatus sacerdotū. Sed multò plus mali est in Inuocatione mortuorum, & commenticia oblatione & applicatione Missarum, ut uocant. Nec dubito quin præcipue propter has εἰδωλομανιας Deus iratus tam crudeli & fœda Tyrannide Turcica Ecclesiam puniri sinat. Nec ego nunc augere certamina uolo. Scio hic incommoda extenuari, mitigari, tegi, inflecti uerbis. Non adeò sum illiteratus, ut ignorem hæc in malis causis fieri solere. Hæc sunt illa σοφα φάρμακα, & ut Paulus uocat πιδωαλογιου, quæ semper inde usq; ab initio mudi, ueritati tenebras offuderunt, & paulò pōst rursus offundent. Clamant opus esse concordia, pace. Agnosco & semper uota feci, ut rebus tantis uerè iudicatis, concordia constitueretur, dedi etiam operam, ut disertè explicatis sententijs nostris facilius coiret cōcordia, et fuisse meas sententias moderatas, puto multos testari posse. Sed nulla sunt humana pericula tanta, propter quæ confirmari uiciosi cultus debeant, uideo quid dissensio noceat patriæ, et doleo eorum, qui communi animo defendere patriam debebant, uoluntates distractas esse. Sed non minus doleo, conferri causam omnium calamitatum in hoc donum Dei, uidelicet in Euangelij lucem, cum reuera aliae sint odiorum cause.

# EPISTOLA DE SYNO- DIS AD LECTOREM.

**E**T si multi disputatione, utrum expediat Synodus cogere, & pericula atque incommoda colligunt, quæ uideatur allatura, tamen cum in tot conuentibus Principes Germaniae, re diligenter deliberata, Synodum expetuerint, cumq; inuestissimus Imperator Carolus Augustus, censeat Synodum habendam esse, quæ fuerit arrogantia à talibus iudicijs dissentire? Nam hi quoq; ex penderunt & contulerunt inter se commoda & incommoda. Nulla enim consilia magnarum rerum uacant periculis, quæ cum ingens aliqua utilitas petitur, non semper recusanda sunt. Et pleraque ratione regi ac mitigari possunt. Certe id quod de Synodo metuunt, Imperatoris ac cæterorum Principum consilio & fide caueri potest. Neq; uero non uidit incommoda Synodorum uetus Ecclesia, quæ tamen sancte constituit, ut in qualibet diocesi, bis, quotannis Doctores Ecclesiarum conuenirent. Præterea, quoties extiterunt in Ecclesia dissensiones de dogmatibus, inde usq; ab ultimis temporibus Synodos coegerunt, primum Apostoli, postea Principes optimi ac sapientissimi, Constantinus, Theodosius, & alij. Neque uero aut Apostoli aut illi sapientissimi Principes Synodos habituri erant, si existimas-

K S sent

sent eas semper magis ad dissipandas quam ad conciliandas Ecclesiæ facere. Cum igitur hoc tempore multæ ac difficiles controuersiæ de maximis rebus in Ecclesia motæ sint, optandum est, ut exemplum & Apostolorum & laudatissimum Principum imitetur hæc ætas. Idq; uidemus Imperatorem pio studio conari. Nam quod alij disputant, nihil opus esse Synodo, sed armis concordiam restituendam esse, non ualde uituperandum consilium uideretur, si de rebus profanis aut leuibus certamen esset. Nunc eiusmodi causa est, ut concordia ne armis quident constitui possit unquam, nisi prius consulatur conscientijs. Nulla enim potest esse durabilis concordia, si animorum iudicia dissentiant. Nam aliquot articuli corum qui repurgarunt Ecclesiasticam doctrinam, ita certi & perspicui sunt, ut nemo sanus eos in dubium uocet. Tantum Sycophantæ quidam, uentris causa, calumniantur eos, Et continent res necessarias ad pietatem. Tales articuli non poterunt extorqueri bonis ulla fœcacia. Et fac extorqueri posse, quid minus decet in Ecclesia, quam cum manifesta ueritate belligerari? Plato enim ait eas demum Respublicas beatas esse, quæ suum nomen sonantes ipse, consentaneæ appellationi faciant. Vocant autem scripturæ Ecclesiam columnam ueritatis. Illa uero Ecclesia minimè sonat id nomen, quæ manifestam ueritatem

tem delere conatur. Deinde sunt articuli quidam non omnibus pariter perspicui, sed sunt multi boni apud omnes gentes, quorum cum de tantis rebus conscientiae ambigant, acerbissime eruciantur hac dubitatione. His profecto debent consulere pastores Ecclesiarum, siquidem uolunt esse Pastores, non Tyranni. Quid enim fuerit crudelius, quid Ecclesia indignius, quam tales interficere potius, quam sanare? Itaque si unquam antea, nunc maxime opus est Synodo, cum res multae & magna controuertuntur, quarum explicatio & necessaria est Ecclesiae, & flagitatur a bonis omnibus apud omnes gentes. Nec ratio est alia ulla, qua Ecclesijs consult possit. Quod autem Epicurei quidam rident haec negotia, alii securi negant quidquam esse utrum in usitata doctrina, quam & pepererunt, & defendunt Monachi, horum iudiciis impiis & crudelibus reclamant omnes boni. Non enim sunt obscura uota honorum apud omnes gentes, quorum exaudire gemitus, affici lacrimis flagitantium Synodus, Pontifices decebat. Quam horribiliter accusat Deus hos qui ita regnant in Ecclesia, ut ueritate oppressa, bona mentes excrucient & gloriam Christi obruant, nec studeant summis calamitatibus Ecclesiae mederi. Plena est comminationibus in hanc sententiam scriptura. Quare et laudanda uoluntas est optimi Imperatoris, qui remedia publicis

blicis malis querit & orandus est Christus, ut gubernet mentes omnium Principum & Pontificum, ad illustrandam DEI gloriam, & ad resuocandam Ecclesiam ad ueram pietatem. Sæpe antea superioribus seculis Synodi coactæ sunt non de doctrina, sed de opibus Pontificum, quæ etiamsi fuerunt causæ ad publicam concordiam Ecclesiarum retinendam necessarie, non enim repugnamus, nec politiam Ecclesiasticam improbamus, tamen quanto magis nunc opus est Synodo, cum non de paucorum opibus, sed de doctrina, quæ ad omnes pertinet, dissensiones ortæ sunt inexplicabiles, quarū ut nunc Ecclesiæ communib[us] uotis expetunt cognitionem ac dijudicationem, ita palam etiam flagitare aliquando incipient. Ac Cæsar[is] quidem uoluntas optima satis cognita est uniuersæ Europæ, & poterit in his sequentibus narrationibus perspici, Nec defuturi sunt utilitati publicæ in Synodo, nostri Principes, ut eorum responsio testatur. Sed in multis locis, saeuitia tanta nunc exercetur in pios, quæ quidem quotidie exasperatur, ut uix quidquam moderati Ecclesiæ expectare ausint, Verum res est, ut dici solet, in Dei genibus. Ab hoc petant omnes p[ro]ij ardentibus uotis, ut suam Ecclesiam respiciat ac restituat, & sanctificet eam uerbo suo. Hæc cùm precamur, Pontificem habemus Christum, idem pro sua Ecclesia rogantem

tem à Patre, Sic enim inquit: Sanctifica eos in ueritate: Sermo tuus ueritas est, Cum huius Pontificis uotis, nostra uota, nostras preces coniungamus. Neque uero dubium est quin huicmodi precibus Deus faueat. Bene uale Christiane Lector.

EPISTOLA PHILIP:  
PI MELANTH. DE SEIPSO  
¶ de editione prima suorum  
scriptorum.

**E**xcusatione stulticie nihil est ineptius. Sed est ingenui animi præsertim in artibus agnoscere errata, & fateri uel ingenij imbecillitatem, uel negligentiam, ut alienis exemplis admonita uiuentus, diligentius consideret in studijs, quò quasi manus dirigenda sit. Addam igitur ipse censuram huic editioni scriptorum meorum, in qua non solum puerilia studia recitabo, sed etiam exponam quedam de mea uoluntate in Republica, & quo consilio ediderim libellos Theologicos.

Postquam utcunq; didici Grammaticen Latinam à Ioanne Hungaro Phorcensi, uiro docto & honesto, Græcam à Georgio Simlero, qui postea ius ciuile magna cum laude professus est, missus sum

sum puer adhuc in Academiam, ubi cùm adoles-  
centibus nihil publicè traderetur præter illam  
garrulam Dialecticen, & particulam Physices,  
quia didiceram uersiculos connectere, quadam  
auiditate puerili cœpi legere Poëtis, & ut po-  
stulat res, adiuixi historiarum & fabularum lec-  
tionem. Hæc me consuetudo paulatim deduxit  
ad autores ueteres. Ab his cum sumerem uer-  
ba, & tamen de stylo nemo quicquam moneret,  
& nos adolescentuli sine delectu omnia euoluc-  
remus, imò magis recentia, ut Politiani & simi-  
lia quædam amaremus, oratio mea quasi colorem  
inde ducens, magis hos refert duriores & hor-  
ridiores scriptores, quam ueterum uenustatem  
& nitorem. Ideò etiam siebat, quia non intermi-  
si illa qualiacunq; ΟΙΛΟΟΦΘΡΙΩ, quæ cùm  
celeriter percepisssem, uel exhausisset potius, ui-  
deremq; ab ijs qui tradebant non intelligi, pro-  
pterea quòd ociosi in scholis & in umbra, non  
Rempub., non forum, non Ecclesiasticas pugnas-  
illas uiderant, nec legerant oratorum prælia,  
cœpi ipse mecum animo querere de usu præce-  
ptionum.

Eo ipso tempore primùm editi sunt libri Di-  
ialectici tres Rodolphi Agricolæ, quos mihi re-  
cens excusos Oecolampadius, quem doctrina, pri-  
dentia & pictate excellentem, non secùs ac pa-  
trem colebam, donauit. Horum lectione non eru-  
diebar

diebar tantum, sed etiam excitabar, ut in orationibus Ciceronis & Demosthenis argumentorum formas diligentius considerarem ac distinguebam. Qua ex re utrumque adscquebar, ut & orationes illas melius intelligerem ac legerem libenter, & usum præceptionum perspicerem.

Cumq; seu natura, seu fato aliquo ad hanc scholasticam militiam traherer, & docere prius alios cœpisset, quam ipse didicisset, impulsus sum a commilitonibus, ut ea quæ in familiaribus colloquijs differentem audierant, ederem. Ita nati sunt libelli Dialectici & Rhetorici, casu magis & quodam iuuenili studio, quam re satis cogitata. Si quis autem meminit, quales labyrinthi actricæ fuerint in Dialecticis, qui tunc soli legebantur, quanta inscitia non solum linguarum & historiarum, sed etiam earum artium, quarum talis erant ornati Præceptores, is, si de studijs rectè iudicat, fatebitur tunc quidem emendationem scholarum fuisse necessariam, quam utinam illi ipsi censores nostri, qui nunc nos accusant, aut instituissent ipsis, aut melius gubernassent.

Ac si illa aurea ætas, quam tunc reflorescentibus utcunq; literis sperabamus, secuta fuisset, fortassis letiora, nitidiora, & scholis gratiora scripsisset. Sed fatalis discordia, quæ postea secuta est, & mea studia conterruit, & ut fert tempora

temporum moesticia, tristiorē & quasi lugubrem habitum orationi nostrae circumdedidit. Nec uero nunc de fontibus Ecclesiasticorum dissidium dicam. Scio nos ab inimicis accusari, aduersus quos mihi quidem per facilis est & simplex defensio. Fateor exortis dissensionibus me comitem & fuisse & esse eius partis, que res ueras & Ecclesiæ necessarias patefaciebat. Dux esse, ne quidem per etatem potui. Sed aduersari pijs & salutaria docentibus non uolebam, nec iam aliter sentio. Legimus Dionysium Tyrannum petuisse in coniugium, Principis uiri Locensis Aristidæ filiam, quam cum pater negaret se tyranno daturum esse, aliquantò post Dionysius conficto criminè, interfectis Aristidæ liberis, interrogat an nondum pœnitiat eum consilijs, cum filiam ipsi despondere noluit. Hic Aristides ingenti robore animi, et si, inquit, magno dolore afficior, crudeliter necatis liberis, tamen me recti consilijs non pœnitit. Ita et si uidimus, quantam ruinam etiam quarundam bonarum rerum tra= xerit ciuilis discordia, tamen mei mei consilijs non pœnitit. Heret discordia, non nostra culpa, sed scelere illorum, qui illucescentem ueritatem ferre nequeunt. Deinde illos ipsos rogo, ut de fontibus non disputem, ut cogitent, solere fatales mutationes omnibus rebus humanis accidere, que humanis consilijs caueri non possunt. Satis bene nobis-

nobiscum agi putemus, si sapientia et moderatio-  
ne mitigari possunt, cumq; non contingit ὁ θεός  
δύριας πλάσε, ut dicitur, decebat illos sapientes,  
non iracundia, odijs, pertinacia augere pub. dif-  
ficultates, sed tentare δύτερον πλάση, & sua  
æquitate lenire incommoda, & sanare Rempub.  
Cur cum Ecclesie fuerit opus emendatione, de-  
inde cum iam aliqua ex parte mutatio inciderit,  
non dant operam, ut saluti omnium gentium re-  
ctè consulatur? Sed desino de aliorum uoluntati-  
bus disputare, de me dicam.

Me nec opum, nec honorum cupiditas ad so-  
cietatem horum certaminum in Ecclesia impulit.  
Et me in his tantis motibus, cum honestæ uolun-  
tatis, tūm uero etiam actionum, consiliorum &  
scriptionum rectorum atq; utilium conscientia  
consolor. Collegi in duobus libellis, in Locis  
Theologicis, & in commentario Epistolæ ad Ro-  
manos doctrinam Ecclesiarum nostrarum, quam  
profecit optarim sinceram & incorruptam ad  
posteros propagari. Nec iudicia Epicurea moror  
illorum, qui quia Euangeliū arbitrantur esse  
fabulosum, nolunt errata Ecclesiarum reprehē-  
di, nolunt inquire doctrinæ fontes. Nam Cy-  
clopum sapientiam toto pectore & odi, & abo-  
minor. Iudico unam esse de Deo & uoluntate  
diuina ueram doctrinam, quæ in Ecclesia Dei  
extitit, inde usq; ab initio conseruatam in libris

Propheticis & Apostolicis, & probatis testimonijs Ecclesiæ proximæ post Apostolos. Hanc doctrinam calendam, descendam & propagandam esse sentio. Sentio item multa esse in recenti Monachorum doctrina, non dissimulanda errata. Quare cum partem scholastici laboris sustinem, collegi non solum magna sedulitate, sed etiam cura & fide rerum summas, quas inclusi his libellis, in quibus mihi non uolo ignosci, si quid imest erroris. Vsus autem sum Dialectico quodam filo in explicandis dogmatibus, non eò tantum, quod hæc forma expeditior est, & facilius res comprehendere talibus metis intelliguntur, sed etiam quia quæ propriè & perspicuè dicuntur, moderatissimè dicuntur. Sperabam autem fore, ut aliquando rerum optimarum perspicuitas & evidenter uocata, & moderatio aditum ad communem concordiam patefacerent. Durabiliora sunt & etiam certiora, quæ propriè dicuntur, si modò uera sunt, quam ambigua & intricata. Prodeesse igitur nostros libellos propriè scriptos pijs iudico, nec studium HERVAGII amici nostri improbo, qui edendos esse putauit.

Ne tamen arrogantius uel de his uel de alijs meis lucubrationibus sentire uidear, hic iterum testor, ut sœpè alias testatus sum, me non defugere iudicia piorum & eruditorum toto orbe terrarum;

varum: deinde me Ecclesijs nostris candidè per-  
mittere iudicium de omnibus meis sententijs &  
actionibus. Ac sentio Ecclesiam Christi esse no-  
stras Ecclesias, & pios ubicunq; terrarum iudi-  
cio & uoluntate cum nostris Ecclesijs con-  
iunctos. Quædam sunt breuiora in his, de quibus  
dixi, quam res postulat, que si uita erit longior,  
explicabimus. In cæteris Theologicis quid pro-  
bem, ex eo libro cui titulum feci Locorum, æsti-  
mari potest. Quædam enim si adfuisse editio-  
ni, summouisset. Nihil dubium est librum Gene-  
seos omnium scriptorum Propheticorum erudi-  
tißimum esse. In hunc uix sunt incoatæ enarrati-  
ones, in quibus tum quidem etiam senibus pla-  
cebat discrimen Legis & promissionis Euange-  
licæ, sed paucae sunt & exiguae pagelle, cum hic  
liber multò copiofiorem enarrationem flagitet.  
In Ioannis Euangeliū, quam tenuis est lucubra-  
tio. Sunt & sententiae recentes collectæ προ  
σει πνευματικῶν, quarum aliquæ in illis autori-  
bus qui citantur, sunt suppositicie. Hæc & simi-  
lia quædam mallem omissa esse. Memini olim Tu-  
bingæ Lempum nobis pingere in tabula Trans-  
substantiationem, ut uocant. Mirabar insulsa-  
tem hominis tum quoq; neq; iam uelim citatis  
notis sententijs, titulo Cypriani, aut Ambrosij,  
aut Theophilacti, confirmari abusus Sacramenti.  
Comperi miram fuisse audaciam et impudentiam

describentium ueteres libros, qui ut imponerent  
in doctis, multa de suo adscriperunt pugnantia  
cum autoribus.

Quod autem sœp̄ optaui, ut aliquando au-  
toritate seu Regum, seu aliorum piorum Princi-  
pum conuocati uiri docti de controversijs omni-  
bus liberè colloquerentur, & relinquerent po-  
steris firmam & perspicuam doctrinam, idem  
adhuc opto. Meas sententias fuisse moderatas,  
& consilia συμβασικὰ, ad communem con-  
cordiam accommodata, multi nōrunt. Sed tamen  
idem nolim ambiguis & fuscis moderationibus  
restitui errores, & confirmari sc̄uitam nostra  
suffragatione. Queratur cōcordia salutaris Ec-  
clesiae, non ut ille, qui conditiones flexiloquas  
Antiocho scripserat, ut dimium nauium ei relin-  
queretur, postea dissectis nauibus aceruum dimi-  
diatum reliquit. Nec adeò uel historiarum uel  
uitæ communis ignarus sum, ut non cogitem, qui  
fuerint exitus multorum præstantium uirorum  
in dissensionibus ciuilibus, aut in imperijs tyran-  
norum. Scio sc̄uitum esse in Prophetas, in filium  
Dei, & Apostolos, sœp̄ etiam exempla extra Ec-  
clesiam considero, Theramenis, Demosthenis, De-  
mades, Phocionis, Callisthenis, Ciceronis, & alio-  
rum innumerabilium, qui in bonis causis oppres-  
si sunt. Verūm huius nostræ militiæ hoc propri-  
um est

um est munus, non solum suscipere honesta & necessaria certamina ad cœlestem doctrinam patefaciendam, sed etiam habere paratos animos ad perferendas ærumnas, quæ hanc militiam comitantur. Sit causa honesta & Ecclesiæ necessaria, exitus uero Deo commendentur.

Hæc pauca, cum dicendum esset, quos libellos probem, adieci de mea uoluntate, quam quidem spero multis cognitam & perspectam esse. Altera pars est scriptorum, quæ Philosophicas materias continet, quam satis apparet non ostentationis causa editam esse. Nullus enim libellus est integer, aut absolutus. Quidam amici ex Italia ad me scripserunt, quosdam doctos uiros mirari, cur tales nugas publicari sinam. His respondere soleo, non in Typographos culpam deriuas, ne quidem in ingenij imbecillitatem, et si hos uerisculos de me sœpè recito :

Inuida me spacijs natura coercuit arctis,

Ingenio uires exiguaeque dedit:

Sed alia causa est, cur has scholasticas materias agito, quia qui in scholis regunt iuuentutis studia, hos necesse est has disputationes proponere. Non est nobis hic finis nostrarum commentationum propositus, ut uelut olim panegyrici audiente tota Græcia in publicis conuentibus recitabantur, ita nos ad ostentationem eloquentiae, aut

doctrinæ nostras lucubrationes edamus, sed utili-  
tati scholasticorum seruimus, ac fui, quantum po-  
tui, & bortator & adiutor, ut adiungeret iu-  
uentus ad doctrinam Christi Philosophie studia,  
non illius garrule & lutulentæ, sed purioris, ui-  
delicet Mathemata, Physicen & Ethicen, & si-  
ne eloquentiæ exercitijs, et linguarum cognitio-  
ne lumen habere hec tam multiplex doctrina  
non potest. Ideo uictustos scriptores utriusq; lin-  
guæ multos enarrauimus, multa decerpsumus, quæ  
uidebantur ad excolendos & erudiendos inge-  
niosos prodeesse. Id fecissem accuratius, si plus es-  
set ocij. Nec succensebo, si quis ea, quæ desiderat,  
deesse arbitratur propter ingenij mei tardita-  
tem, quod etiam iniurijs fortunæ & aularum de-  
bilitatum est. Sed tamen res ipsa ostendit, quædam  
Physica nitidius & Ethica rectius à nobis expli-  
cata esse, quam olim tradebantur. Mc quoq; pau-  
latim usus, ut fit, erudit. Diu et consilium Aristoteli-  
& accommodationem Geometricæ propor-  
tionis ad iusticiam distributiuam in quinto Ethicæ  
corum ignorauí, donec uiderem eandem à Platone  
aliquantò illustrius traditam esse in quinto de  
legibus. Solet enim Aristoteles multas uenustas fi-  
guras à Platone mutuari. In eo loco Aristotelis  
etiam Græci commentarij consilium autoris non  
exponunt, non uident eum partiri omnem in uita  
communicationem in duo genera, in rerum com-  
muta-

mutationem, in qua querenda est summa aequalitas Arithmetica proportione, & in societatem cum hominibus seu personis. In hac societate, in legendis magistratibus, in discernendis omnium hominum gradibus priuatim & publicè tuenda est proportio Geometrica. Nec sine labore dijudicauit sectas, & ostendi quomodo ad doctrinam Ecclesiasticam haec Philosophica cōserenda sint. Quanquam autem aspiciens interdum editos libellos ipse multa desidero, tamen minus me pœnitet horum laborum, cum cogito inscitiam & ignauiam superiorum annorum. Memini cum legeremus unā Oecolampadius & ego Hesiodum, meq; admodum adhuc adolescentulum invasisset mirifica quedam cupiditas intelligendi cum cæteros locos de ortu & occasu stellarum, tum uero eos uerficulos in quibus ait: Quadraginta dies latere Pleiades, neminem fuisse in magna frequentia, præter unum Stoferum, qui nos adiuuare posset. Nunc cum adolescentia ad ueteres autores, ad ueram Philosophiam reuocatur, haec omnibus scholasticis nota & decantata sunt. Magnum decus est Ecclesiæ eruditio. Deinde ne possunt quidem ab ineruditis explicari difficiliores controuersiæ, in quibus non satis est res ipsas mediocriter tenere, sed etiam forma quadam et methodo, genere uerborum & dexteritate quadam in explicando opus est.

Hæc cùm defunt, sàpè optime sententie corrum-  
puntur aut obruuntur. Nec raro accidit illud,  
quod est in Horatij admonitione: Amphora cœ-  
pit institui, currente rota, cur urceus exit? Nec  
illud de nihilo est, quòd seu Plato, seu Socrates  
ait, se si quem nactus sit, qui recte partiri, distri-  
buere & coagmentare membra causarum posset,  
eius se utri ceu Dei uestigia affectaturum esse. Si-  
gnificabat enim Plato in graibus causis maxi-  
mè necessariam esse illam eruditam explicandi  
rationem, quam profectò sine uera Philosophia  
nemo assequi potest.

Cum autem Ecclesiasticarum controvær-  
sorum magna sit uarietas & difficultas, optandum  
est, ut hæc studia floreant, & cœlesti doctrinæ  
prudenter adiungantur. Et gubernatores Rei-  
pub. suis consilijs & autoritate sua iuuentutem  
ad hæc studia coniungenda adigere debebant.  
Quantulum enim nos in scholis, nisi à superiori-  
bus ordinibus adiuuemur, efficere possumus? Ma-  
gna etiam paucitas est doctorum, qui in utroq;  
genere elaborant.

Hæc scribenti mihi dolor acerbissimus re-  
nouatus est, quē ex interitu SIMONIS G R I-  
NÆI uiri optimi & doctissimi accepi. Hic enim  
felicissimè copularat cum toto orbe artium, non  
solum doctrinam Christi, sed ipsam etiam pietà-  
tem, qua accensus ardebat studio iuuandæ Eccle-  
sie &

siae & rei literariæ, eruditissimè disscrebat, & de rebus diuinis, & de omnibus Philosophie partibus, docebat & accendebat ad eadem studia alios, instruebat nos libris optimis, ac fontibus artium. Tali uiro, tali gubernatore studiorum amissus, ingens detrimentum Ecclesia accepit.

Precor autem Deum Patrem liberatoris nostri Iesu Christi, conditorem rerum omnium, ut publica optimarum artium studia ipse gubernet ac prouehat, cum uerè sint ipsius munus, & sint suppellex Ecclesie necessaria, donet idem ac seruet idoneos doctores. Cum autem certum sit uerè diligi Ecclesiam à sposo Christo, à Patre cœlesti, qui Filium pro nobis uictimam fieri uoluit, non dubitemus fauere Deum laboribus eorum, qui artes Ecclesie utiles excolunt. Et hac confirmati sententia, maiore animorum impetu in hæc studia incumbamus, ac à Deo auxilium ac defensionem expectemus, etiam si Monarchæ & Principes hæc tanta ornamenta uitæ, Ecclesias ipsas & doctores negligunt. Fortitudo & animi magnitudo custos est cæterarum uirtutum. Quare nobis quoq; in optimarum artium studijs & hoc curriculo ueræ uirtutis, opus est fortitudine, ne frangi animos temporum difficultatibus sinamus. Minatur Ecclesijs nostris & huic toti nationi excidium & uastitatem Turcica bar-

baries, que iam in aditu Germaniae ingens belum parat, & prorsus, ut Daniel prædictis, publicis edictis maledicit Filio Dei, & molitur cædem sanctorum. Difficile est in tanto terrore, in tanto periculo communi aliquid spei retinere: uerum me consolatur id, quod idem Daniel inquit, de hoc ipso extremo tempore. Stabit magnus Dux, uidelicet filius Dei, pro filijs populi sui. Nunc et si iam puniri Εἰδωλομανιαὶ finit, tamen seruatrum esse uerae Ecclesiæ reliquias non dubito, ad quas, ut propagentur bonæ artes, nobis omnibus eò magis nunc annitendum est, quò atrocius illa barbaries minatur, se ueram religionem & nostra studia deleturam esse. Utinam Deus Monarchs etiam nostros exuscitet ad reprimendos immanissimos hostes, ac ut Psalmi uerbis utar, doceat digitos eorum ad prælium, & ad liberandam patriam. VVitebergæ, Anno 1542.

EPISTOLA DE EDI-  
TIONE LOCORVM THEOLO-  
gicorum, & de necessitate & utilita-  
te Methodi.

**C**V M in docendo magnopere profit, tenere summas rerum ordine & ratione distributas, & in methodum contractas, collegi & ego preci-

principios locos doctrinæ Christianæ, eosq; quos arbitrabar maximè ad pietatem alendam conducere, & in uita & exercitijs piorum usum habere, deniq; qui extare in Ecclesijs & in concionibus inculcari maximè debent. Ac non solum curiosas & inutiles questiones præcidi ac fugi, sed etiam in reliquis locis, quos explicandos esse putavi, optima fide ac simplicitate sine Sophistica, res ipsas quantum potui, exposui. Nam & ipse abhorreo, ut qui maximè à præstigijs illis disputationum, quæ cum multa colligunt inextricabilia, perplexa, paradoxa, absurdæ, prodigiosa, tantum perturbant conscientias, non docent.

Etsi autem hoc unum fuit meum consilium, ut de rebus necessarijs colligerem doctrinam Catholicæ Ecclesiæ Christi, uidelicet que traditur in Apostolicis literis & receptis scriptoribus Ecclesiasticis. Tamen hic præfandum duxi, me libenter Ecclesiæ Catholicæ, hoc est, pijs, doctis & peritis omnibus permittere iudicium de omnibus lucubrationibus meis, quemadmodum enim Paulus præcipit, ut unusquisq; norit modum fidei sibi datum à Deo, ita cum mea mihi imbecilitas non planè sit ignota, neq; antea sine autoribus de ullo dogmate pronunciaui, neq; Ecclesiæ iudicium unquam affernabor.

Nec uero nouum est exemplum, methodos doctrinæ Christianæ informare. Nam et apud Gra-

cos Damascenus, & apud nostros Longobara-  
dus huiusmodi scripta reliquerunt: quibus gra-  
tiam & celebritatem summam hoc unum pepe-  
rit, quod methodi magno studio expetuntur. Ita-  
que uidemus eos uel primæ classis scriptoribus  
anumeratos esse. Extiterunt & ante hos hu-  
ius generis libelli, enarrationes Cypriani & alt-  
orum in Symbolum. Et nonnulli non inconcinnè  
Augustini sententias collegerunt de singulis, in  
libello cui titulus est, De fide ad Petrum. Extat  
& uetus scriptum Origenis, περὶ ἀρχῶν, cui  
hunc titulum fecit, propterea quod præcipuos  
locos Christianæ doctrinæ, ibi serie quadam di-  
sponit & explicare conatur. Ad hæc Paulus  
quasi methodum quandam informat in Romanis,  
accuratissem disputatione de causa peccati, de usu  
legis, & de beneficio Christi: quod sit proprium  
Christi beneficium, quomodo consequamur re-  
missionem peccatorum & reconciliationem.  
Sunt initio & symbola hoc consilio condita, ut  
extaret breuis quedam summa doctrinæ Chri-  
stianæ, in qua locos ad pietatem necessarios, tan-  
quam simul in una tabula propositos, conspicere  
& complecti homines possent: nam hæc una est  
ratio utiliter docendi. Quare non sum autor  
noui exempli in Ecclesia.

Sed illud ualde angit animum meum, quo  
magis opus est methodo, quo audius omnes stu-  
diosi

diosi omnibus æstatibus hæc eis aγωγας & expe-  
tiuerunt & exceperunt, eo maiore consilio &  
religione scribi debebant. Quid enim difficultius  
est, quam explicare dilucide grauiſſimas religio-  
nis controuersias? Quid periculosius, quam in  
tanta iudiciorum uarietate rectissima diligere?  
Quid proclivius, quid tam homini proprium  
quam labi & hallucinari, & non raro specie re-  
cti decipi? Quid quod ſæpe etiam recte ſentien-  
tes, tamen in explicando quaſi ſui obliuiscuntur,  
nec ſatis commode dicunt quod uolunt. ſæpe  
cedunt oneri, nec poſſunt quod ſentient expo-  
nere. Inde cum poſtea imperiti opiniones parum  
commodas hauriunt, plurimum oritur ſcanda-  
lorum in Eccleſia. Hæc ſciunt me non fruſtra  
queri, qui cum iudicio ueteres scriptores legunt,  
quorum uix ullus eſt, in quo non interdum uel  
perſpicuitas, uel diligentia deſideretur. Quam  
multi occurruunt loci, de quibus cum iſpis auto-  
ribus, ſi literet, colloqui cuperemus, & corān  
diſerte ſcificitari, quid ſenſerint, quos habuerint  
autores. Præſertim autem in hoc ſcripti genere  
in methodis, quam multa non obscure taxantur.  
Quoties iugulatur Origenes in libro προὶ ἀρ-  
χῶν? Longobardo ne quidem iſpius alumni pe-  
percerunt, & quedam iure reprehenduntur.

Itaq; cum tantum & difficultatis & peri-  
culi ſit, componere methodum, ſæpe mihi uenit in-

mentem, id non unius hominis opus esse debere, sed Synodi, in qua doctissimi & optimi viri, re communiter deliberata, de omnibus ijs articulis, de quibus sepe oriuntur controversiae, & quedam in ipsis dissimilitudo est, diligenter iudicarent, & integrum doctrinam religionis ederent.

Quod Plato inquit, Principes rerum publicarum præcipue hoc efficere debere, ut ciues & beati sint, & inter se amici. Ad hunc optimum Ecclesiæ statum nulla res afferret plus momenti, quam si talis aliqua pia ac simplex extaret forma doctrinæ, graui autoritate scripta: hæc enim & ambigentes animos sanare, & concordiam ac tranquillitatem Ecclesiæ restituere, & in posterum munire posset. Huius summi inter homines beneficij autores, non solum Episcopos, sed etiam summos Principes esse decet, ut & gloriam Dei ornent, & omnium gentium saluti consulant, præsertim cum sine ope ipsorum res tantæ perfici nequeat. Nec uero dubito, quin ut quisque Princeps prudentissimus atq; optimus est, ita uebementissime afficiatur Ecclesiæ cladibus: neq; enim sunt aut obscure, aut ita leues, ut sine summa acerbitate doloris considerari possint.

Veteres quidam morbi hærent in Ecclesia non dissimulandi. Constat. n. quosdam insignes articulos doctrinæ Christianæ diu iacuisse obrutos

tos densissima caligine, ex qua, postquam euolui  
experunt opera quorundam doctorum & bo-  
norum virorum, statim suscepta est passim inusi-  
ta sævitia, & indigna lenitate Ecclesiastica.  
Neq; tantum trucidantur boni & docti viri,  
confirmantur abusus, sed omnino extinguntur  
studia doctrinæ Christianæ. Hinc orta dissen-  
sio, cum alia infinita parit incommoda, tūm hoc  
principiū, quod locum præbet, ut sit, alicubi in-  
doctis, seditionis & fanaticis hominibus, qui &  
nefarias theomachiae spargunt in Ecclesia, & de  
rebus ciuilibus falsas seruit opiniones, et pernicio-  
sas religioni ac ciiali hominum societati, planeq;  
transformant religionem in quandam horribi-  
lem barbariem. His tantis malis profecto decet  
bonos & sapientes Principes idonea remedia  
quærere. Quid quod etiam posteris præstare Ec-  
clesiam debent? Que quidem, nisi ratio mea-  
tur, ut pia & certa doctrinæ forma ad posteros  
propagetur, infinitis modis dilacerabitur.

Extat apud Xenophontem breuis quedam  
ac plena grauitatis atq; animi Laconici concio  
Archidami, qui collapsam ac pene deploratam  
Spartam, uirtute sua restituit. Hic ante id præ-  
lium, quo maxime iterum erexit patriam, cum in-  
structa acie, iam signa canere iuberet, his uerbis  
adhortatur exercitum: ἐγδρες πλιται, νῦν  
ἀγαθοί

ἀγαθοὶ γένουμενοι, ἀναβλέψωμεν ὅπθοις ὅμηροις,  
 μαστίρ, ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὸν πατρίδα. O generosam uocem, & dignam Rege Spartano & Agesilai filio, qua testatur magnos & fortes uiros debere maximas dimications suscipere, ut posteris saluam Rempub. tanquam certam sedem relinquant. Quanto magis decet sic affectos esse Christianos, & Principes, & doctores, ut cupiant posteris relinquere Ecclesiam recte constitutam ac tranquillam. Nec uero ullius rei cura potior & antiquior esse magnis uiris debet, præsertim ijs, qui sedent ad gubernacula, qui utinam in tantis Ecclesiæ calamitatibus aliquando sibi hanc honestissimam uocem subiçiant: ἀναβλέψωμεν ὅπθοις ὅμηροις,  
 ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὸν ἐκκλησίαν. Id uero non potest effici, nisi ritè explicata doctrina: nam uiolenta consilia nec sanant ambigentes animos, nec prosunt ad constituerandam durabilem tranquillitatem. Et quanquam cohæcenda est petulantia, & sæueris exemplis puniendi sunt, qui serunt aut amant impia dogmata, aut seditiones excitant: tamen uidendum est, ne pariter sine discrimine exerceatur sæuitia in bonos & malos.

Sed ut redeam unde digressus sum. Evidem maximè opto, ut de aliqua integra methodo Synodus aliquando deliberet. Sed cum hoc tempore

pore uiderem in tanta uarietate disputationum  
atq; opinionum, imperitis quasi regiones mon-  
strandas esse doctrinæ Christianæ, eosq; præmu-  
niendos esse contra pernicioſas atq; impias opi-  
niones, coëgi hos locos in compendium, bono stu-  
dio, & quantum potui dedi operam, ut ordinem  
& uiam ad docendum accommodatam adhibe-  
rem, meq; in ipsa methodi ſequa diligenter inclu-  
ſi. Quod ut faciam, etſi etiam ingenij infirmitas  
me cogit, tamen habeo aliquam conſilij mei ratio-  
nem. Quanquam enim ſunt nonnulli excellenti-  
bus ingenij prediti, qui uelut Phidias tribuit  
ſtatuis, non ſolum aptam harmoniam membro-  
rum, ſed etiam dignitatem & amplitudinem: ita  
& ipſi ad methodum adiungunt ſplendorem &  
lumen orationis, ad illuſtrandum rerum magni-  
tudinem: Tamen hæc felicitas per paucorum eſt.  
Ego meo me pede metior, ac ſatis agnoſco me, di-  
uina illam Phidiae formam atq; idem effinge-  
re non poſſe, ac facile patior me inter koponā-  
θę & minutorum operum figulos numerari.  
Quare maiori cura ac studio illa artis uestigia  
conſector. Scio multos alios delectari liberis de-  
clamationibus, & has angustias methodi fugere.  
Sed plerique dum ſibi indulgent, ſepe à ſcopo de-  
errant. Et dum multa extra cauſam magna uoce  
ſonant, manuq; tota, nihil certi lectorum docent.  
Illam uero licentiam Academico more diſputan-

di, maximè odi, quam sibi sumunt nonnulli, qui et rectè tradita ab alijs calumniosè deprauant ac euertunt, & sine lege, sine delectu, sine autoritate ueteri, quicquid libet, dicunt, Quod de Tantalō inquit Euripides: ἀνόλασον ἔχε γλωττας, οὐχὶ λόγον, profecto in Theologo turpisimus est morbus linguae petulantia. Meminisse nos decet, quo in theatro uersemur, iudicem habemus Christum, spectatores Angelos, auditores infirmos, quorum animi facile sauciantur.

Ideo & religionem ac fidem, quam debemus rebus sacris, præstare studui: & ne res alioqui intricatas magis etiam inuoluerem, adhibui proprietatem in explicando quantum potui. Eamq; ob causam usitatis in Ecclesia uerbis usus sum, et interdum à scholis uerba quædam mutuatus sum quæ sunt condonanda temporibus. Ceterum de di operam, ut sermo esset perspicuus, non admissi peregrinas disputationes. Etsi enim ita statuo, eos qui non sunt instructi liberali eruditio ne, non satis idoneos esse ad exponendam religio nis doctrinam, & in plerisq; locis quædam ex alijs literis assumenda sunt, interdū conferenda quædam sententiae religionis cum Philosophia. Tamen ut in alijs rebus, ita hic quoq; modus gratiissimus est. Adiuuemur ab alijs artibus in his ipsis rebus illustrandis, in instituenda œconomia, seu,

seu, ut ita dicam, in ipsa ædificij forma delinie-  
da. Nam indocti ne possunt quidem res intricæ-  
tas aptè distribuere, sed sœpè miscent non cohæ-  
rentia, aut diuellunt coniuncta: nec semper ui-  
dent, quid sit in controuersia, ubi configendum  
sit. Ad hæc pleriq; loci collatione Philosophiæ  
fiunt illustriores. Neq; tamen confundenda sunt  
artium genera, non obruenda est doctrina Chri-  
stiana alienis disputationibus. Ego etiam, ne  
prolixior essem, parcus quam licuit, delibavi  
quædam ex literis. Paulus uult eos, qui tradunt  
doctrinam religionis esse διδαχὴν οὐκεῖ, quod  
profecto nemo præstare potest rudis aliarum li-  
terarum. Itaq; et si sunt aliæ præstantiores uir-  
tutes, pietas, usus uitæ, experientia certaminum  
spiritualium, prudentia, tamen impudentes sunt  
hi quoq; qui cum se interpretes doctrinæ Chri-  
stianæ esse profiteantur, non dant operam, ut ad-  
iungant liberalem eruditionem, quæ non solum  
ornamentum est Ecclesiæ Christianæ, sed aliquid  
ipsi doctrinæ lucis addit.

Ac planè dignos odio esse censeo Anaba-  
ptistas, & si qui similes sunt, qui in eruditam  
quandam & barbaricam Theologiam in Eccles-  
iam inuehere conantur, & contendunt nullis  
literis opus esse. Quare omnia confuse sine arte  
dicunt, nullam adhibent antiquitatis notitiam,

nullam collationem ex alijs disciplinis. Atq; hi suum habent theatrum: uulgas enim quia natura odit artes, gaudet earum dignitatem eleuari. Verum hæc persuasio non solum officit studijs litterarum & ciuili uitæ, quam tuentur cæteræ artes, sed etiam nocet religioni. Nam eruditio non solum hoc nomine prodest, quod acuit iudicia, quod docendi formam monstrat, sed conducit etiam moribus: nam ut quisq; eruditissimus est, ita diligentissime magnitudinem rerum animo metitur, quod curam & sollicitudinem rectè docendi auget. Contra inscitia negligentiam in bonis alit, confirmat in malis audaciam, qua nulla maior est Ecclesiæ pestis. Multò enim confidens uociferantur & pronunciant mali, ubi autoritatem sibi arrogare sine doctrina possunt. Quare omni contentione censeo incitandos esse ad iustum discendi rationem, & ad uera studia cum religionis tum aliarum optimarum artium, omnes qui utiliter seruire Ecclesiæ cupiunt. Inuitantur autem ingenia exemplis, iuxta illud Hesiodicum, ζελοῦδετε γείτονα γείτων. Itaq; et si mea scripta non sunt perpolita, tamen ut nihil aliud prestem, certe methodus monere lectors potest ad res tantas exponendas, alijs etiam literis atque artibus opus esse. Vale.

IOACHIMO II. MAR-  
CHIONI BRANDENBURGENSI,

Electori, paranti expeditionem in  
Hungariam.

ET Reipub: gratulor, V. C. mitti ad patriæ  
atq; huius Reip: defensionem, & V. C. gratu-  
tulor hanc mentem, quod à Deo auxilium & sa-  
lutem petit. Christus ait: Quicquid petieritis  
Patrem in nomine meo dabit uocis. His freti  
promissis oremus Deum propter Christum &  
gloriam sui nominis, ut C. V. gubernet, tueatur,  
ac defendat, & feliciter reducat uictores, reie-  
ctis ac deletis immanissimis hostibus. Id precari,  
id orare & pro nostro Imperatore clementissimo  
atq; optimo Principe, & pro V. C. & uniuerso  
nistro exercitu conuenit. Etenim cum omnes  
omnium gentium historias, populorum mo-  
res, militiam, domesticam aut castrensem disci-  
plinam, res gestas atq; imperia colligo & consi-  
dero, inuenio nullam nationem extitisse, in qua  
plus fuerit impietatis, crudelitatis, flagitosarum  
libidinum, denique immanitatis in omni genere,  
quam in Turcis. Alij reges ac populi ita gesse-  
runt bella, ut postea Respub: legibus, moribus  
& religione ornarent. At Turcæ nullis iustis  
de causis bella mouent, gerunt crudelissimè, post-

quam uicerunt, religiones, bonos mores, & totam ciuilem disciplinam tollunt, & deuictas nationes ad miserrimam & foedam seruitutem redigunt. Itaq; sciat Cels: V. bellum iure & mandato Dei, tanquam aduersus saeuissimos homines gerendum esse. Ipsi enim iam inferunt bellum tot seculis, & in lege sua Mahometica id profitentur, se hostes esse omnium gentium. Itaq; tanquam latrones depelli debent. Magna consolatio est, quod mandato Dei cogamur illos depellere. Hac consolatione confirmet se C. V. & meminerit Deum adiuuare nos, cum ea gerimus quæ iussit nos, ut ait David: Reuelo Domino uiam tuam, & ipse faciet. Sed nolo esse prolixior. Extant enim libelli de hac re diligenter & accurate scripti & lectu utiles. Si C. V. uenerit ad patrum principem Moguntinum, queso ut me ei commendet, eiq; meis herbis gratias agat pronauita opera in pacificatione summo confilio & summa fide, ac polliceatur ei me quod antea etiam feci, summa diligentia, ubicunque erit occasio, Ecclesiæ concordiam quæsturum & dissensiones mitigaturum esse. An\*

no 1542.

PRIN<sup>o</sup>

## PRINCIPI PALA= TINO.

**F**ortassis hoc genus literarum quod ad Principes mittimus, putant quidam ambitione tantum scribi: Ego profecto uerissimo animi dolore cogito de Principibus, pro eis uota facio, & adolescentes ad gubernationem rerum accessuros, incitare uero studio ad uirtutem cupio. Etsi enim in tanta confusione rerum humana- rum semper pauci boni Principes fuerunt, tamen etiam pauci generi humano salutares esse solent. Possem omnium etatum exempla recitare. Cum Romanum Imperium dilaceraret, Antonius, Le- pidus, Dolobella & alij multi, tandem moderatio Augusti reddidit orbi terrarum quietem. Sed presentia uideamus. Quoties iam tumultu anti- bus cæteris Germanicis ducibus, exitiales motus sedati sunt, moderatione fratrum Palatinorum Ludouici & Friderici. Gaudeo autem ex ani- mo laudari indelem tuam, uirtutis studia, & mo- res honestissimos, ac precor Deum æternum Pa- trem liberatoris nostri Iesu Christi, gubernato- rem honorum Principum, ut te seruet incolu- mem, ac efficiat ut olim Reip: feliciter presis, ut Ecclesiam Christi ornes. Quanquam autem hora- tatores tibi non desunt, tamen & ego cum non possem non adfici cura patriæ, hortandum te esse

M 4 duxi,

duxī, ut hunc cursum uirtutis, quem Deo duce  
inchoasti urgeas. Diuina res est gubernare cœ-  
teros. Ad hoc tantum munus magna cura ani-  
mus preparandus, & ingentia præmia Deus gu-  
bernatoribus pollicetur. Rursus quām horribi-  
liter irascatur cum ignauis, tum sceleratis Prin-  
cipibus, historiarum exempla ostendunt, quæ  
quidem legere iam te hac ætate prodest, ut ui-  
deas quantum decus sit imitari bonos. Sæpè au-  
diui narrantem Capnionem, adeò fuisse audiū  
historiarum Palatinum Philippum, ut contexti si-  
bi integrā seriem Monarchiarum à Rudolpho  
Agricola curarit, qui aulam Heidelbergensem  
diu secutus est. Tunc enim Monarchias descri-  
ptas ab Herodoto paucissimi norant. Te uero ad-  
hortor præcipue ad sacræ historiae lectionem,  
quæ doctrinam maximè utilem gubernatoribus  
continet, nec ulla pars est uitæ, cuius non imago  
aliqua proposita sit in consilijs, actionibus &  
euentibus Principum, quos sacri libri recitant.  
Hac de re copiosius alias ad te scribam, si literas  
meas tibi non ingratas fuisse intellexero. Bene et  
feliciter uale. Anno 1542.

Philip; Melantr;

MAGNO, DVCIMEN  
GAPOLENSI.

ET

ET ex literis tuis amantissimè scriptis, & ex  
 grauiſſimo Arnoldi sermone, qui tuarum li-  
 terarum humanitatem uerbis subsecutus est, be-  
 neuolentiam erga me tuam singularem cognoui.  
 Quanquam autem nihil mihi accidere gratius ac  
 honorificentius tali tuo uel studio uel iudicio po-  
 test, tamen hanc tuam uoluntatem magis Reip:  
 literariae, quam mihi priuatim gratulor. Nam  
 cum his ferreis temporibus, literæ publico tu-  
 multu quasi conterræ, interitüræ uideantur,  
 nisi studia earum rursus excitent isti, qui rerum  
 potiūtur, maxime mihi uoluptati est, existere ali-  
 quem uestri ordinis, qui studiosos homines, & ut  
 Poëtæ uerbis utar, tristes hac tempestate camœ-  
 nas, respiciat. Neq; enim dubito quin studijs  
 nostris ea tribuas, quæ mihi tribuenda esse duxi-  
 sti. Proinde et si mihi in hac misera fortuna lite-  
 rarum gratum est habere ueluti aliquem Mecœ-  
 natem, tamen hoc multò iucundius est, quod pu-  
 blicum honestarum artium ac studiorum patro-  
 cinium suscipere mihi uidearis. Atq; hanc meam  
 de te opinionem literæ tue nunc confirmarunt.  
 Pepererunt autem anno superiore doctissimi  
 sermones tui, cum me ad colloquium familia-  
 riſſimè accersiuſſes, ubi facile intelligebam, te  
 hec studia literarum, non adductum inani ambi-  
 tione, complexum esse: sed quia statueres nem-  
 nem sine hoc instrumento ad Rempub: bene ge-  
 rendam

rendam idoneum esse. Ego igitur hactenus  
tuorum studiorum libenter memini, eaq; publicè  
prædicavi. Nam ut extaret huius mei de te iudi-  
cij testimonium, dedicavi tibi commentarium in  
sententias Salomonis scriptum, qui propediem in  
lucem edetur. Tu uero quod facis, omnibus in-  
genij atq; animi uiribus in hec studia ad quæ sa-  
pientissimo patris consilio adhibitus es, incumbe.  
Nullum enim ornamentum uestræ nobilitati ho-  
nestius est, quam perfecta doctrina. Et si uerum  
est quod scribit Plato, natura inter se cohæcere  
& cognatas esse, magnam potentiam & sa-  
pientiam, profectò potentiam sine sapientia  
retinere nemo potest, neq; sapientia sine ha-  
rum artium cognitione, in quibus uersaris, per-  
fecta esse illa potest. Quare hanc doctri-  
nam existimes ad regendam Rempub: non modo  
utilem, sed etiam necessariam futuram esse. Hæc,  
quanquam mihi tua & uoluntas & aſſiduitas  
nota est, scripsi tamen ut currentem hortarer,  
perinde atq; ille apud Homerum ait: ὅτρων  
αὐτεύδοτα. Nihil autem in omni ratione discen-  
di utilius est styli exercitio. Hic est, ut inquit Cris-  
cero, optimus ac præstantissimus dicendi effector  
& magister. Neq; uero tantum ad locupletan-  
dam sermonis copiam conduceit, sed habet aliant  
longe maiorem utilitatem, quod iudicium acuid  
ac format, mentemq; excitat, ut multò altius in-  
trosſis

trospiciat omnia, quam solent isti, qui stylī usum nullum habent. Non consilia autorum, quos legis plurimos atq; optimos, non sententias penitus intelliges, nisi scribendi exercitium ad lectionem adhibueris. In exemplo tuo lineamenta quædam comparent, ex quibus conjecturam facio, plurimum te facere posse, si hanc exercitationem non remittas. Est enim sana oratio tua, nihil habens inepiarum, ut fere possit Attica dici, quo ego genere orationis plurimum delector. Sed hec conuenit Arnoldum domi monere. Ego adductus magnitudine amoris, ulterius prouochor quam decet. Quare te rogo, mihi ut ignoscas, si videor iusto loquacior, & ut pro tua summa humanitate constantiaque, benevolentiam qua me complexus es retineas, neq; met amorem abijcas. Vale feliciter. Ex VViteberga, postridie Barholomei, Anno 1548.

FRANCISCO OTHONI  
ET FRATRIBVS EIVS TRI-  
bus Ducibus Brunsuicensibus &  
Luneburgensibus &c.

S. D. Pulcherrima res est hic ordo cœlestium motuum, qui uices efficit gratissimas animantibus omnibus, die Solem reducens, nocte quietem conce-

concedens, Vere terram rigans, ut semina decipiatur, ac fœcunda fiat, æstate calorem augens, ut maturescere fruges possint. Sed non minus miranda est pulcritudo ordinis politici, si quando bonus Princeps eum moderatur. Nam hic cœtus hominum conciliat, & assuefacit, ut Deum celebrent, uirtutem colant, ament castos mores, erudiant iuuentutem, defendant, ac iuuent iustos, reprimant malorum furores. Talis gubernator & imago Dei est in terris, & ab ipso æterno Deo custoditur ac iuuatur. Hic satellites habet, non hos toruos Cares, qui sectantur uulgas Principum, sed angelos Dei ministros. Horum agminibus stipatos esse pios Principes certum est. Et si autem tales Principes rari sunt, ut ille dixit, omnium bonorum Principum imagines in uno annulo sculpi posse, tamen aliquos existere seu summos seu mediocres necesse est. Ac fuisse in Heroico genere uestro tales credo Othones, Lotharium natum in agris uestris, & alios quosdam. Sed hodie quanta est paucitas? Eo maiori laude dignus est Pater uester, qui uirtute, pietate, modestia, continentia cæteris Principibus antecellit. Ad id decus & filios educat ac instituit. Quare eniti uos omni contentione decet, ut uoluntati patris obtemperetis, & officiatis, ut olim ingenia uestra, mores, exempla luceant in gubernatione, & uos & totam societatem ciuilem ornent.

nent. Cogitate è regione quām tetra & exēcranda res sit Princeps talis, quales fuerunt Caſigula, Nero & ſimiles, contaminiati parricidijs & omni genere turpititudinis, qui inter homines, non ut Icones Dei, ſed ut furiæ Diabolicæ uerſati ſunt, & totam rerū naturam ſuis ſceleribus polluerunt. Oro autem Deum Patrem libe- ratoris noſtri IESU CHRISTI, maximè amantem bonos Principes, ut uos gubernet, & efficiat ut uoſtra uirtus ſalutaris fit olim Eccleſiae & patriæ. Ingenti gaudio adficio, cum au- dio uere celebrari aliquem Principem, ac rurſus nullum mihi triftius eſt ſpectaculum, quam uide- re quosdam malis moribus preditos, qui ſunt pe- ſtes Eccleſiae & rerum humanarum. Ideo uere & ex animo opto, ut DEVS perpe tuō uobis adſit, uos regat ac ſeruet. Bene ualete.

## ADAMO CAROLO IN- CLYTI REGIS FERDINAN- di &c. Consiliario &c.

S. D. Priuſquam iter ingrederer, ad conuen- tum Haganoensem profecturus, aliquoties me hortatus eſt SEVERVS uir optimus, ac pu- blicæ pacis & Eccleſiaſtice concordiæ cupidif- simus, te ut in Comitatu Regio ſalutarem, ac pol- liceba-

licebatur te autoritatem tuam ad eam rem, quam  
unam præcipue in uotis habeo, uidelicet ad Ec-  
clesiarum tranquillitatem & disciplinam con-  
stituendam, singulari studio collaturum esse. Ego  
uero gaudebam quasi faustum omen mihi ostend-  
di, cum audirem te & quosdam alios præstantes  
uiros non abhorrere à pijs consilijs. Sed me in iti-  
nere oppressit sœuissimus morbus, quo cum re-  
tentus sim, accidit, ut prius ad te Seuerus literas  
nostras adferat, quam ipst̄ te uidere potuerimus,  
& ueras coram audire & reddere uoces. Cum  
enim antea me Seueri oratio accendisset amore  
tui, rogaui discedentem, ut tibi narraret me ami-  
citiae tuae cupidissimum esse. Evidem non igno-  
ro, quo in loco, in qua causa uerser. Sed profecto  
in his nostris certaminibus semper & expetini  
prudentem dijudicationem, & eò direxi quasi  
manum, ut si unquam aliqua de pace actio insti-  
tueretur, uiam moderandarum controuersia-  
rum ostenderem. Res necessarias & colligere et  
simplicissime explicare conatus sum, semotis alijs  
quibusdam horridioribus questionibus. Hanc uo-  
luntatem & hoc studium Deo placere non dubia-  
to. Spero etiam alicubi bonos uiros hoc meum  
consilium uidisse, & tacita suffragatione com-  
probasse. Tuam uero censuram adeò non defu-  
gio, ut maximè optem tibi penitus intimos sinus  
pectoris mei introspectos esse, quos quidem inge-  
nue ti-

nue tibi aperiam, si quando colloqui res conce-  
det. Interim & me & hunc amicum nostrum  
Seuerum tibi commendo, teq; rogo, ut in aula  
cum adiuues ac tucaris. O ferream etatem, in  
qua talibus uiris non patet aditus ad Principes.  
Eruditio tanta est Seueri in optimis disciplinis,  
ut magno usui eius industria esse possit. Ad hanc  
adduxit excellentem uirtutem, diligentiam in  
omni officio, ac plane Senatoriam grauitatem,  
cuius tantum decus est, ut ei reuerentiam apud  
homines honestos ubiq; pariat. Dicam uere  
quod sentio. Sepe intuens cum quo ad una fui-  
mus, ingenui dolens talis uiri uirtuti non re-  
spondere fortunæ benignitatem, et si ipse quidem  
magna æquabilitate animi has difficultates per-  
fert. Sed cum habeat opus ualeitudinis præsidij,  
magnopere te adhortor, ne ei desis. Quam sit  
honestum & dignum eo loco quem tenes, iuuare  
bonos & doctos uiros, optime perspicis ipse. Et si  
autem scio te uirtute ad benefaciendum impelli,  
tamen iucundum est aliquem ex eius ingenio fru-  
ctum percipere, cui benefeceris. Scis autem scri-  
pta Seueri, neruis & puritate eximia constare.  
Quare eius ingenium uoluptati tibi fore non  
dubito. Leges scripta de ijs rebus quæ geruntur  
a summis Principibus, in quibus & tui nominis  
memoriam complectitur. Meministi autem illud  
Pindaricum, Crescere uirtutem prædicatione  
corum,

corum qui res gestas scribunt, ut arbores crescunt uerno rore. Ac præcipue à doctis fouendi sunt hi, qui in hoc genere ualent. Quare amabis, defendes & iuuare studebis Seuerum uirum optimum, ingenio & eruditione excellentem, ea quæ in re iudicabis te gratum facturum esse non tantum ipsi Seuero, sed multis doctis & bonis uiris in Germania, Ioachimo Camerario, & plerisque alijs, qui ea beneficia, quæ in hunc conferes, ad se pertinere iudicabunt. Bene uale. 20. Septemb: Anno 1540.

AD ANDREAM FRAN<sup>C</sup>  
CVM CAMICIANVM I. V.  
Doctorem in Academia  
Lipifica.

S. D. Meministi quæ fuerit utriusq; etat, quæ studia, quæ temporum tranquillitas, cùm primùm inter nos amicitia contracta est, cuius auspicia cum fuissent mihi iucundissima, (Amanbam enim ingenium tuum, doctrinam & candorem, & alebatur benevolentia multis tuis officijs) nunquam eam deleri ex animo passus sum, et si propter temporum iniuriam minus frui nostra coniunctione potui, nihil de Repub: ad quam referri eruditorum sodalitia debent, colloqui licuit, In qua et si semper moderatas sententias dis-

xi, & scripsisse me utilia uniuersae Ecclesie spe=ro, tamen ne quid tibi periculi à me oreretur, ni= bil de communibus negocijs tecum disputau. Velim igitur existimes proximam tuam episo=lam per mihi gratam fuisse, in qua incrant notæ uetusti amoris erga me quasi rursus accensi, & uoluntatis erga Rempub: optimæ. Magnæ mihi uoluptati utrumq; fuit. Nam & amicitiam no= stram uolo perpetuam esse, & magnopere opto ut coniunctio aliquid etiam utilitatis Reip: ad=ferat. Ac priusquam de tua quæstione respon=deo, paucis præfari libet. Scio magnam esse in=ter sapientes iudiciorum dissimilitudinem, de ea mutatione Ecclesiarum, quæ à nostris inchoata est. Nec ego iam de querelis stultorum loquor. De sapientum iudicijs sèpè mecum dissputo, quo=rum alijs hunc statum retineri posse diffidunt propter Cæsar's arma, alijs etiam si tranquillitas speranda est, tamen non probant doctrinam, pro=desse putant ritus ueteres, tanquam uincula hu=manitatis & boni ordinis. Nollent nos à cæte=ris nationibus disiungi. Arbitrantur etiam hanc tanquam pedagogiam esse ad pietatem, nollent quædam excusari ad augendam reverentiam re=ligionis & nominis Ecclesiæ. Alij dissipata Ec=clesiastica harmonia, & remotis Episcopis, ue=rentur secuturam esse barbariem in studijs, ty=rrannidem in imperijs, existimant nullam fore nec

concionatorum nec Iurisconsultorum autoritatem. Deniq; longè prospiciunt & exempla colligunt, quæ clades secutæ sint similes mutationes. Hæc eò scribo breuius, quia arbitror quosdam istic esse magnos uiros, qui hæc sæpè declamitant. Nec ego ferreo sum animo, fateor me his sermonibus sæpè moueri. Nec Lutherum ipsum, et si est Achillea natura, arbitreris aut hæc non uidere, aut non posse hos ingentes animi impetus cohibere. Ille uero & uidet quanti fluctus excitati sint, & si quis alius maximè animum in potestate habet, Sed difficultatibus & periculis omnibus si non sumus Epicurei, necesse est nos anteferre mandatum Dei, quod præcipit, ut omnes pīj in Ecclesia rectæ doctrinæ propagacionem adiuuent, & monet summum Dei cultum esse σωτηρίαν τοῦ θεοῦ. Nec dubitemus quin Deus, ut sclet Ecclesiam mirabiliter regere, exitum gubernaturus sit, ac datus mentem Cæsari aliam, quam isti optant, qui eum ad crudelitatem accendunt, Qui quidem nunc, et si tot Erinnyes eum ad bellum hortantur, tamen non uenit hostili animo in Germaniam. Deliberationes habebit de sarcienda concordia Ecclesiæ, quas utinam Deus regat & adiuuet, Non uult præbere ciuilem sanguinem sorbendum Pontificibus. Cætera incommoda que obiiciuntur de disciplinæ dissolutione, de barbarie secutura, non

non eò obijcunt Canonici & eorum amici, quòd  
sic sentiant, sed opibus suis & uoluptatibus me-  
tuunt. Præcipuum uinculum est disciplinæ ue-  
ra doctrina Euangelij & ueri cultus. His resti-  
tutis disciplina facile retinetur. Quales enim  
sunt mores in ijs locis ubi dominantur Pontifi-  
ces, quæ periuria, libidines, tyrannis, quanta im-  
puritas, nemo ignorat. Deinde si fuerimus anni-  
xi, ut scholæ floreant, conseruantur literæ, &  
ret inebunt solidè docti autoritatem. Et quoni-  
am illi qui secùs sentiunt, uideri uolunt uiri po-  
litici, cogitent quo se qualem ipsi statum Ecclesiæ  
defendant. De quibus rebus dimicant? Ne uo-  
luptates sacerdotum interturbentur, ut confir-  
metur εἰδωλομανία. Nec studia illi conseruant.  
Hoc arte agunt ut uastitatem in scholis effici-  
ant, Nec solum metuunt sincera Euangelij stu-  
dia, sed omnes literas. Quia uident honesta in-  
genia mediocriter exculta literis, ne posse qui-  
dem arceri à Thologicis studijs. Deinde fingae-  
mus florere cæteras disciplinas, & Germaniam  
uincere Athenas ipsas, tamen Ecclesiæ opus est  
alio doctrinæ genere. Id certè conantur delere,  
quantum possunt Epicurei Pontifices. Itaq; non  
possum non reprehendere Iulij consilium, qui &  
de patria & de tota Ecclesia bene mereri posset,  
si hanc Ecclesiarum emendationem mediocriter  
adiuicare quim opprimere mallet. Initio ferebat

me disputantem de pace, moderationem quarundam rerum quærebat, & tamen piè constituit Ecclesiæ uolebat. Postea sensi paulatim magis de prauatum esse eius animum. Querebatur mihi Princeps Landgrauius defendisse eum diuorum invocationem. Legi hoc anno eius scriptum accurate compositum, in quo omnes abusus confirmat, sed iniustis quibusdam fucis, qui non sunt durabiles. Quantò rectius faceret, si autoritatem & ingenij præstantiam conferret ad iuuandam patriam, ac Christi Ecclesiam. Tam multas legit historias, tot præcepta sapientum, quæ dehortantur uiros politicos à uiolentis consilijs & iniusta seuitia. Quare miror cur ijs se addicat, quos constat nihil moliri aliud nisi crudelissimam cœdem ciuium, et Ecclesiarum uastationem, nec cogitant Deum esse custodem nostrarum Ecclesiarum. Quare tibi mi Andrea hunc animum gratulor, quod hanc emendationem Ecclesiarum magis tueri & adiuuare, quam oppugnare studes. Decet uiros politicos anniti, ut postquam incoata est emendatio, ita in eam incumbant, ut posteriori quasi certam Ecclesiæ sedem relinquant. Hac de re quam suaves sunt conciones in Psalmis, ut, Quam dilecta tabernacula tua &c. Hæc scribo ad te optimo animo, teq; adhortor, ut aliorum animos etiam ad hanc sententiam fleclas. De tua questione post paucos dies tibi respondebo.

Preci-

Principiè autem Academiæ uestræ rationem in ea re habendam esse pronunciabo, ut illa nunc quidem egregiè ornata ingenij & doctrina, etiam ad posteros domicilium sit eruditioñis. Hęc copiosius alias. Nam hoc tempore sumus occupati deliberationibus ijs, de quibus aliquid Crucigerο significavi, quęq; ad communem Ecclesiærum tranquillitatem pertinent. Iohannis Agricola negocium tibi commendo, quod ut agas apud Comitem Albertum accurate & fideliter te etiam atq; etiam rogo. Bene uale, s. Januarij.

AD FRANCISCUM  
BURCHARDVM VI=  
nariensem.

S. D. Iucundiſſima mihi fuit significatio gratitudinis tuę, quam in proximis literis ad me scripsisti. Etsi enim mea erga te officia minora sunt mea uoluntate, Nam & amo ingenium tuum & ornare semper studui, tamen hunc annum tibi probari gaudeo. Ac cetera quidem beneficia leuia & uulgaria fuerunt. Sed si sermonum, consiliorum & sententiae communicationem de rebus maximis, de religionibus, Republicis, literis, deniq; de omnib. uite officijs, magni aestimas, fateor me tuo iudicio delectari. Nam & significatio fuit amoris summi ac ueri consuetudo illa,

N 3 do illa,

do illa, & existimo te ex ijs sermonibus & actionib;  
nibus cum interioris uitæ meæ totius spectator  
esses, non minus ueræ doctrinæ hausisse, quam ex  
illis ingentibus bibliothecis iurisconsultorum,  
præsertim cum me non solum libri erudierint,  
sed usus etiam, quia interfuius maximis rebus,  
que in nostram ætatem inciderunt, & cum in=  
geniosissimis hominibus uersati, cum insidiosissi=  
mis conflictati sumus. Quoties de omnibus con=  
trouersijs Ecclesiæ collocuti sumus? Quoties ue=  
teres res gestas & cuentus ex omni antiquitate  
collectos repetiuimus, & cum præsentibus rebus  
contulimus, non solum ut diuinaremus de exitu,  
sed etiam ut remedia conquireremus? Quam  
multa de cæteris Reipub: partibus disputauimus,  
Quam multa præsagia nostra meministi? Ac spe=  
ro te ad omnes uitæ partes instructiorem esse  
factum ijs nostris sermonibus, quod non solum  
ueras de religione deq; artibus opinones indu=br/>ris, sed etiam quasi formam & ædificium Rcip:  
me monstrante contemplatus sis, que Principum  
uirorum sint uoluntates, que in maximis rebus  
moderatio adhibenda sit, quo præcipue bonis ui=br/>ris consilia omnia dirigenda sint. In hac tanta  
Philosophia, eñsi meo me pede metior, & intelli=br/>go quantum ab huius generis artifice absim, ta=br/>men uersari me uicunq; tu ipse testis es, & fue=br/>runt mihi, ut ille sapiens Historicus inquit, ræ  
παθε

παθήματα μαθήματα. Quare facile patior te hanc consuetudinem nostram magni pendere. Spero autem cum in ceteris rebus, tum in hoc genere, constare rationem officiorum, quae in amicitia requiri debent, teq; perspexisse singularem erga te meum amorem & fidem. Una de re interdum mecum expostulant nostri libelli, quod te in aulam emisimus. Etsi nos quidem non autores huius consilij fuimus, sed Principi paruimus. Sapè tamen peccasse mihi uideor, quod non sui in te retinendo in schola peruicacior. Quo enim me animo esse putas, cum prospetto, in quas te procellas, in quæ pericula coniecerimus? Etsi enim fortassis desiderio tui sit, ut illa me iam moueant uehementius. Sed tamen non difficile est iudicare, quantum præsertim in nostra Repub: sit periculi. Ego uero cum animo intueor naturam Principis, Aulæ σύχυσις, prouinciam male affectam, ualde perturbor. Tum uero toto corpore perhorresco, cum ea colligo, quæ impendere uidentur. Habes Principem satis magno & honesto ingenio præditum, sed sapè morose ac suspiciose iudicantem ήγει ἀκθώσ reprehendentem κοινηγόματα ἐλκοντας ἐφ ἀντὸν, ωμέρην κοινιας νέφη. Fata etiam me terrent, quæ denunciabant ei μεταβολὰς τίνας. Sed orandus est Deus ut eum gubernet ac defendat. Nam me ista cogitantem sapè consolantur diuina oracula, quæ te-

stantur Principes Deo curæ esse, Sicut ait David:  
Qui das salutem regibus. Desino itaq; de Prin-  
cipe dicere, quo tamen nihil habet aula humanius  
ac melius. Reliqui omnes inuident & insidian-  
tur. Nostri illud uetus: Vigilandum est semper.  
Multæ insidiæ sunt bonis. Quoties in curiam in-  
gredieris & in illum confessum, qui sacer esse de-  
bet, ubi de rebus summis deliberationes haben-  
tur, considera quam multos numerare possis, qui  
non sint hostili erga te animo. Que autem pos-  
sunt esse ueræ deliberationes cum socijs aut stul-  
tis aut inuidis? Scis enim quid requirat Diome-  
des cum ait: οὐτε δύο ἐρχομένω, οὐδὲ τέ περ,  
οὐ τοις φίλοις. Longum fuerit si uelim persecui  
omnia. Et hæc tempora propter religionis con-  
trouersias multò plus habent maximorum peri-  
culorum, que cum arte mitiganda essent, multo-  
rum consilijs fiunt subinde atrociora. Vidisti nu-  
per in conuentu nostrorum, quo spectent certo-  
rum hominum uoluntates. Iam isto loco decet  
te non tantum tibi consulere, sed Ecclesiæ, Reip.,  
patriæ. Sed quid potes, ubi non est locus mode-  
ratis consilijs? Et quidem Ecclesia, ut ægra cor-  
pora, molliter fouenda est mitissimis remedijs. Nō  
enim patitur asperiora ulla pharmaca. Hæc peri-  
cula omnia cum colligo, quo me esse animo arbi-  
traris? Si te à portu soluere in seuiissimis tem-  
pestatibus uidissem, profectò retraxissem te om-  
nibus

tibus uiribus. Itaq; reprehendo meam facilitatem quod tibi cum in illos fluctus Reip: auctus es, non obstiti uebementius. Quod igitur reliquum est oro Christum, ut & Rempub: defensdat, & mentem tuam regat, ut Reipub: feliciter consulas & te seruet in columem. Te quoq; adhortor, ut Deo te commendes, qui cum imperia constituerit ipse, non deest gubernatoribus Rerumpub: si ab ipso opem implorent. Hac me consolatione una in summis periculis sèpè sustentau. Hæc scripsi ad te prolixius, quadam adductus amoris abundantia, ut & intelligeres mihi gratiam fuisse commemorationem uoluntatis tuæ, & haberes uicissim testimonium meæ erga te benevolentię. Scio te & natura ad humanitatem incitatum & optima disciplina adsuetum, intelligere amicitias uirtutis causa constanter collendas esse. Quare non dubito te benevolentiam erga me conseruaturum esse. Ego uicissim amorem meum erga te summa fide conseruabo. Atq; utinam amicitia nostra aliquid opis etiam poscit adferre Reipub: Veni VVittebergam Lutheri literis accersitus. Nondum ulla de re Britanni deliberare cum nostris cœperunt. Heri mibi narrarunt se ordine de singulis articulis doctrinæ acturos esse, & ualde contendunt ne discedam. Confabulatus sum cum eis. Nimium amant λεπολογιας. Lutherus amanter eos complecti-

N S tur,

tur, & eorum comitate adhuc quidem delectatur. Quæso te significa mihi quem teneas locum, et qualia uideantur esse auspicia huius aulici curriculi, & asperge aliquid de Repub: Bene uale.

D. VVENCESLAO LIN=  
CO DOCTORI, D. ANDREÆ OSI=androu, D. Thomæ venatorio, D. Vito Theodo=ro, & alijs eorum collegis docentibus  
Euangelium in Ecclesia Noriber=genſi, fratribus suis in Chri=ſto cariſimis.

**V**Tinam ſimilis consensus eſſet Eccleſiarum ubiq; de uera doctrina Euangeliū, ut uertra Eccleſia multos iam annos, Dei beneficio nobis cum tanquam una uoce Christum prædicat. Nec uero dubitamus hunc conſenſum multis pijs mentibus ſalutarem fuisse, & quibusdam Eccleſijs profuſe exemplum. Quid eſt autem optabilius? quid pio pectori dulcius, quam uidere florentes Eccleſias; in quibus recte colitur Deus, & traditur doctrina ſalutaris, & quarum ex=empla ἐυφημα, ut Pauli uerbo utamur, ornant gloriam Christi. Cum igitur maximè tueri con=cordiam perpetuò cupiamus, duximus hoc tem=pore uobis cum communicanda eſſe confilia, cum impen=

impendere deliberationes existimantur de mitigationis publicis dissidijs. Scripsit enim Lundenensis ad Principes nostros, uenire Cæsarem in Germaniam, non ut bellum ciuile moueat, nec ut sanguinem piorum propinet exorbendum Pontificibus, sed ut deliberet de Concordia moderatis rationibus sarcienda, ac hortatus est nostros, ut et ipsi diligenter cogitent, quarum rerum mitigatione ad firmam et durabilem tranquillitatem profutura sit. Magna laus est Imperatoris Caroli, si hoc uerè agitur, ut Christi gloria illustretur, et saluti totius Ecclesie consulatur. Praeclarus illud in Tragoedia dicitur de excellenti Imperatore. Consulere patriæ, parcere ciuibus, fera cæde abstinere, mores regere, reddere orbi quietem, seculo pacem suo. Hæc summa uirtus, petitur hac cœlum uia. Sed nos multa mouent, ut suspicemur uel omnino falso spargi hanc famam, ut pulcherrime rei simulatione benevolentiam et plausus sibi colligant aduersarij, apud populum, uel insidias strui pretextu pacificationum. Primum enim quomodo consentaneum est de concordia acturos esse, cum impetrari non possit, ut proscriptio Mindensis aboleatur, cum parari ad bellum omnia constet, cum reges inuitentur ad societatem impij et turpisimi fœderis, quod in uestra urbe factum est? Deniq; cum ferreae mentes Pontificum, nihilo magis ad equitatem

tatem flecli possint, quam Pharao poterat. Solet enim comitari talis pertinacia blasphemias & parricidia. Sed quia nobis uoluntas Caroli nota est, credamus sane Lundensi, non falso promitti deliberationes de concordia, ne hæ quidem uacant periculo. Ut optandum est, Carolum uere et ex animo uelle Euangelio suam lucem restitui, & diuinæ uoci parere, que regibus concionatur, inquiens: Et nunc Reges intelligite, Ita metuendum est, ut nunc aulae sunt plene sophistices hoc agatur, ut arte obruatur uera doctrina no-uis præstigijs. In Synodo Syrmiensi, cum Constantius disidentes Ecclesias conciliare stude-ret, non errore sublato, sed fucato, Symbolum Nicenum mutatum est, & quæsita uox ambigua communis, quam neutra pars repudiaret, placuit ponii pro ὁμογένειᾳ ὁμοιοπ., sed paulò post erupit malum rursus multò uiolentius, & hæc ipsa am-biguitas peperit noua certamina, Eadem prorsus iam fient, si agetur de concordia. Vidistis haud dubie Coloniense scriptum, in quo affinguntur abusibus commodiores interpretationes. Et laus ingenij putatur, has Sophisticas glossas excogi-tare. Itaq; Romæ iam & in Gallijs in admiratio-ne sunt artifices harum glossarum. Huc ergo de-curretur, Articuli proponentur, ut errores & abusus picti fucis quibusdam restituuantur. For-tassis ut esca aliqua deliniti assentiamur, nobis quoq;

quoq; donabunt aliquos nostros articulos. Deinde iubebunt nos consulere non nobis tantum, sed etiam cæteris nationibus, quæ deterreantur à meliore doctrina, si horridius omnia nostra defendere uelimus. Dicent de periculis ciuilium bellorum, satius esse mediocres Ecclesiæ quam nullas habere. Has uoces in conuentibus dici scimus etiam à nostris, & ualent hæc argumenta apud homines prophanos, metuentes suis opibus aut uoluptatibus, quarum est ubiq; magna multitudo. Fortassis & insidiæ spectant eò, ut disingantur nostri, quos aduersarij alioqui non optime cohærere uident. Erunt ergo aliqui, qui leuari cura, sumptibus, periculis uolent, eam ob causam boni consulent munus Cæsaris, dicent se de cæteris non pugnaturos esse, fugiendum esse ciuile bellum, Tam uaria pericula cum illæ insidiose compositiones allaturæ sint, profecto pijs opus est adferre animos bene paratos ac confirmatos, opus est etiam eis firmo consensu inter se. Quare ut consilia communicemus, duximus uobis significandum esse summam nostræ sententia, ac nostri consilij, ac petimus uicißim, ut uestram sententiam nobis significetis. Etsi enim fortassis sunt apud nos, ut alibi homines prophani, qui hæc certanima iudicant esse inanes λόγοι, inutiles ciuitatibus & uitæ hominum, ideoq; dant operam, ut quoquomodo euoluant se.

sese, sicut labrax pīscis postquam uorauit hā-  
mum, tamen euadit sibi ipsi os lacerans, ut ab hā-  
mo se auellat. Tamen horum iudicium nihil ad  
nos & Ecclesiam pertinet, uestram suffragatio-  
nem quærimus, & uobiscum congruere uolunta-  
tes Ecclesiae uestræ non dubitamus. Maximè au-  
tem optandum est, ut concordia, que fuit hacte-  
nus inter nostram & uestram Ecclesiam, sit per-  
petua.

Totam autem deliberationem nos quidem  
in tria membra partiti sumus, Aut petent in do-  
ctrina aliquid mutari, aut in externis rebus ne-  
cessarijs, aut in externis prorsus adiaphoris.  
De doctrina planè sic decreuimus, nos prorsus  
nullam mutationem ullius articuli Confessionis  
et Apologie admissuros esse, quocunq; prætextu.  
Augustæ rem eò adduxerant, ut simul articulos  
conderemus ambiguos, flexiloquos, Res erat si-  
milis Syrmiensis illius exempli. Sunt autem res  
nostræ aliquanto pluribus lucubrationibus ita  
tam patefactæ atq; illustrate, ut quid uerè sentia-  
mus satis liqueat. Et si quid requirent, coram de-  
clarabimus nostras sententias & oratione &  
scriptis. Sed cum ipsis articulos nouos nequa-  
quam condemnam, ne ueritas antea illustrata, nunc  
nouis ambagibus obruatur. Si ueritatem quæ-  
runt, ut tactitant, assentiantur reble explicatis  
dogmatibus, si tantum illud agunt, ut cauillatio-  
nibus

nibus nouis decerpant aliquid de autoritate do-  
ctrinæ nostræ, fugiamus eos ut sycophantas di-  
gnos odio. Discit Senex in Comœdia, quomodo  
eludendus sit fœnector, captiuncula de die <sup>EVNG</sup>  
vœ. Ab Ecclesia procul explodantur tales cau-  
lationes, absitq; illud Simonii. Aut uersare dolos  
aut certe occumbere morti, Nos Tyrannis po-  
tius ceruices feriendas præbere decet, quam Eu-  
angelium filij Dei corrumpere. Extant Cate-  
cheses uestræ & nostræ Ecclesiæ, in quibus do-  
ctrinæ summa traditur, que non obscure testan-  
tur, nos uerè consensum Catholicæ Ecclesiæ  
Christi de doctrina amplecti & tueri. Retine-  
mus Symbola, repurgamus sententiam totius  
Prophetice & Apostolice scripture de Pœnit-  
tentia & de Fide. Restituimus legitimum usum  
Sacramentorū. Monstrauius quid sentiendum  
sit de superstitiosis ritibus, reuocamus pios ad  
uere bona opera, ostendimus dignitatem officio-  
rum ciuilium, discrimen Legis & Promissionum.  
Deniq; multis articulis doctrinæ Christianæ lu-  
cem attulimus. Id negare non possunt aduersa-  
rij, & si sine calunnia uoluerint iudicare, fateri  
coguntur, nos pia & utilia docere. Quare si uo-  
lent, assentiantur, si non uolent, sequenda nobis  
erit regula Pauli: Si quis aliud Euangelium do-  
cuerit, anathema sit.

Secunda pars deliberationis nostræ est de  
rebus

rebus externis necessarijs, Has uocamus abrogationem omnium Missarum, in quibus desunt, qui una utantur Sacramento, Abrogationem Canonis, qui iubet offerre illam Ceremoniam pro alijs viuis & mortuis, Abrogationem uniuersæ Invocationis mortuorum, directæ uel indirectæ. Abrogationem uotorum & Monachatus. Restitutionem coniugij sacerdotum & integræ Synaxeos. Abrogationem Magicorum rituum, consecrandæ aquæ, herbarum, nolarum, & similiū rcrum. Item funebrium sacrificiorum.

Minus curant Reges dogmata, quam Externam formam Ecclesiarum, ideo dimicabunt acerrime de retinendis priuatis Liturgijs, de usu unius partis Sacramenti, de Invocatione Diuorum. Fortassis & de coelibatu litigabunt, quia est commodus tuendis opibus Ecclesiasticis et splendori Sacerdotum, intelligimus Pontifices & Reges magnopere à coniugio Sacerdotū abhorrente, Nec monasticā omnino aboleri uolent, deniq; proponēt nobis moderationes Moshemicas aut Vicelianæ, quæ retinent neruos impietatis. Cæterum quædam uulgaria uicia iubebunt corrigi, quæ tam tolli non possunt, si radices maneant. Quanquam autem non arbitramur de Missa & applicatione quidquam nobis concessuros esse, tandem fingamus aliquos decursuros esse ad Galicium consilium, ut quotidiè in Parochijs una Missa fiat,

fiat, etiam si defunt communicantes. Disputant enim hanc Ceremoniam esse opus & spectaculum, quo gratiae aguntur, quo memoria retinetur mortis Christi. Potest igitur à singulis fieri, inquiunt, ut singuli possunt uel recordationis causa, uel, ut gratias agant, legere historiam de morte CHRISTI, uel Psalmum aliquem eodem argumento. Hæc speciose disputantur à Prophanis, qui instructi sunt literis & eloquentia, & conserunt hos ritus ad spectacula Romana aut Attica, memorie causa instituta. Videmus enim delabi ingenia ad prauas opiniones. Sed nos simpliciter decreuimus, non recepturos nos ullam Liturgiam sine communicantibus. Quia nemini licet instituere cultus sine mandato Dei. Tale autem spectaculum habetur pro cultu necessario Ecclesiæ, & discernendo à manducazione populi. Quare prorsus non recipiendum est. Repullularent omnes abusus Cœnæ Domini hac forma recepta, statim enim diceretur id spectaculum cultus esse ex opere operato. Nec adferendum est huic exemplum Leuiticarum Ceremoniarum. Hæ erant Pœdagogia populi, & ob eam causam seruandæ erant, non ut cultus. At in nouo Testamento nulæ ceremoniæ sine fide placent. Liber sit usus huius ceremoniæ, ut Paulus inquit, Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat. Et maneat for-

ma ministerij à Christo instituta & obseruata aliquot seculis in prima Ecclesia. Nec queri possunt aduersarij, nos ab Ecclesia dissentire, si illud spectaculum nolimus recipere, Ipsi potius à uera & ueteri Ecclesia dissentunt, qui morem amplectuntur ignotum ueteri Ecclesiæ. Postulabunt & illud, ut approbemus usum unius partis sacramenti, sed assentiri non possumus, non enim licet nobis abolere institutum Christi. Sensimus eos admodum grauiter ferre, cum propter mortuorum invocationem dicuntur Idolatræ. Ideo quærent nouum prætextum, dicent licere dici: Ora pro nobis sancte Petre. Nec hanc formam recipiemus: Nam omnis invocatione absentis tribuit illi omnipotentiam. Deniq; uarias arbitramur prestigias excogitatuos esse, ad excusandam et retinendam radicem impietatis, & ut Proteus omnia uersuros fese in miracula rerum. Sed omnino decreuimus, nec de illis rebus extensis, quas recensuimus, quidquam aduersarijs largiri. Ad has adiungimus hoc quoq; Nunquam probaturi sumus Pontificis Romani potestatem, quam sibi sumit supra cæteros Episcopos. Qui etiam si uolet fortasse aliquid largiri nobis barbaris, ut nos uocat, tamen in cæteris regnis eadem prohibebit, iubebit piros interfici. Nec definet esse Antichristus, ut Paulus significat. Quare stabilire eius Tyrannidem non licet.

Tertia

Tertia pars deliberationis est de rebus adiaphoris, ut sunt aliquæ in templis lectiones pie, uestitus & similia. Item de Episcoporum autoritate, iurisdictione & ordinatione. De his rebus agi nihil potest, nisi prius uerè conueniat doctrina & de rebus necessarijs. Si Episcopi mordicus retinebunt errores & impias Ceremonias, necesse est Paulinæ regulæ obtemperare, si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Nec illi nostras Ecclesiæ ornaturi, sed uastaturi potius essent. Sed si qui essent Episcopi, qui ut Raab uererentur iudicium Dei, & respicere miseras Ecclesiæ ac patriam, amplecti Euangelium propter gloriam Christi, & suum officium rectè facere uellent, cum his de Adiaphoris facile foret conuenire, ut nunc quoq; dissimilitudines in ritibus adiaphoris paßim boni consulimus, modo ut absit impietas, & retineatur doctrinae puritas.

Meministis Attali Pergameni historiam, cum quissiam Alcibiades quodam inconsulto studio pietatis nouam & duriorem uictus rationem sibi præscriberet, ac quotidie tantum pane & sale uesceretur, & pauxillum aquæ biberet, Attalus Martyr missus in carcерem diuinitus, iussus est Alcibiadi dicere, ut communibus cibis uescatur. Et ratio adiecta est, ne scandalo sit fratribus, hoc est, ne alij rudiores admirantes hanc nouam

& prodigiosam consuetudinem, arbitrentur tanta  
lia opera cultus esse, & obliuiscantur doctrinam  
de ueris cultibus.

Laudamus igitur & nos eos, qui etiam in  
adiaphoris abolent ritus ineptos, ut ieunia, quæ  
aliquid erroris offundunt imperitis. Sed tamen  
de tota forma Politie Ecclesiastice inter pios  
tunc deliberandum erit, si qui erunt qui ample-  
ctentur Euangelium. Nam & forma ordinati-  
onis corrigenda est, & tollendi Canones &  
Digamia, & emendandæ erunt leges Pontificiæ  
de diuortijs. Ne possunt quidem durabiles esse  
leges, quæ non sunt diuinitus traditæ. Hortandi  
etiam erunt illi, ut Ceremonias theatricas & in-  
dignas Christiana grauitate tollant, etiam exem-  
plis, quales sunt statuarum gestationes & aliæ  
similes. Sequamur non Ethnica sed Apostoli-  
ca exempla, & amemus diuinitus traditas Cere-  
monias, quarum summa est grauitas & utilitas,  
sonent in templis pia & eruditæ conciones, ha-  
beat populus cantilenas, ex quibus discat, fiant  
precationes serie, celebretur Synaxis, quoties pijs  
Sacramentum petunt. Sed antecedat priuata  
absolutio, quæ multis de causis retinenda & re-  
stituenda est. Restituatur & excommunica-  
tio, non ut ante in litibus rerum prophanarum,  
sed de flagitijs manifestis, adhibitis in hoc iudi-  
cium senioribus in qualibet Ecclesia. Hæ sunt  
graues

graues & necessariæ Ceremonie ad sanciendam disciplinam, de quibus cum aduersarijs nondum agere possumus, Quibus tantisper dum oppugnant Evangelium, nihil autoritatis in Ecclesia tribuere possumus.

Habetis summam nostræ sententiæ, in qua, Deo dante, nihil mutaturi sumus, Nec profana iudicia ueremur illorum qui clamitant, pertinaciam paucorum incendere bellum ciuile, uociferantur quedam condonanda esse publicæ tranquillitati, satius esse habere qualescumque quam nullas Ecclesiæ, debere nos de his controversijs anteferre concordiam, ut Turcicum bellum suscipi possit. Deniq; multa à sapientibus colligi scimus ad nos reprehendendos. Nec nos adeò sine sensu communis sumus, ut soli non uideamus pericula nostra & communia: Sed mandato Dei obtemperandum est, qui postulat confessionem ueræ doctrinæ, & reprehensionem impiorum cultuum & exitum uult sibi commendari: Etsi autem non dubitamus, quin uos, ut haecenus cum Ecclesia nostra uestram sententiam coniuncturi sitis, Tamen uos etiam atq; etiam rogamus, ut nobis uoluntatem uestram significetis, & speramus Ecclesiam uestram secuturam esse uestra suffragia. Etsi scimus alios quosdam esse oligarchicos homines, qui ut Ecclesiæ, ita Aristot

eratiae pulcherrime urbis non sunt æqui. Quid  
dum nouo & immodico studio aucupantur gra-  
tiam hostium Euangelij, quos execrari propter  
parricidia debebant, satis significant, se uos quo-  
que libenter excusuros, si possent. Quanto erat  
honestius σωτηρίαν τοῦ εὐαγγελίου, quam  
confirmare in aduersariis odium ueræ doctrinæ,  
& spem defectionis aliorum.

Nihil igitur ad illos oligarchicos scribimus,  
nubiscum tantum deliberamus, ut uestrā senten-  
tiam nobis significetis. Deus gubernabit eucentus,  
nec deseret ueram Ecclesiam, sed etiamsi subeun-  
da erit crudelitas aduersariorum propter Euang-  
elij confessionem, tamen illud malumus, quam  
abijcere piam doctrinam, & contumelia adfice-  
re Christum. Cur defugeremus hæc glorioſa  
certamina, cum uideamus Filium Dei pro nobis  
miserabile supplicium perpessum esse? Si uerè  
colimus Deum, menimerimus præcipue postulari  
ut uictimæ fiamus, quales fuerunt plurimi Pa-  
tres, Prophetæ & Apostoli, & Martyres omni-  
um temporum, qui maluerunt interfici quam ab-  
ijcere ueræ doctrinæ confessionem. Senex Esaias,  
cum annos fere octoginta rexisset Ecclesiam, &  
patridam ingentibus bellis liberasset, tandem serræ  
scinditur. Ieremias cum quadraginta annis gu-  
bernasset regnum Iuda, & reliquias seruasset,  
tadem lapidibus obruitur. illis tantis uiris sic me-  
ritis

ritis fuit subeunda crudelitas. Nos pudeat esse tam delicatos, ut iniuste nobiscum agi à Deo putemus, si nos adfligi sinat. Sed hanc Philosophiam isti Oligarchici viri non curant, Quorum molliciem & cupiditates uos in primis detestari scimus. Videmus senescente mundo crescere impietatem & Epicureas opiniones. Eò maiore contentione ueros honores Dei tueri omnes pijs debebant, non solum doctores Ecclesiarum, sed etiam cæteri qui præfunt ciuitatibus, quos etiam suam autoritatem ad gloriam Christi conferre oportuit. Astutè hoc semper egerunt aduersarij, & si quas proponent moderationes præcipue hoc acturi uidentur, ut nostros distrahabant, non ignari concionis Eumenis de Antigono, in qua ille narrabat Apologum. Leo quispiam amans pastoris filiam puellam, petiuit sibi eam dari uxorem, narrat amorem suum, ideoq; promittit puellæ nihil fore periculi. Sed uituram tuto & suauiter apud ipsum. Pastor respondet initia amoris ardentiora esse, postea sepe incidere rixas inter amantes, Quod si inter ipsum et puellam accideret, metuere se ungues & dentes leonis. Abit igitur leo, ac dentes eximi ac truncari ungues curat, postea ad pastorem reddit, iterum petit puellæ nuptias. Pastor ut uidit leonem exarmatum esse unguibus & dentibus, fuste eum multat. Ita uidetis aduersarios id agere, ut fin-

gulos nudatos præsidijs opprimant. Verum id uiderint illi ad quos hæc cura pertinet, Nostrum est constantiam in dicenda uera sententia præstare, & cruciatus pro Christi gloria non defugere, si rabies aduersariorum nos ad supplicia rapiet. Hæc scripsimus ad uos optimo & amicissimo animo, ac petimus ut epistolam nostram boni consulatis, ac nobis quam primum respondatis. Bene ualete.

Martinus Lutherus.

Iustus Ionas.

Iohannes Bugenhagius.

Philippus Melanthon.

## EPISTOLAE CONTRARIÆ: VNA PICI PRO BARBARIS PHILOSOPHIS, ALTERA PRO HERMOLAO BARBARO, SCRIPTA À PHILIPPO MELANTHONE, QUÆ RESPONDET PICO.

JOANNES PICVS MIRANDVLVS HERMOLAUS BARBARO SUO  
S. D.

Ego

**E**go quidem mi Hermolaë, nec possum aut tan-  
cere, quæ de te sentio, aut non sentire ea quæ  
de illo debeant, in quo omnia ueluti singula sum-  
ma reperiantur. Sed utinam esset is meæ mentis  
captus, ut pro meritis tuis de te sentirem, uti-  
nam ea dicendi uis, ut exprimere aliquando pos-  
sem, quod semper sentio, scio quæ de te concepi,  
infinitum subsidere infra fastigia doctrinæ tuæ,  
scias & tu quæcunq; loquimur, minora esse ijs,  
quæ concipimus, tam deesse scias animo uerba,  
quam rebus animus deest. Et tamen ita me aude-  
re credis, ut sperem posse imitari tua, quorū nec  
magnitudinem estimare possum. Admirari te  
possunt omnes, imitari tam pauci possunt, quam  
nemo reprehendere. Et utinam ea mihi felicitas,  
ut quæ scribam, Hermolaum meum aliqua ex  
parte imaginetur. Ipse enim (ut taceam cætera)  
stylus tuus, cui tu adeo male faues, mirum quan-  
tum me afficiat atq; delectet, ita est doctus, gra-  
uis, compositus, eruditus, excusus, ingeniosus, in  
quo nihil expositum, nihil uulgatum, nihil sit tri-  
uiale, seu uerba, seu sententias spectes. Legimus  
sepe ego & noster Politianus, quascunq; habe-  
mus tuas, aut ad alios, aut ad nos Epistolas, ita  
semper prioribus certant sequentia, et nouæ fer-  
tiliter inter legendum efflorescunt Veneres, ut  
perpetua quadam acclamatiōne interspirandi  
locum non habeamus. Sed mirum dictu, quam

O S persua-

persuadeas, & legentis animum, quocunq; uelis  
impellas. Expertus sum ego, cum semper alias,  
tum hac proxima tua ad me Epistola, in qua dum  
barbaros istos Philosophos insectaris, quos dieis  
haberi uulgo sordidos, rudes, incultos, quos nec  
uixisse uiuentes, nedum extinetti uiuant, & si  
nunc uiuant, uiuere in poenam & contumeliam.  
Ita Hercules sum commotus, ita me puduit, pi-  
guitq; studiorum nucorum, (iam enim sexcenni-  
um apud illos uersor) ut nihil minus me fecisse  
uclim, quam in tam nihil facienda re, tam labo-  
riose contendisse. Perdiderim ego, inquam, apud  
Thomam, Ioannem Scotum, apud Albertum, apud  
Auerroem meliores annos, tantas uigilias, quibus  
potuerim in bonis literis, fortassis non nihil esse.  
Cogitabam mecum, ut me consolarer, si quid ex  
illis nunc reuiuiscant, habituri ne quicquam sint,  
quo suam causam argumentosi aliqui homines  
ratione aliqua tueantur. Demum succurrit ex  
ipsis quempiam paulò facundiorem, suam barba-  
riem, quam poterit minime barbare, hunc in mo-  
dum fortasse defensurum: viximus celebres ò  
Hermolae, & post uiuemus non in scholis Gram-  
maticorum, & pœdagogij, sed in Philosopho-  
rum coronis, in conuentibus sapientum, ubi non  
de matre Andromaches, non de Niobes filijs, atq;  
id genus leuibus mugis, sed de humanarum diut-  
narumq; rerum rationibus agitur & disputatur,  
in que

in quibus meditandis, inquirendis & enodandis,  
ita subtile, acuti acresq; fuimus, ut anxi⁹ quan-  
doq; nimium & morosi fuisse forte uideamur, si  
modo esse morosus quisquam aut curiosius nimio  
plus in indaganda ueritate potest. Atq; in his  
quidem si quis non arguat hebetudinis & tardi-  
tatis, age amabo quicunq; is est, pedem conferat,  
experiatur habuisse barbaros, non in lingua, sed  
in pectore Mercurium, non defuisse illis sapien-  
tiam, si defuit eloquentia, quam cum sapientia  
non coniunxit, tantum fortasse abest à culpa,  
ut coniunxit sit nefas. Quis enim concinnos,  
quis fucum in proba uirgine non damnet? Quis  
in Vestali non detestetur? Tanta est inter Ora-  
toris munus & Philosophi pugnantia, ut pugna-  
re magis iniucem non possint. Nam quod aliud  
Rhetoris officium, quam mentiri, decipere, cir-  
cumuenire, præstigiari? Est enim uestrum, ut  
dicitis, posse pro arbitrio in candida nigrum  
uertere, in nigra candidum, posse quæcunq; uul-  
pis tollere, abiucere, amplificare, extenuare dicen-  
do, deum res ipsas magicis quasi, quod uos ia-  
ctatis, uiribus eloquentiae in quam libuerit faci-  
en, habitumq; transformare, ut non qualia sunt  
suopte ingenio, sed qualia uolueritis non fiant  
quidem, sed cum non sint, esse tamen audientibus  
apparet. Hoc totum est nequicquam aliud,  
quam merum mendacium, mera impostura, me-  
rum

rum præstigium, cum à natura rei semper uel agendo excedat, uel minuendo deficiat, & fallacem uerborum concentum, ueluti laruas & simulacra prætendens, auditorum animos blandiendo ludificet. Erym ne huic cum Philosopho affinitas, cuius studium omne in cognoscenda & demonstranda cæteris ueritate uersatur? Adde quod nobis nulla erit fides, lauticias uocū, et Venieres affectantibus, quasi rebus parem uidentes, nec uero nixi trahere in sententiam his lenocinijs homines quæramus. Est ob hanc causam legere res sacras rusticè potius, quam eleganter scriptas, quod nihil sit magis dedecens, et noxiū in omni materia, in qua de uero cognoscendo agitur, quam uniuersum illud dicendi genus elaboratum. Hoc forensium est quæstionum, non naturalium atq; cœlestium. Non est eorum qui in Academia, sed qui Republica illa uersantur, in qua quæ fiunt quæq; dicuntur populari trutina examinentur, apud quam flores fructibus longe præponderant. Non nescis illud: non omnibus omnia pari filo conueniunt? Est elegans res, fatemur hoc, facundia, plena illecebra, & uoluptatis, sed Philosophis nec decora nec grata. Quis mollem incessum, argutas manus, luditibundos oculos in histrione & saltatore non probet? In ciue, in Philosopho, quis non improbet, arguat, abominetur? Si puellam uiderimus mori-

moribus lepidam, atq; dicaculam, laudabimus, ex=  
 osculabimus. Hæc in matrona damnabimus &  
 persequemur. Non ergo nos, sed illi inepti, qui  
 ad pedes Vestæ agunt Bacchanalia, qui gra=  
 uitatem Philosophicarum rerum, & castitatem  
 ludicris ueluti, & calamistris dehonestant. Pro=  
 fectò quod Sinesius de adolescente, de oratione  
 dici commodè potest, comatam orationem sem=  
 per cinædam. Quare nos nostram, malumus hir=  
 tam, globosam, inexpeditam, quam cum impurita=  
 tis, uel nota, uel suspicione belle comatam. Alio=  
 qui Palladis Peplum nō reuelaret, sed à sacris uti  
 prophana repelleretur. Et ut nihil sint reliqua,  
 hoc est uerissimum, nihil esse diuersum magis ab  
 instituto Philosophi, quaciunq; in re, quam quod  
 luxum, aut fastum aliqua ex parte sapit. Sicyo=  
 nios calceos habiles, aptosq; ad pedem dicebat  
 Socrates, sed Socrati nō conuenire. Omnino non  
 eadem ratio ciuilis habitus & Philosophici, sicut  
 neq; mense neq; sermonis. Utitur his Philosophus  
 dyntaxat ad necessitatem, utitur ciuilis homo  
 etiam ad gratiam, quam & hic si neglexerit, non  
 ciuilis, & ille affectauerit, non erit Philosophus.  
 Si posset Pythagoras uiuere sine cibo, holeribus  
 etiam parceret, si sua sensa aspectu, aut demum  
 minore, quem sermonis opera explicare omnino  
 non loqueretur, tantum abest, ut linguam poliat,  
 & exornet. Quod uel ob id cauendum nobis, ne

illectus

illectus cute medicata, lector demoretur ad eā, ad  
medullā, et sanguinem nō peruadat, quem subesse  
sepe cerussato ori infectū uidimus. Vidiūs in=  
quam in hisce omnibus quibus prōpterea usū ue=   
nit, cum nihil sit intus non inane, & uanum, de=   
tinere lectorem in prima facie modulatu uario,  
atq; concentu. Quod si fecerit Philosophus, cla=   
mabit Musonius non Philosophum loqui, sed tibi=   
cinem canere. Non ergo nobis uitio detur id non  
fecisse, quod fecisse uitium erat. Quærimus nos  
quid nam scribamus, non quærimus quomodo,  
immo quomodo quærimus, ut scilicet sine pom=   
pa, & flore ullo orationis, quam uolumus ut de=   
lectabilis, uenusta & faceta sit, sed ut utilis, gra=   
uis, & reuerenda, & maiestatem potius exchor=   
rore, quam gratiam ex mollitudine consequatur.  
Non expectamus theatri plausum, quod aures  
demulserit & equabilis clausula, uel numerosa,  
quod hoc sit falsum, illud sit lepidum. Sed expe=   
ctamus paucorum potius præ admiratione silen=   
tium, introsipientium penitus aliquid, aut de  
naturæ aditis erutum, aut de Iouis aula ad homi=   
nes adductum, tum uel aliquid ita argutum ut  
descendendi, ita defensum ut arguendi non sit lo=   
cus. Admirentur præterea nos sagaces in inqui=   
rendo, circumspectos in explorando, subtiles in  
contemplando, in iudicando graues, implicitos in  
uinciendo, faciles in enodando. Admirentur in  
nobis

nobis breuitatem styli, factam rerum multarum  
atq; magnarum, sub expositis uerbis remotissi-  
mas sententias, plenas quæstionum, plenas solutio-  
num, quam apti sumus, quam bene instructi am-  
biguitates tollere, scrupos diluere, inuoluta euol-  
uere, flexanimis syllogismis & infirmare falsa, et  
uera confirmare. His titulis ô Hermolae vindi-  
cauimus huc usq; & uindicatueros post hac, ab  
obliuione memoriam nostram non dubitamus,  
Quod si vulgo ( ut dicas ) habemur sordidi, ru-  
des, inculti, hoc nobis ad gloriam est, non ad con-  
tumeliam. Vulgo non scripsimus, sed tibi, &  
tui similibus. Nec aliter quam prisci suis ænigma-  
tibus & fabularum inuolucris, arcebant idiotas  
homines à mysterijs. Et nos consueuimus ab-  
sterrere illos à nostris dapibus, quas non pollue-  
re non possent amariori paulum cortice uerbo-  
rum. Solent & qui Thesauros occultare uo-  
lunt, si non datur seponere, quisquilijs integere,  
uel ruderibus, ut prætereunte non deprehen-  
dant, nisi quos ipsi dignes eo munere iudicaue-  
rint. Simile Philosphorum studium celare res  
suas populum, à quo cum non probari modò, sed  
nec intelligi illos deceat, non potest non dedece-  
re, habere aliquid, quæ ipsi scribunt, theatrale,  
plausible, populare, quod demum multitudinis  
iudicio accommodare se uideatur. Sed uis effin-  
gam Ideam sermonis nostri, ea est ipſiſſima, quæ

Sileno-

Silenorum nostri Alcibiadis. Erant enim horum  
Simulacra hispido ore, tetro & aspernabili, sed  
intus plena gemmarum, suppelætilis rarae &  
preciosæ, ita extrinsecus si aspiceris, feram ui-  
deas, si introspiceris numen agnoscas. At in-  
quies; non ferunt aures nunc asperam, nunc hi-  
ulcam, semper inconsonam texturam: Non fe-  
runt barbara nomina, ipso etiam penè timenda  
sono. O delicate cum accedis chorulos & ci-  
tharædos, pone te in auribus: cum uero Philoso-  
phos, auoca à sensibus, redeas ad te ipsum in ani-  
mi penetralia, mentisq; secessus. Assume illas Ty-  
nei aures, quibus, cum omnino non erat in corpo-  
re, non terrestrem Marsiam, sed Apollinem cœle-  
stem, diuina cithara uniuersi melos ineffabilius  
temperantem modis exaudiebat. His auribus Phi-  
losophorum uerba si delibaueris, mellea tibi ad  
Nestoris inuidiam esse uidebuntur. Sed hæc fina-  
mus nimio plus assurgentia, profectò fastidire in  
Philosopho subtilissimè disputante minus concin-  
nam elocutionem, non tam delicati stomachi est,  
quam insolentis. Neq; est aliter ac si quem in So-  
crate de moribus docente offendat, aut laxus cal-  
ceus, aut toga dissidens, & sectum præue stoma-  
chetur ob unguem. Non desiderat Tullius clo-  
quentiam in Philosopho, sed ut rebus & doctri-  
na satisfaciat. Sciebat tam prudens quam  
eruditus homo nostrum esse componere mentem,  
potius

potius quam distinctionem, curare ne quid aberret  
ratio non oratio, attinere ad nos ἡ διαθέσις λό-  
γος, non attinere τὸν φιλόφορον. Laudabile in  
nobis habere musas in animo, & non in labris, ne  
quid in illo uel per iram sonent, uel per libidinem  
eneruatius. Deniq; ne qua sit discors à genuina  
ipsa, qua temperatus est modulabiliter harmo-  
nia, quam Plato cum intelligeret Theatrali ista  
& Poëtriarum sepe corrumpi, à Republica sua  
Poëtas omnes eliminauit, gubernandam autem  
Philosophis reliquit, mox certè si per lasciviam  
differendi Poëtas fuerint imitati, exilio condem-  
nandis. At instabit Lucretius, et si nō egeant per  
sc Philosophiae commendationes amoenitate dicen-  
di, per eius tamen adhibitionem dissimulandam  
esse ipsarum rerum austерitatem. Sicut absynthia  
per se pellunt morbos, melle tamen illinuntur, ut  
puerorum ætas imprudentia ludificetur, hoc forte  
tibi faciendum erit ô Lucreti, si pueris scribebas  
tua, si uulgo faciendum, utiq; tibi, qui non Ab-  
synthia modo, sed meracissima toxica propinares.  
Sed longè alia nobis habenda ratio, qui uulgas, ut  
ante diximus, non allectare querimus, sed abster-  
rere, nec tetra Absynthia, sed nectar propina-  
mus. Sed contendet Lactantius satis constare in  
auditorum animos uel seniorum influere poten-  
tius ueritatem, & ui sua instructam, & luce ora-  
tionis ornatam. Si fuisses ô Firmiane tam fre-

P quens

quens in sacris literis, quam in factis libibus fuisti,  
et hoc non dixisses, et nostra non minus bene for-  
tasse confirmasses, quam destruxeras aliena. Dic  
queso quid mouet fortius, et persuadet, quam sa-  
cerarum lectio literarum? Non mouent, non per-  
suadent, sed cogunt, agitant, uim inferunt legis ru-  
dia uerba & agrestia, sed uiua, sed animata, flam-  
mea, acculeata, ad imum spiritu penetrantia, ho-  
minem totum potestate mirabili transformantia.  
Periclis orationibus elaboratis, et luculentis nihil  
se commoueri inquit Alcibiades, sed Socratis uer-  
bis nudis et simplicibus addit, etiam si fint inepta,  
rapit in furem, extra se ponit, & uelit nolit fa-  
ciendum ei, quod ille precepit. Sed quid per  
uerba in re confessas, si non desipit auditor, a fu-  
cato sermone, quid sperat aliud quam insidias?  
Tribus maxime persuadetur, uita dicentis, uerita-  
te rei, sobrietate orationis. Hæc sunt Lactanti,  
quæ Philosopho fidem conciliant, si bonus fuerit,  
si ueridicus, si id genus dicendi appetes, quod nō  
ex amoenis Musarum syluis, sed ex horrendo flu-  
xerit antro, in quo dixit Heraclitus, latitare ne-  
ritatem. At dicit quispiam, age amice, examine-  
mus hæc deposita contentione. Reuerendum  
quoddam, & per se diuinum est sapientia, nec  
exotico quoquam cget ornatu. Sed quæ inuidia  
& hunc accedere. Quis negat, que per se de-  
cent, si adornentur fieri decentiora? Ego amice  
hoc

hoc in plerisq; nego, adeo multa sunt, quorū splendorem, si quid adiuxeris, elumines et nō illustres. Ita sunt scilicet sua natura in optimo statu, ut demutari ab illo nisi in peius non possint. Marmorea domus picturam nō recipit, nisi opus albariū superinduxeris, demas de dignitate, de pulcritudine. Non aliter & sapientia et quae tractantur à Philosophis tectorio non clarescunt, sed offuscan tur. Quid plura? nonne uulgatū est bonas formas cerussa deuenustari? In uniuersum quicquid pulcri semper imponas, celat quod inuenit, quod affectus secū illud ostentat. Quare si quod prius fuerat, aduentitio præstat, iacturā fecerit illud quicquid est, non lucrū. Ob eā cauſsam nudam se præbet Philosophia, undiq; conspicuam, tota sub oculis, sub iudicium uenire gestit, scit se habere, unde tota undiq; placeat. Quantum de ea uelis, tantū de laude minuas, sinceram & impermisitam se haberi uult, quicquid admiscebas infeceris, adulteraueris, aliam feceris, stat puncto insectili, & individuo. Quapropter nec ludendum tropis, nec uerbis aut nimijs luxuriandum, aut translatiſ laſciuendum, aut factitijs audendum, in re tam seria, tam discriminis, in qua demere, addere, denuo tare sit flagitium. At inquiens, age damus hoc uobis, ut non sit uestrum ornatè loqui, sed uestrum est certè quod, nec præstatis, ut Latinè saltem, ut si non floritis, suis tamen uerbis res explicetis.

Non exigo à uobis orationem comtam, sed nolo  
sordidam, nolo unguentatam, sed nec hircosam.  
Non sit lecta, sed nec neglecta. Non querimus ut  
delectet, sed querimur quod offendit. Bene habet,  
iam scilicet ad nos deficis. Sed amabo incogno-  
scamus, quid iste sit Latinitas, quam solam dici-  
tis debere Philosophos, & non persoluere, si di-  
cendo incurrat. Exempli causa, à sole hominem  
producí, causare hominem nostrates dicunt. Cla-  
mabis actutum hoc non est Latinum, hucusque  
uerè, non est Romane dictum, hoc uero uerius,  
igitur non rectè, peccat argumentum. Dicit  
Arabs eandem rem, dicit Ægyptius, non dicent  
Latine, sed tamen rectè. Aut enim nomina rerum  
arbitrio constant, aut natura, si fortuito positi,  
ut scilicet communione hominum in eandem sen-  
tentiam conueniente, quo sanxerit unumquodque  
nomine appellari, ita apud eos rectè appelleatur,  
quid prohibet hosce Philosophos, quos nunc upa-  
tis barbaros conspirasse in unam dicendi nor-  
mam, apud eos non secus sanctam, ac habeatur  
apud uos Romana? Illam cur rectam non appel-  
letis, appelleatis uestram nulla est ratio, si haec com-  
positio nominum tota est arbitraria. Quod si di-  
gnari illam Romana nominis appellatione non  
uultis, Gallicam uocetis, Britannicam, Hispanam,  
uel quod uulgares dicere solent Parisiensem. Cum  
ad nos loquentur continget eos pleraq; rideri,  
pleraq;

pleraque; non intelligi. Idem accidet uobis apud eos loquentibus, ἀνάχαρσις παρὰ ἀθλωτοῖς σολοκεῖαι, ἀθλωτοῖς δὲ παρὰ σκύθαις. Id est, Anacharsis apud Athenienses soloccismum facit, Athenienses apud Scythes. Quod si nominum rectitudo pendet ex natura rerum, debemus ne Rethores, an Philosophos, qui rerum omnium naturam, soli perspectam habent & exploratam, de hac rectitudine consulere: Forteque aures respuunt utpote asperula, acceptat ratio utpote rebus cognitoria. Sed quid oportuit nouare eos linguam, & si nati erant inter Latinos, non Latine loqui? Non poterant illi ὡρηματεῖ Hermolae dum legebant in cælo fatorum leges, euentorum notas, ordinem universi. Legebant in clementis nascendi uices, & obeūdi, simpliciū uires, mystorum temperaturas. Non poterāt, inquam, eodem tempore in Ciceronē, in Plinio, in Apuleio, Romane lingue proprietates leges, obseruantias annotare. Quæabant quid abhorrens, quid receptum in natura, quid a Romanis interea, non curabant. Verum enim uero iam te loco meliore statuo. Do tibi eloquentiam, & sapientiam mutuò nexu inuicem conspirasse. Abiunxerunt Philosophi sapientiam ab eloquentia, abiunxerunt Historici, Rethores, Poëtae, quod deflet Philostratus eloquentiam à sapientia. Hos tu uicturos celebri fama minimè dubitas. Illos non nisi in pœnam & contumeliam

liam, uide quid agas, indisertam mauult Cicero  
prudentiam quam stultā loquacitatem. Non que-  
rimus in pecunia, qua moneta percussa sit, sed  
qua materia constet. Nec est qui purum aurum  
non malit habere sub nota Teutonum, quam sub  
Romano symbolo factitium. Peccant qui disredi-  
um cordis & linguae faciunt, sed quid ex cordes  
tota sunt lingua, nonne sunt mera (ut ait Cato)  
mortuaria, glossaria. Viverē sine lingua possu-  
mus, fortè non commode, sed sine corde nullo  
modo possumus. Non est humanus qui sit insolens  
politioris literaturæ. Non est homo qui sit expers  
Philosophiæ. Prodesse potest infantissima sapien-  
tia. Insipiens eloquentia, uti gladius in furentis  
manu, non obesse maxime non potest. Ergo in-  
quiens, et statuæ non à figura, sed è materia com-  
mendantur. Etsi Chœrilus eadem quæ Homerus,  
& de ijsdem Meuius, ac Virgilius cecimissent, fu-  
turum erat, ut æquè illi atq; isti inter Poëtas re-  
ciperentur. Nonne uides disparitatem similitu-  
dinis? Illud & nos asseueramus, à specie rem aesti-  
ma, non ex subiecto. Est enim à specie res id quod  
est. Sed alia specie quisquam inter Philosophos  
alia inter Poëtas recipiendus. Scribat Lucretius  
de Natura, de Deo, de Prouidentia. Scribat de eis-  
dem ex nostris quisquam, scribat Ioannes Scotus,  
& quidem carmine, ut sit ineptior. Dicet Lucre-  
tius rerum principia, Atomos, & uacuum, Deum

COR

corporeū rerum nostrarum inscium, temerè omnia fortuito occurſu corpusculorū ferri. Sed hæ Latinè dicet et eleganter, dicit Ioannes, qua natura constant, sua materia specieq; constitūi, esse Deum separatam mentem, cognoscētē omnia, omnibus consuletem. Nec propterea quod uniuersa etiā infima uideat, ac moderetur ē sua pace nimirum dimoueri, sed quod du i solet ratione p̄nā ratiōne. At dicet insulse, rūduer, nō Latinis uerbis. Quæſo quis in dubiū reuocet tam rectius ſecundum philosophari, q̄ ille loquicur ornatius. Sed uide quid differant, huic os inſipidum, illi mens inſipiens, hic Grammaticorum, ne Poëtarum dicant decreta nescit, ille Dei atq; naturæ: hic infantissimus dicendo ſentit ea, quæ laudari dicēdo ſatis nō pōſſūt, ille fādo eloquentissimus loquitur nefāda.

Hæc illi fotaffe afferēt Hermolae cariſſ. in defenſionem ſuæ barbariæ, aut qua ſunt ſubtilitate, multò fortaffe meliora, quorū ſententiæ nec ego planè accedo, nec ingenio cuiq; liberali accedendum puto. Sed exercui me libenter in hac materia, tanquam inſami, ut qui quartanam laudant, cum ut ingenium peculiariter, tum hoc confilio, ut ueluti Glauco ille apud Platonem iniuſtiā laudat, non ſeriō, ſed ut ad laudes iuſticiæ Socratem extimulet. Ita ego ut eloquentiæ cauſam à te agi audiā, in eam licentius repugnantे paulisper ſenſu, atque natura inuectus ſum, quam si uel ne-

gligendam Barbaris existimarem, non ab illis ad eam, quod nuper feci, ad Græcas literas, ad tuum nunquam satis laudatum Themistium penè totus defecisset. Quamuis, dicam libere, quod sentio, mouent mihi stomachum Grammatistæ quidam, qui cum duas tenuerint uocabulorum origines, ita se ostentant, ita uendant, ita circumferunt iactabundi, ut præ se ipsis pro nihilo habendos Philosophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, hasce uestras Philosophias. Et quid mirū, nec Fa-  
lernum canes: sed nos hoc fine epistolam clauda-  
mus. Si decus aliquod, nomenq; sibi promerue-  
runt Barbari illi, sola rerum cognitione, non esse  
facile dictu, quem locum, quid laudum tu tibi uin-  
dices, qui sis intra Philosophos eloquenti-  
fimus, inter eloquentes, ut dicam  
Greco, Οὐλοσοφῶτας.

Florentiae tertio No-

nas Iunias.

M. CCCC. LXXXV.

## RESPONSIO PHILIPPI MELANTH: PRO Hermolao.

Cum uidcrem te incredibili quodam studio  
omnium optimarum artium flagrantem, ad  
ufitatam doctrinam tua sponte ueterem Philo-  
phiam

phiam atq; eloquentiam adiungere, scripsi nuper  
ad te, barbaros Philosophos uituperans, uel ut te  
ad meliora studia incitarem ~~et~~ e v d' o r t a, ut dici  
solet, uel ut gratularer ad optima tendenti. Itaq;  
cum tuum mihi de studijs iudicium non sit igno=  
tum, et si literæ quas modo ad me dedisti, à mea sen=

tentia disidere uidentur, tamen adeo mihi non  
fuerunt ingratæ, ut magnæ etiam uoluptati fue=

rint, eò quod non obscuram tue erga me beneuo=

lentiæ significationem habent. Non enim dubito  
quin singulari erga me amore adductus, hoc cer=

tamen institueris, non ut inscitiae quorundam pa=

trocinareris, sed ut me ad hanc rat: onem quam  
probo, magis ornandam accenderes. Utinam ue=

rò Pice tam facile id possum, quam facile erat So=

crati Glauconis orationem, qui iusticiam uitupe=

rauerat, resellere. Sed hoc nostrum certamen ini=

què comparatum est. Etenim cum eloquentia  
summis eloquentia uiribus abs te accusetur, pa=

tronus ei facundior dandus erat. Ego autem &  
copia & ornamentis orationis omnibus abs te  
longe superior. Quare optarim te hanc tuam  
uim atq; ubertatem in altera parte experiri ma=

luisse. Nam mihi (ut scis) bellum est alioqui  
~~et~~ e v d' op cum hostibus rectorum studiorum,  
qui et si hoc armorum genere quo tu uteris, non  
sunt instructi, tamen acerrimè pugnant odio,  
pertinacia, & malis artibus omnis generis. Hos

non uelim uel autoritate nominis tui armari, uel  
armis tuis aduersus præstantissimas artes instrui.  
Quod si tuas copias nobiscum coniunxeris, con-  
firmare ausim, nos breui te uelut Camillo duce,  
rem Romanam, depulsis Barbaris recepturos, ac  
suum artibus decus reddituros esse, Ego tamen  
ne modo, aut tuæ uoluntati, aut caussæ publicæ  
desim, breuiter ad ea quæ scribis respondebo.  
Nam si tantam caussam complecti totam uellem,  
multis uoluminibus res agenda esset. Quæ enim  
materia locupletior existere potest, quam dicere  
de dignitate atq; utilitate eloquentiæ? quantum  
in religionibus ac reliquis artibus errorum hac  
una ex re extiterit, quod dicendi exercitationes  
neglectæ atq; intermissæ sunt. Deinde quod fue-  
rit argumentum uberior, quam si collatio institu-  
eretur ueteris Philosophiæ & huius nuper natæ  
Sycophanticæ, quam Barbari isti pro Philosophia  
profitentur. Atq; hæc si quando cursus ocium  
mihi Respub. concedet, instituere decreui. Nunc  
diluam quedam præcipua argumenta tuæ Epi-  
stolæ, non tanquam cum aduersario dimicans, sed  
&c vñ πολεῖον, uelut tecum confabulans. Cum au-  
tem in oratione tua duo sint loci præcipui, nam  
& absolutam rerum scientiam Barbaris tribuis,  
& contendis iure eos Eloquentiam aspernatos  
esse, sequar tuum ordinem, ac de Eloquentia dicā  
antea, quam eo dicas in Philosophis non esse re-  
quirens

quirendam, quia tantum sapientiae aut Eloquen-  
tiae dissidium est, ut coniungi utranque nefas sit.  
Quis non uidet te in materia noua atque absur-  
da ludere uoluisse? Nam cum haec duc virtutes  
hominis propriæ sint ac summæ, mente res bonas  
perspicere ac uidere, easq; dicendo explicare &  
ostendere alijs posse, paradoxum affers initio  
Orationis tue, quod cum ipsa natura pugnat,  
nefas esse Sapientiae Eloquentiam addere. Nam  
usus sapientiae planè nullus fuerit, nisi sapienter  
deliberata atq; cogitata communicare alijs pos-  
simus, quod cum sine magna quadam copia et ua-  
rietate orationis fieri non queat, virtutes Pice  
quas natura maximarum utilitatum caussa copu-  
lavit, distrabis. At qui sapientissimus Poëta Home-  
rus utriusq; virtutis laudē ei uiro tribuit, in quo  
sapientissimi Principis exemplum pingebat. In-  
quit enim de Vlysse, σοὶ δὲ τῷ μέν μορφῇ ἐπέωρη,  
ἐνī δὲ φρένες ἔσθλαι. Atq; idem Poëta Nestori  
tribuit orationem melle dulciorem, cuius in di-  
cenda sententia sapientiam ita prædicat Aga-  
memnon, ut magnopere plures sibi consiliarios  
istius similes optet. Quod si nefas est, ut tu de-  
fendis, coniungere haec, qui dicis, eloquentes oēs  
sine mente, sine pectore esse, stultos fuisse omnes  
quorum Eloquentia laudatur? Vlyssem, Nesto-  
rem. Deinde principes illos Rerum publicarum,  
qui suo cōsilio, autoritate, oratione, maximas res  
guber-

gubernarunt, Solonem, Periclem, Demaden, Demosthenem, Ciceronem, Cæsarem, Octavianum, & innumerabiles alios, quos, si nulla societas est sapientiae cum Eloquentia, condemnas stulticie omnes. Constat enim hos fuisse eloquentissimos. Quid de Philosophis ueteribus iudicandum erit? Dicimus ne hos fuisse indoctos, quia non sunt confuse, sordide, atque iniquitate loquuti? Platonis tanta est eloquentia, ut Græci dixerint, louem si uelut de rebus diuinis differere, usurum esse Platonis oratione, Tanta est enim copia, tanta grauitas, tantus splendor uerborum & sententiarum, ut uerius diua quam humana uox aestimari debet. Aristotelis oratio et si brevior est, tamen propria & pura est, & ita abundat quibusdam suis luminibus, ut Cicero eam dixerit, similem esse flumini aurum uenenti, & interdum adeo dulcis est, nihil ut possit cogitari dulcius. Vide autem, quam sit iniustum adimere sapientiam summis illis Principibus & Rerum publicis & doctrinae. Per me liberum est tibi, & amare & mirari ingenia Barbarorum. Sed si hoc tibi concedi postulas, ut preferamus istos summorum hominum ingenij, nullam aliam ob causam, nisi quid spurce locuti sunt, etiam atque etiam uidendum tibi erit, ut sententiam non solum absurdam, sed penè crudolem auditu uerecundè tueri possis. Ac fortassis aliquam excusationem res haberet, si si ne colla-

ne contumelia eloquentiae Barbaros defenderes,  
 ac tribueres eis suam quandā laudem diligentiae,  
 ac prudētiae, in reb.inquirendis ac iudicandis, &  
 fatereris defuisse aliquid uel ipsis uel tēporibus.  
 Quid n.mirū est, desiderari aliquid in hominibus,  
 cum paucissimi sint artifices boni omnibus etatib⁹,  
 etiam in leuioribus artibus, tantum abest,  
 ut in hoc summo genere, pariter excellere pos-  
 sint omnes. Sed tu ita defendis istos, ut eloquen-  
 tiā ipsam insecteris & planē indignam bonis  
 ac sapientibus uiris esse contendas. Itaq; et si po-  
 stea ostendam non solum dicendi rationem Bar-  
 baris defuisse, sed etiam alia, quæ tu tribuis, tamen  
 nunc nihil de isto genere scriptorum dicam, ipsi-  
 us eloquentiae patrocinium suscipiam. Tota enim  
 oratio tua, non tam defensio est Barbarorum,  
 quam eloquentiae uituperatio. Disputas enim  
 eloquentiam esse accersitum ornatum & fucum,  
 qui adhiberi soleat aut uoluptatis caūssa, aut eti-  
 am ad fallendos homines. Rhetorum dicis esse  
 mentiri, circumuenire, & nescio quibus præsti-  
 gis animos decipere. Si non intelligunt isti tui  
 scriptores, aliud esse eloquentiam, quam huius-  
 modi fucum, planē iam detrahenda erit eis Philo-  
 sophiae cognitio, quam præcipue sibi arrogant.  
 Non enim perspiciunt, eloquentiam peculiarem  
 uim ac uirtutem esse, utilitatis alicuius caūssa da-  
 tam hominibus, deinde non recte definiunt, quod

Diale-

Dialecticis, quales se esse profitentur isti, turpis-  
simum est. Nam eloquentia, non est, (ut isti som-  
niant) accersitus cultus, sed est facultas propriæ  
ac dilucide explicandi animorum sensa ac cogi-  
tationes, qua in re etiam dignitati & ueritati  
seruiendum est, ut apta & recta dicantur, & ut  
amplificentur res magne, & eleuentur ea quæ  
ab ijsi prodest. Itaq; ut pictoris finis est, uere ac  
propriè imitari corpora, quod quād difficile sit  
consequi, non est obscurum experienti: Neq; ars  
tantum, sed etiam magna colorum uarietas atque  
distinctio ad id requiritur. Ita Rhetoris siue ita  
uocari maiis, eloquentiæ finis est, ipsas animi co-  
gitationes, quasi pingere & representare pro-  
prio & perspicuo sermonis genere, qua in re  
cum elaborabit, magna ei uarietate quasi colo-  
rum, uerborum, sententiarum, & figurarum, de-  
niq; etiam arte quadam opus erit, ut ego qui-  
dem statuo, multò maiore, quād consummati &  
perfecti pictoris ars potest esse illa. Tota igitur  
nobis de definitione controversia est, quid sit elo-  
quentia, aut certe de fine, quem ad usum homini-  
bus eloquentia concessa sit. Hac de re, ut omit-  
tam ea, quæ sunt apud Rhetores, communem sen-  
sum consulto, aut certe Philosophorum Prin-  
cipes, Platonem & Aristotelem, quorum alter  
in Thædro sapienter & copiose disputat, et quid  
sit eloquentia, & quād necessaria sit ad diuinias  
& hu-

Et humanas res explicandas. Quanquam haud  
scio an Barbari isti ne locum quidem dent Pla-  
toni inter Philosophos, Sed Aristoteles in rheto-  
ricis eadem scribit. Definiunt igitur eloquenti-  
am hi Philosophorum principes, uim esse diuini-  
tus hominum generi concessam, ut de magnis &  
necessariis rebus, de religionibus, de rerum coele-  
stium atq; aliarum natura, de iure ac iusticia, de  
omni uirtutis officio, propriè ac perspicuè do-  
cere alij alios possint. Nec sine causa dictum est  
homines ante dispersos ac uagabundos in agris,  
eloquentia congregatos esse, ciuitates conditas,  
Iura, religiones, legitimas nuptias, & cetera so-  
cietatis humane uincula constituta esse. Hec  
enim profectò tenentur oratione in ciuitatibus.  
Hanc uim diuinam, tam necessariam humano ge-  
neri, nihil putemus esse, nisi ludum ac præstigias,  
quemadmodum scribis? Ego uero non dubito  
ingratitudinis atq; impietatis accusare oēs, qui  
eloquentiae beneficia non agnoscunt. Atq; illi ipsi  
Philosophi quorum sequor autoritatem, admo-  
nent in obscuris & grauibus causis explicandis  
opus esse, non solum prudentia magna, que res  
bonas peruidet, sed etiam uia quadam & ratione  
docendi, & genere sermonis, quod res de quibus  
dicimus planè exponere & subiçere oculis ho-  
minum possit. Itaq; duas artes constituerunt in-  
ter se cognatas, Dialecticen & Rheticen, qua-

rum altera docendi uiam monstrat, altera docet, quo uerborum genere res exponendæ sint. Quis autem non uidet hæc inter se natura coniunctæ esse? Quæso enim si de religionibus docendi sunt homines, si in iudicijs res obscuræ & intricatæ iudici demonstrandæ, num hæc fieri, primum si ne uia docendi, deinde sine magna copia, uarietate ac luminibus orationis existimas? Erras si doceri posse homines credis hoc genere disputandi, quo isti Barbari in scholis utuntur, quod non solum populus, sed ne ipsi quidem initiati, ut ita dicam, inter se intelligunt. Etenim non solum genus uerborum nouum est, & ignotum populo, sed ita confusa sunt omnia, ut uelut in labyrintho neq; initia neq; exitus rerum deprehendi possint. Et subinde fingunt noua ac prodigiosa somnia & uerborum portenta, quibus cum res nullæ subsint, intelligi nihil potest. Falsum enim est, ut Philosophi dicunt ἀκατάληπτον. Itaq; sepe cum inter se rixantur, uidere licet ipsissimam imaginem illius iudicij, de quo est prouerbium: δύσκωφ δύσκοφ οὐρίετο. Et quoniam quedam picturæ, atq; eloquentie similitudo est: ut enim pictura imitatur corpus, ita oratio pingit ac reddit animi sententias, libenter ab illa arte mutuamur exempla. Quæso te num eiusmodi picturam probare possis, in qua formæ confusæ ac monstroſæ nihil certi significant aut ostendit.

aut ostendunt spectatori. Talem tabulam quis posset æquo animo aspicere? Similimum autem est huic picturæ genus dicendi in Barbaris. Sed ut illius monstroſæ picturæ nullus est uſus, ita hæc obscura oratio, quam habet utilitatem in Republicas in docendis hominibus? in regendis & explicandis religionibus? in iudicijs exercendis? de niq; in hac tota uita publicè ac priuatim gubernanda? Quare constituamus id quod res est, elocutionem non esse inanem cultum, sed necessarium ad cauſas omnis generis uerè ac propriè explicandas. Ac Rhetoris esse, non ut tu dicas, ludere ac mentiri, sed de maximis rebus uerè docere homines, qui etſi interdum in difficultibus cauſis, figura aliqua uititur, & ut tuo utar uerbo, decipit auditores, id non minus ad officium eius uiri pertinet, qui domi Republicas gubernat, quam ad Imperatorem pertinet arte hostes circumuenire. Hunc enim uirum qui de bonis ac necessarijs rebus rectè, dilucide, & cum dignitate quādam docet homines, Oratorem nos uocamus, quem tu Philosophum uelis uocari, nondum satis intelligo. Evidēt Philosophum uoco eum uirum, qui cum res bonas atq; utiles humano generi didicit ac tenet, doctrinam ex schola atq; umbra ad uſum & Rempublicam transfert, docet homines aut de natura rerum, aut de religionibus, aut de regendis ciuitatibus. Deinde ut maxi-

Q me

me Oratorem tantum reijcias in forum, tamen  
eas Philosophiae partes illi, quas tu defendis, sus-  
cepserunt, quæ sine eloquentia lumen habere nul-  
lum possunt. Primum enim eis non est una ora-  
tionis forma, tamen si animorum nostrorum co-  
gitationes alijs communicare uoluerimus, uten-  
dum erit certo quodam genere sermonis, quod  
uerbis notis & rectè iunctis, integrè atq; ordinè  
res de quibus dicimus, exponat. Id commune esse  
debet in omni orationis forma. Nam etiam ille  
artes, que propemodum uideri mutæ possunt,  
Arithmetica & Geometria, tamen non possunt  
percipi nisi proprijs uerbis & uia ac ratione  
quadam tradantur. Cæteræ uero partes, Physicæ,  
Ethicæ, & Theologicæ materiæ, erui atq; illu-  
strari sine eloquentia, et sine ijs artibus, quas Elo-  
quentia continet, nullo modo possunt. Porrò tui  
illi magistri Thomas, ac Scotus, promittunt nobis  
perfectiss. doctrinam de religione, deq; omnibus  
uitæ officijs, quid præstent, postea dicam, nunc  
tantum de genere orationis disputo. Quid autem  
potest fingi stultius, quam quod sine eloquentia  
Ecclesiarum doctores ac uitæ duces perhiberi  
nolunt & ac ne quidem quid sentiant ostendere  
possunt? In singulis artibus quedam propriæ  
sunt artificum uocabula. Quare Philosophis ac  
Theologis etiam sua quedam uocabula ut Archis-  
tectis ac pictoribus concedi æquum est. Sed inter-  
rim

rim r̄cliquis sermo constare usitatis ac notis uer-  
bis debet, oportet & in iungendis uerbis imitari  
confuetudinem. Hęc non sunt apud istos. Dein-  
de non solum habēt errata Grammatica, sed neq;  
sententias absoluunt, neq; iudicium, neq; ordinem  
in explicando adhibent. Postea amissa loquendi  
diligentia, rerum etiam iudicium amiserunt. Fin-  
ixerunt enim unā cum monstrosis uocabulis in-  
explicabilia somnia, quibus uniuersam Philoso-  
phiam ac Theologiam obruerunt, ita in istorum  
doctrina uerē sunt, ut Græci dicunt, πάντα μία  
κόνις. Quare non solum populus, sed ne ipsi qui-  
dem, quod est uel maximè ridiculum, suas disputa-  
tiones intelligunt, ac solacizant, non ut Ana-  
charsis Athenis, ut tu dicas, sed in suis scholis. Ve-  
nio nunc ad aceruum similitudinum tuarum,  
que detrahunt Philosophie, non ut tu ratiocina-  
ris eloquentiam, hoc est, uerum colorem oratio-  
nis, sed ineptum ornatum. Virginem non decet  
fucus: Nec monstrosa facies decet. Quid autem  
monstrosius est Barbarorū oratione? Nam ea ora-  
tio quae est optima, nativus sententiæ color est.  
Aliena, confusa, & perturbata oratio, deformat  
& corrumpt sententias, ac ne effingit quidem,  
quod debeat esse orationis officium proprium.  
Sed sermonem, inquis, non aspernor, ornatum nō  
requiero, ut in matrona simplicem cultum proba-  
mus. Ne Cicero quidem plus requirrit à Philoso-

phis, quam purum sermonem aptè ac dilucide res explicantem. Sed haec facultas hoc modo dicendi, & præcipua eloquentiae pars est, & ab arte plurimum sumit. Requirit enim summam prudentiam in rebus investigandis, atq; collocandis, copiam uerborum amplissimam, iudicium acerrimum in dilectu. Nam cum due sint propemodum orationis formæ, tenuior altera, altera grandior, non ita multum posterior dissimilis est priori, nisi quod figuræ & amplificationes crebrius adhabet. Itaq; priorem formam, quæ uerecundior est, disputationibus putant accommodatorem esse, et si in tanta rerum uarietate, multa in Philosophia incident, de quibus etiam grandiore quodam sono dicendum est, ut proprius aspici rerum magnitudo possit. Itaq; et si Aristoteles & Ciceron in disputationibus priore genere utantur, tamen interdum assumunt etiam alteram formam, qua quidem Plato ubiq; propemodum utitur. Porro si Philosophie etiam priorem illam formam detrahes, plane mutam reddideris. Quid enim explicare poterit, si ne proprio quidem & perspicuo genere orationis utetur? Neque uero quisquam sine optima doctrina, si ne acerrimo studio, sine longa exercitatione, illud ipsum genus, quod indocti omnibus in manu esse putant, consequi potest. Pictorem manu nostræ ætatis Apellen, cum mihi cupide audenti

dienti commemoraret & adolescentiæ studia, &  
quem sibi postea scopum artis proposuisset, quo  
quasi directam manum haberet, dicere, se adole-  
scentem in pictura mirificam quandam ac pene  
prodigiosam uarietatem amasse gestuum atq; or-  
namentorum omnis generis: Nunc senescentem  
se consulere naturam, in hanc intueri, ut eam  
proxime et propriissime exprimeret, neq; se quod  
cuperet, assequi: quia hac proprietate nihil diffi-  
cilius sit. Neq; uero facilius est negocia uerbis  
proprijs, quam naturam coloribus pingere. Itaq;  
Horatius significat quantum hæc res habeat dif-  
ficultatis, cum ita iubet scribere, ut sibi quiuis,  
Speret idem, sudet multum, frustraque labore.  
Ausus idem, tantum series iuncturaque pollet.  
Tantum de medio sumtis accedit honoris.

At ego ita statuo, magnos Oratores qui Re-  
spub. gubernauerunt, quos accepimus præmeti-  
entes dicendi pericula, incredibili quodam metu  
ad dicendum accessisse, non de cæteris ornamen-  
tis, sed de hac propria rerum explicacione solli-  
citos fuisse, quam experiebantur esse difficili-  
mam. Periclem aiunt, cuius tanta fuit eloquen-  
tia, ut tonare ac fulminare dictus sit, cum ascen-  
dit in concionem, precari solitum, ne quod sibi  
uerbum excideret, quod caussæ obesset. Sæpe eti-  
am Cicero significat, se cum timore summo ad di-  
cendum accedere, cuius rei uel hoc argumentum

esse potest quod aliquando ita letatus est, iudicis  
die prorogato, quod ei de causa intricata dicen-  
dum erat, ut seruum id renuntiantem libertate  
donauerit. Vidi ipse homines eloquentissimos.  
natu grandes, cum dicere iussi essent, toto cor-  
pore perhorrescere. At qua de re angi putemus  
homines peritisssimos, num de flosculis orationis,  
aut accessito cultu, ut tu iudicas? Imò uero de  
propria rerum explicazione solliciti sunt, ne quid  
excidat quod dici non refert, ne quid alieno loco  
dicatur, ne incurvant in uerba quæ officiunt aut  
causæ aut ipsorum existimationi. Deniq; innu-  
merabilia pericula sunt. Hoc minimi negotij est  
hominibus copiosis atq; exercitatis, insignes ali-  
quas figuræ addere. Præcipius ornatus est ipsa  
rerum propria explicatio, ut in picturis iusta  
corporum lineamenta. Et tamen sèpè magnitudo  
rerum postulat, aliquid uel attolli uel abiisci, quod  
etiam facere natura cogit tuos illos Barbaros.  
Vides enim in illorum scriptis & sermone, crea-  
bras amplificationes, sed dij boni quam insulsas.  
Quanto ueriora & aptiora dicerent, si studium  
hoc non essent aspernati. Demus igitur Philoso-  
phis uerecundam orationis formam, modò ut res  
dilucide, uerbis notis, recte iunctis, ordinè distri-  
butis, integrè explicet. Bene olere mulierem, ait  
Plautus, quæ nihil olet. Talis oratio etiam dele-  
stat fana ingenta, Nec solum in scholis ac dispu-  
tationia

tationibus laudem habet, sed etiam in foro multi  
hac una forma contenti fuerunt.

Et talem nobis oratorem Homerus Menelaum describit, quem ait solitum dicere, παῦρος οὐδὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ δὲ τραύματα οὐδὲν ἀφαμαρτυεπής. Tribuit enim ei et proprietatem et suavitatem. Has uirtutes consequi Philosophum, si uelit intelligi, oportet. Quantum autem absunt ab illo Homericō Menelao uestri Barbari, qui cum ea de re, quam suscipiunt, uix unquam quicquam dicant, quod faciat προσεπίπονος, tamen plerūq; extra causam sunt loquacissimi, ineptiarum pleni. At Cicero expreſſit nobis formam illius proprij Oratoris ac λιγέως dicentis, in libellis de natura Deorum & alijs Philosophicis disputationibus. Exprefſit & eam multis in locis Aristoteles. Verum non est, inquis, Philosophi seruire uoluptati. Utinam Pice adeo contemnerent Theologi tui uoluptates cæteras, ut orationis mundiciem aspernantur. Quanquam autem nulla uoluptas homine liberaliter instituto dignior est quam hæc: Nulla est enim harmonia dulcior ac naturæ hominis conuenientior, quam oratio rerum bonarum plena & compositione concinna, tamen hic non dispueto, ornatum uoluptatis sed necessitatis caufa adhibendum esse. Non enim doceri de magnis rebus homines possunt, nisi & genus sermonis purum, &

via quedam, & ratio explicandi, & cætera quæ  
in artibus traduntur, adhibeantur. Quod uero  
addis, Bacchanalia in Vestæ sacris agere Philo-  
sophos eloquentiae studiosos, dicam simpliciter  
quod sentio, Stomachum mihi mouit. Quæ enim  
uoluptas est, contumelia afficere cum ipsam Elo-  
quentiam, tum uero Philosophiæ principes? Num  
Plato, Aristoteles, Cicero, uidentur tibi Baccha-  
nalia agere, idq; in sacris Vestæ? Num uidentur  
tibicines, quia non sunt spurcè locuti? Et qui-  
dem Plato longè omnes uincit tum Græcos tum  
Latimos Oratores, copia & splendore orationis.  
Scytha quidam cum apud Græcos Musicum au-  
diret suauissimè canentem, inquit, Malle se audi-  
re hinnientem equum. Satis hic quidem Scythic-  
è, sed bis Scythicum fuerit, nihil affici suauitate  
orationis summorum autorum, qui Philosophiam  
nobis pepererunt. Tu uero etiam furere eos di-  
cis. Non satis attendis Pice, quam sustineas per-  
sonam. Cum enim profitearis te Philosophiæ ac  
ueritati patrocinari, minimè ea fide ac simplici-  
tate cauſsam agis tuam, quam Philosophis tribui  
postulas. Quorsum enim pertinent tam multæ  
similitudines tuæ undiq; collectæ? quæ non so-  
lum extenuant eloquentiæ dignitatem, sed planè  
iubent uelut pestem fugere, nisi ut fucum lectori  
faciant, ne eloquentiæ dignitatem aspicere pos-  
sit? Quæso te utrum hæc Rhetorica sunt an So-  
phistica?

phistica? Certe à uiro Philosophico non aptè dicuntur. Quid enim facies Theologis facundioribus, Paulo, Basilio, Hieronymo? Num hi quoq; Bacchanalia agunt? Sed defino has similitudines tuas excutere, in quibus hoc commune erratum est, quod elocutionem iudicas esse delicias quasdam, non ad utilitatem ac necessitatem comparatas, nos contra ornatum precipuum esse, propriam rerum expositionem. Et tamen in tanta rerum uarietate multa esse, quibus ut conspicere eorum magnitudo posset, nitor quidam adhibendus sit, in quo etiam necessitatem sequimur. Seruimus enim dignitati & magnitudini rerum. Neq; ego cum ornatum laudo, illa orationis flagitia probo, quæ tu commemoras, cum de affectatis lenocinijs declamitas, qualia deprehenduntur in Apuleio, qui nihil propriè dicit, sed habet perpetuas Periphrases & Metaphoras. Idq; peccat Philosophus. Nec multo secus Barbari uestri rhetoricanter. Quanto prudentius Rethores? in quibus tu orationis delicias in crimen uocas, cum nulli magis aspernentur ambitiosum & inanem cultum, nulli dicant castius quam hi, qui ad recte dicendum his exercitationibus assuefacti sunt. Ac uelut in rosis candor, ita in oratione Philosophi simplicitas quedam insit nativa. Et ut pureæ roseæ Veneris sanguinæ conspersæ dicuntur, ita ornamenta sint non prodigiosa, sed uenu-

sta ac

sta ac suauia, qualia sunt in Ciceronis disputationib⁹, sœpè etiā in Aristotelicis, ut uerè possis dicere, Ambrosia conspersas esse. Sed magnis exemplis barbariem tueris. Cultus deest, inquis, in saeris literis. Verum longè dissimilis est oratio in tuis Barbaris, qui plane nouum sermonis genus considerunt. Prophetæ in sua lingua non loquuntur uitioſe, & uoluerunt intelligi, quidam etiam satis ornati sunt. Davidis enim carmen ut in ista lingua uerè Atticum est. Apostoli uerbis bonis utuntur. Paulus uero etiam adhibet in disputando artem, & quedam ornamenta. Deinde cur diuinitus additum est Euangelio donum linguarum, si eloquentia inutilis est ad res sacras et magnas exponendas. Quid enim aliud est donum linguarum quam eloquentia, hoc est facultas planè & copioſe res obscuras explicandi? Atq; hic accusandi erant tui magistri, quod cœleste donum non conseruauerunt, quod linguarum studia, quæ antea in Ecclesia colebantur, nouo doctrinæ genere oppresserunt. Pythagoram etiam allegas, qui mysteria texerit inuolucris. Fortassis illi expediebat tegere quasdam sententias, quas docebat contra publicas persuasions. Nos uero non loquimur de arcanis, quæ pro tempore occultanda sunt, sed de illis quæ efferri atq; extare oportet, quæ pars multò maxima est in doctrinis. Deinde & Symbola et Apologos conditos

ditos interpretor, non hoc consilio ut præcepta tegerent, sed ut essent uelut morum picture, utilles ad excitandos animos, ad admirationem. Natura enim & amamus & admiramur picturas. Sed prædicat Aristoteles sua scripta, et si extarent, tamen non extare. Ille uero non hoc sensit, se de industria tenebras offudisse lectoribus. Nam pleriq; libri ualde perspicui sunt. Duas enim res adhibet, que perspicuitatem imprimis efficiunt, methodum uidelicet, & genus orationis proprium. Nec uero methodum tanta diligentia secuturus erat, si de industria res obscurare uoluisset. Verum uidit sua scripta non esse intellectuos, nisi qui liberaliter instituti essent. Eius iudicij multæ sunt caussæ. Deterrebat igitur à suis scriptis homines ineptos, qui imparati ad ea irrumpebant, quo in genere non leuiter etiam peccauerunt Barbari tui, qui nulla instructi liberali doctrina, profitentur se Aristotelis interpres esse. Postremo etiamsi Aristoteles interdum oneri cedens, ut fit, non satis commoratur in aliqua re explicanda, non semper quid quisq; artifex effecerit, sed quid requiratur spectandum est. Quis autem est lector, qui non optet ubiq; summam esse perspicuitatem? Postremò etiam philosophari incipis, Vocabula non natura constant, ait, sed hominum arbitrio, licuit igitur eis condere nouum sermonis genus. Quid audio?

Si hoc

Si hoc semper licet, quomodo contrahent inter se  
homines? quomodo docere alij alios poterunt?  
Sed omitto hæc quæ leuiora sunt quam ut diluc-  
re opus sit. Venio ad alteram partem tuæ di-  
sputationis, in qua arrogas Barbaris rerum sci-  
entiam, & quidem eloquentibus detrahis. Cum  
autem de eloquentia responderim, non quantum  
magnitudo rei postulat, sed quantum uel potui,  
uel Epistole modus patiebatur, de altero etiam  
breuius dicam, et si hæc disputatio multò maior  
ac difficilior est de toto genere doctrinæ in istis  
tuis autoribus. Atq; initio Lucretium & Sco-  
tum committis. Est autem iniquum cum de ge-  
nere dicendi controuersia sit, materias conferre.  
Neq; enim adeo amens sum, ut manem loquacita-  
tem pluris faciam, quam sapientiam. Verum hoc  
defendo, Eloquentiam ad res magnas patefacien-  
das necessariam esse. Deinde cur non opponis  
Scoto Theologum aliquem, uidelicet Hierony-  
mum? Vter de Ecclesia melius meritus uidetur?  
Istene cuius eloquentia lumen attulit sacris li-  
bris, pleraq; dogmata diligenter explicauit? an  
uerò Scotus qui cum nullum dogma illustrauit,  
nugaciissimas disputationes in Ecclesiam inuexit?  
Deinde facis inculiter Pice, quod Barbaris ita  
arrogas rerum scientiam, ut præstantissimis in-  
genijs Græcis & Latinis detrahas, qua in re  
cum modestiam desidero dignam Philosopho, tum  
uero

uerò etiam prudentiam. Vituperas quicquid est  
dysertorum, Poëtas, Oratores & Historicos. Hos  
dicis omnes amplexos esse eloquentiam sine sa-  
pientia, cum quidem hoc ad causam tuam nihil  
pertineret. Poteras enim tuis rerum scientiam,  
sine horum contumelia tribuere. Sed sic solent  
rhetoricari, qui eloquentiae studia uituperant.  
Obsecro te nihil putas esse sapientiae in Homero,  
Virgilio, in Demosthene, Cicerone, in Herodoto,  
Liuto, & cæteris, qui hos in scribendo imitati  
sunt? An non uidentur hi tibi uerius philoso-  
phari, cum uel naturam rerum sapientissime de-  
scribunt, uel summo consilio pingunt imagines  
omnium rerum, que uel in priuata, uel in publi-  
ca uita accidere possunt, cum præcepta & ex-  
empla uite ac morum utilissima proponunt,  
quam Barbari tui, cum rixantur, utrum partes  
simil sumtæ distinguantur realiter à toto, &  
hoc genus infinita? non enim libet recitare.  
Quid? quod Oratores maximum usum rerum  
afferunt ad scribendum, qui iudicia exercet atq;  
acuit. Quare Philosophiam aptè ad usum & ad  
communem uitam transferunt. Tui Philosophi  
in umbra ne quidem uim præceptorum, de qui-  
bus rixantur, intelligunt. Sed longum esset de  
laudibus eloquentium scriptorum dicere, & non  
est necessarium. Facile enim iudicari potest,  
abundare eos rebus optimis & ad uitam necesa-  
rijs,

sarijs, ac sumtis ex media Philosophia. Redeo igitur ad Barbaros, quibus equidem non detraho in uniuersum rerum cognitionem. Ac minimè uituperandos censeo Medicos, quorum ars exerceri sine magna eloquentia potest, tametsi doceri à disertis felicius queat. Deinde fontes sunt apud Græcos, nec opinor à posterioribus uinci Hippocratem & Galenum, aut acumine in inueniendo, aut diligentia in inquirendo, aut ratione aut proprietate in explicando. Sed non disputas proprie de Medicis. Aristotelicos & Theologos defendis, hos habes in delicijs, horum sapientiam admiraris. Neq; ego eos in totum doctrinæ laude spolio, studium etiam & uoluntatem laudandum censeo. Videntur enim Philosophie studia, quæ multis seculis conticuerant, rursus excitare noluisse. Sed si ita complecteris eos, ut incoata studia absoluuisse existimes, longè falleris. Mihi uero magna ex parte Philosophiam corrupisse uidentur, idq; ob hanc causam præcipue, quod has dicendi exercitationes neglexerunt. Itaq; non solum genus sermonis, et uniuersæ doctrinæ formam (est enim confusissima) reprehendo, sed etiam magna ex parte res desidero meliores. Nam cum & genus sermonis non intelligerent, & artes non transferrent ad usum aliquem, iudicio lapsi, multas absurdas opiniones genuerunt, quibus ferè uniuersam Aristotelis Philosophiam pernitit.

vitus obriuerunt. Idq; testantur moles commen-  
tariorum, qui magna ex parte consumuntur in  
illis somnijs, de natura cōmuni de hecceitatibus,  
de distinctionibus, & de primis & secundis in-  
tentionibus, de instantibus, & similibus delira-  
mentis. Vetus uersiculus est, τὰ μηδὲπ ὡφε-  
λεύτα μὴ πόνα μάτιον. Sed hēc cum ferē sint  
commentitia, non solum nihil afferunt utilitatis,  
sed nocent etiam, non solum, quia in his descendis  
temporis iactura facienda est, sed etiam, quia  
iudicia deprauantur. Quanto satius erat p̄r-  
cepta simpliciter proponere, & ostendere, quem  
uel in iudicanda natura, uel in negocijs, uel in  
moribus, & communi uita usum habeant, quo-  
modo ea transtulerint ad usum magni artifices,  
quid hinc Poëtæ, quid Oratores, quid alij magni  
uiri sumserint? Quantum flagitiij est, quod ille  
nugæ etiam studia Mathematum extinxerunt?  
Nosti enim scholarum morem. Præterea uix um-  
bra Mathematum est in Barbarorum scriptis.  
Omnia enim planiora atq; illustriora sunt apud  
Græcos. Itaq; excellentes nostra etate Mathe-  
matici Græcē discendum putauerunt, ut german-  
am Ptolemæi sententiam, deinide ut Græcos in-  
terpretes in hoc genere consulere possent. Præ-  
clarè inquit Plato de Mathematum doctoribus,  
facile eas artes percipi posse, si doctor contingat  
idoneus. οὐδὲν διδάξοιερ, εἰ μὴ θεός  
ὑφε-

νόφηγοῖτο. Negat quenquam idoneum fore ad descendum, nisi Deum aliquem ducem habeat, hoc est, nisi & singulari ingenij dexteritate prædictus sit, & expeditam ac perspicuam docendi rationem teneat. Sed in Barbarorum scriptis ita perturbata & confusa sunt omnia, ut hunc ducem eis defuisse appareat. Quare gratulamur nostræ etati, qua quidam & Græcis literis & eloquentia instructi, cum reliquam Philosophiam, tum etiam hanc partem repurgare atq; instaurare cœperunt. Miror autem, cur Theologis tuis tantam Philosophiae scientiam tribuas, cum à Mathematicis, quæ est haud dubiè præcipua Philosophiae pars, ualde nudi atque inopes sint, quos quidam tu mihi producis, homines religiosos, satis Thrasonicè de se prædicantes. Viximus celebres, & uiuemus non in scholis Grammaticorum, ubi de Niobes filijs disputatione, sed in coronis Philosophorum, ubi humanarum & diuinarum rerum oratores queruntur. Vixerint sane celebres. Non enim inuideo. Illud autem optarim, de Niobes filijs eos nugatos esse potius, quam isto modo lusisse in Ecclesiastica doctrina, qui cum sacrarum literarum sermonem non inteligerent, cum nullam haberent antiquitatis noticiam, cum iudicij inopia ueteres controvèrsias ac sententias non rectè acciperent, multas sparserunt in Ecclesia impias et pernicioſas opiniones.

niones. Quām sunt incepti cum interpretantur Prophetas & Paulum? Quā in re in primis ridiculum est homines Dialecticos, quiq; in una illa arte consenuissent, nusquam uidere, id quod erat Dialectici, quid proponat David aut Paulus, quae sint initia argumentorum, qui exitus. Tales interpretes in sacris literis uerè sunt ὄνοι ζν μύ= πω, ut uulgò dicunt. Itaq; cum sermonem non assequerentur, nouam quandam Theologiam architectati sunt. Centones scriperunt, quorum magna pars consuta est ex disputationibus puerili- bus, quæ agitantur in ipsorum Dialectica. Tanta uis est consuetudinis, ut puerile studium ne senes quidem deponere possint. Deinde assidunt pauca quædam dogmata Ecclesiastica, quæ non reprehendo. Sed quædam de maximis rebus scelestē corrumpunt ipsi, in quibus nec Scripture, nec Synodorum uerba intelligunt, ac serunt impias & fanaticas opiniones. Reliqua est pars, quæ habet infinitas questio-nes, de humanis traditio- nibus, ut uocant, de qua ὡδὴ υγίεζ dicunt. Ac de toto hoc genere corām tutius erit disputatione, ubi cum euoluerō tuos magistros, res ostendet eos uerius esse πιθήκας ζν πρφύρους, quam ut tu putas, Alcibiadis Silenos. Quod autem eis etiam immortalitatē polliceris, ac uicturos esse confirmas, melius ominari te uelim, & Christiane doctrinæ, & alijs honestis artibus. Eō uani-

R tatis

tatis processisse disputatricem Theologiam ontis  
nes sani fatentur, ut reuocari ad fontes doctrinam  
Christianam necesse sit. Eam ad rem pro-  
futura sunt eloquentiae studia, quæ si quando co-  
lere nostri homines incipient, spero Herculem  
aliquem exoriturum esse, qui monstris illis orbem  
terrarum liberet, quiq; Philosophiae & Christia-  
næ doctrine natuum decus restituat. Atq; adeò  
ad hanc laudem expetendam, excitare te Pice  
non desinam, quem & ingenio excellere, & do-  
ctrinæ uarietate præditum esse, & ardere incre-  
dibili quodam studio ueritatis inuestigandæ, &  
eloquentia ad res tantas illustrandas instructum  
esse uideo. Nam si est hominis Philosophi, ut  
certè est, in eruenda atq; patefacienda ueritate  
bene mereri de toto genere humano, te ueræ Phi-  
losophiae deditum in hanc curam maximè incum-  
bere omni studio decet, ut collapsas artes instau-  
res. Neq; uero meritum ullum maius aut glorio-  
sius ducendum est inter homines, cum ueritate  
nihil sit melius: οὐδὲν γαρ πάντων μού  
διαθῶν δεοῖς ἐγένετο, πάντων δὲ αὐθωρίε.  
ut grauiſſime dixit Plato. Ac iam quia speci-  
men quoddam præbuisti tuorum studiorum, in  
quo signifaces, pleraq; tibi in ueteribus conger-  
tionibus tuis, non probari, ac nouam quandam ra-  
tionem, tum ad Philosophiam, tum ad Theologia-  
m tractandam adhibes, magnam in ſpem erudie-  
tos om̄s

tos omnes erexisti. Reliquum est ut bene prece=  
mur tibi. Hec tibi rescribenda esse duxi, non  
quod arbitrarer de his studijs aliud esse tuum,  
quam meum iudicium, sed, quod statuebam gra=  
tum tibi officium meum fore, quoniam me ad scri=  
bendum prouocasses. Quanquam, ut tu dicas, sto=  
machum tibi mouere quosdam Grammatistas, qui  
leuiter degustatis primis artibus, præ se Philoso=  
phos contemnunt, ita ego multò iustius succen=  
seo morosis quibusdam, qui cum ueræ Philoso=  
phiæ infestissimi hostes sint, tamen Philosophiæ  
titulo regnant, ac mirabili con spiratione, et odijs  
pertinacissimis obfistunt, quo minus reflorescere  
meliora studia possint. Scripsi igitur quædam hic  
asperius, ne isti me patrocinium nostrarum lite=  
rarum abieciisse existimarent, quæ cum leges, bo=  
ni consulito. Eui enim uehementior alicubi, istos  
animo intuens, cum scirem mihi hac de re uerius  
cum ipsis, quam tecum certamen esse. Ut autem  
stesichorum ferunt, cum Helenæ formam uitu=  
perassent, erroris pœnam cœcitate dedisse, po=  
steaq; cum palinodiam canceret, oculos recepisse:  
ita te quoq; Deo gratū facturum statues, si Elo=  
quentiam cœlo donatam hominibus maximarum  
utilitatum causa, cuius dignitatem prior epistola  
extenuat, rursus ornes ac laudes. Id argumentum  
tua & persona & facultate copiaq; dignum fu=  
erit. Vale.

PI MELANTHONIS DE  
legendis Tragœdijs &  
Comœdijs.

**S**æpe de hominum mōribus & de disciplina cogitans, Græcorum consilium ualde admittor, qui initio Tragœdias populo proposuerunt, nequaquam ut vulgo existimatur, tantum oblationis causa, sed multò magis, ut rudes ac feros animos consideratione atrocium exemplorum et casuum flellerent ad moderationem, & frenandas cupiditates, quod in illis Regum & urbium euentibus imbecillitatem naturæ hominum, fortunæ inconstantiam, & exitus placidos iuste factorum, econtra uero tristissimas scelerum pœnas ostendebant. Qua in re & hoc singularis prudentiæ fuit, eligere argumenta non uulgarium casum, sed insignium & atrocium, quorum commemoratione cohorrerescerent tota theatra. Non enim mouetur populus letium aut mediocrium miseriarum cogitatione, sed terribilis species obijcienda est oculis, que penetrat in animos & diu hæreat, & moueat illa ipsa commiseratione, ut de causis humanarum calamitatium cogitent, et singuli se ad illas imagines conferant. Nec fuit exigua facultas & ars, grandiloquen-

loquentia sermonis & gestuum uarietate magnitudinem rerum ut cunq; exprimere.

Ego ipse s̄epe toto corpore cohorresco legens tantum, non etiam intuens ut in theatro agentes Sophoclis aut Euripidis Tragoedias. Nec uero quisquam tam ferreus est, qui sine animi consternatione legat fratrum Thebanorum certamen, & matris Iocastæ exitum, quæ direntur & prælium cum tardius uenisset, ex alterius filij uulnere ensem extrahit, & hoc ipso ense qui filij cruore madebat, miserrima mater sese transfigit. Postea se medium inter filios abiicit, brachia spargens, quasi in utriusq; complexu moritura. Quid hac imagine lugubrius cogitari potest? Hæc igitur, agebantur, spectabantur, legebantur, audiebantur & à sapientib. & à populo, non ut erotica, sed ut doctrina de gubernatione uitæ. Euentus isti commone faciebant homines de causis humanarum calamitatum, quas accersi & cumulari prauis cupiditatibus, in his exemplis cernerant.

Et sicut Pindarus inquit, Ixionem implicatum rotæ apud inferos clamitare hanc uocem, quam Virgilius reddidit,  
Discite iusticiam moniti & non spernere diuos:

Ita Tragoediarum omnium hoc præcipuum est argumentum, Hanc sententiam uolunt omnium animis infigere, esse aliquam mentem æter-

R 3 nam,

nam, quæ semper atrocia sceleræ insignibus exemplis punit, moderatis uero & iustis, plerumq; dat tranquilliorem cursum. Et quanquam hos etiam interdum fortuiti casus opprimunt, sunt enim multæ arcane cause, tamen illa manifesta regula non propterea aboletur, uidelicet semper erynnias & seuas calamitates comites esse atrociū delictorum. Hæc sententia multos ad moderationem flectebat, quæ nos quidem magis muere debet, qui scimus eam & Ecclesiæ clara Detuocc sèpe traditam esse.

Quare Tragœdiarum lectionem ualde utilēm adolescentibus esse non dubium est, cùm ad commonefaciendos animos de multis uitæ officijs, & de frenandis immoderatis cupiditatibus, tum uero etiam ad eloquentiam: Summus est enim splendor uerborum & gestus maxime incurrentes in oculos ad omnes animorum motus ciendos accommodati. Sunt autem hæc duo lumina orationis præcipua. Et quanquam multæ cause recitari possunt, quæ studiosos ad Tragœdiarum lectionem inuitant, tamen uel hæc una persuadere senioribus debet, quia omnes omnibus ætatibus degustata hac lectione, quò sèpius easdem Tragœdias relegunt, eo magis consilia operum, & seriem ac formam expositionis mirantur, & sese ad cogitationem de uitæ humanæ miserijs, remedijs, & gubernatione exuscitant. Appetuntur ergo

ergo audius quo magis introspectæ sunt. Ac ut  
in excellenti pictura, non potest ars subito con-  
tutu iudicari, ita in his operibus sapientissimè  
scriptis non statim perspecti omnia membra pos-  
sunt. Quare usitatum fuit sëpe in theatra eas-  
dem fabulas referre. Nec nihil causæ est, cur in  
Plautino quodam Prologo dictum sit:

Qui utuntur uino ueteres sapientes puto.  
Et qui libenter ueteres spectant fabulas,  
Antiqua & opera & uerba cum uobis placent,  
Æquum placere est ante ueteres fabulas,  
Nam nunc nouæ que prodeunt Comœdiæ,  
Multo sunt nequiores quam numi noui.

Dixi prolixius quo consilio excogitate sint  
Tragœdiæ, & quam sint utilès ad mores regen-  
dos & ad eloquentiam, quia & morum & elo-  
quentiæ exempla sunt illustriora in Tragœdijs,  
quam in Comœdijs. Etsi autem Comœdiæ ioci &  
oblectationis causa magis fictæ sunt, tamen con-  
sillum pene est simile. Evidem uetus Comœdia  
propior est Tragœdiæ. Apud Aristophanem non  
sunt meretricum, amatorum, lenonum colloquia,  
sed exempla ciuium, quorum alij Rempub. bene  
rexerunt, alij turbarunt ac euerterunt. Et dissi-  
militudo uoluntatum, consiliorum & euentuum  
proponitur ad commonefaciendos spectatores  
aut lectores, quales singuli gubernatores sint, qui  
probandi, qui imitandi, qui fugiendi.

R 4 Etsi

Etsi autem hominum uita nec solis præstidij humanis defendi, nec regi sola diligentia humana potest, & Respub. multas habent fatales mutationes, tamen plerunq; est utilius moderari impetus, & uidere metas officij, nec extra has euagari, nec adpetere maiora. Hæc diligentia aliqua ex parte in potestate nostra est, & cum accedit inuocatio Dei ualde utilis est. Tenebat Imperij Romani partem Antonius florentissimam, latè dominabatur, habebat opes maiores quam quisquam regum toto orbe terrarum nunc habet. His frui poterat securus, non impediente Octauio. Sed dum extra metas sui muneric prouehitur, ac solus uniuersum imperium concupiscit, bellum non necessarium Octauio infert, in quo uictus cum supplex ab irato uictore uitam impetrare non posset, ipse sibi mortem conscient. Hic fuit exitus belli non necessaria causa moti. Ita exagitantur apud Aristophanem multi ambitiosi, inquieti, turbulenti, πλυνγάγμονες, leues, uertumni, inflectentes se subinde ad aliam partem, aut rixatores, morosi, pertinaces, οἰνοκρῆτες, ueteratores, sycophantæ, architecti prauorum consiliorū, arte aliorum animos præparantes & occupantes. Tales sunt Cleon, Paches, Alcibiades, Stenelaidas, Antiphon, Hyperbolus, & multi alij. Econtra laudatur iusti, moderati, fugitantes non necessaria bella, constantes in sententijs honestis.

vestis, condonantes multas iniurias publicæ trans-  
quillitati, Cimon, Nicias, Diodotus, & pauci alij.

Cum autem semper in gubernatione ciuitatum similes sint alij bonorum alij malorum, quos Comœdiæ describunt, utile est imagines utrorumq; uirtutes, uicia, euentus, euentuum causas diligenter considerare, ut commones facti eligamus iusta & moderata consilia, nec accendi nos ambitione, iracundia, cupiditate uimicitæ, auaritia sinamus, ut extra metas officij prouehamur, aut moueamus res iniustas aut non necessarias.

Nec tantum res considerentur, sed etiam orationis lumina, quæ sunt insignia in harum imaginum descriptione. Ut pescatores, inquit Aristophanes, non capiunt anguillas, nisi prius agitato & turbato stagno, ita Cleon quoties concessam aliquam utilitatem aucupatur, prius turbat ciuitatem. Nam iniusta obtineri non possunt, donec legum & iudiciorum autoritate audacia frenatur. Hic circumspice animo, quoties, quam multos hæc ætas uiderit, qui utilitatis sue causa Rempub. mouere, aut abolere iudicia conati sunt. Hæc collatio adferet lucem Comœdijs, & ostendet quo consilio scriptæ sint.

Hunc eudem Cleonem pingit in concione ouium, balenæ specie præsidentem, & dictantem sententiam perterritis ouibus, ituris in suffragium. Hæc imago mihi incurrit in oculos, quo-

R S ties

ties cogito de Synodis, in quibus doctorum & piorum uox terrore potentum oppressa est.

Hunc ipsum Cleonem alibi dicit alterum pedem in castris, alterum in curia habere. Ita semper multi sunt & fuerunt prophani, indocti, πελαγάγγεοι, qui alterum pedem in aulis, alterum in Ecclesiastica concione habent, ac pariter leges ferunt de Imperijs & de doctrina. Harum figurarum in Comœdijs animaduersio, simul & de uita hominum multa monet, & conducit ad eloquentiam. Possimus enim & hæc ipsa exempla ad præsentia negoacia apte transferre, & his lectis multa ipsi excoigitare similia.

Fuit autem initio non ingrata Athenis hæc libertas nominatim taxandi ciues, ac uirtus ducebatur, qui monebat potentes, ut populi iudicioru[m] uererentur, deinde metu potentum ingeniosi homines præsertim in ciuitate ociosa, in qua amissio imperio studium uirtutis languidius erat, & plus uoluptatum, & populus tranquillam seruitutem magis amabat, quam imperij gloriam, que sine magnis laboribus, certaminibus & periculis retineri non potest, transtulerunt Comœdias ad priuatorum, immo ad iuuenum, meretricum et severorum ludos, pericula, & inexplicatos casus, qui cum exitus sunt læti, magna cum uoluptate audiuntur. Et tamen consilium in describendis personis idem fuit in hac noua Comœdia, quod in ueteri.

ueteri. Sed teste, fictis nominibus & priuatis personis, potentiores significabantur, & miscabantur consilia de omnibus uitæ partibus, ac tam uenustatis & leporis in Menandri fabulis fuit, qui autor est præcipuus nouæ Comœdiæ, ut dixerint illo sale conspersas esse, ex quo Venus quam fingunt mari ortam, nata dicitur. Cum autem eadem ætate multi Athenis in eodem genere scribendi elaborarint, & egregia monumenta plurima reliquerint magnopere dolendum est, seu hominum barbarie, seu propter excidia urbium omnia funditus interijsse. Nam & ex latinis utcunq; æstimari potest, quantum uenustatis in Græcis fuerit, & fragmenta sunt elegantissima, Deniq; consentaneum est, homines Atticos ingenij & eruditione excellentes, lepore inter se certantes, cum & honos esset huic studio, & alijs ab alijs tum excitarentur, tum adiuuarentur, non insulsoſ iocos, quales nunc sunt scurrarum aulicorum, in theatra attulisse, sed sapienter ex cogitata argumenta, & uarietate doctrine, & orationis suauitate dulcissime ornata.

Postquam uero monumenta horum interierunt, reliquijs fruamur, Plauti & Terentij fabulis, & has ſepiuſ legamus, cum, ut sermonem latinum inde hauriamus, tum uero ut morum & uoluntatum diſimilitudines in personis confideremus. Aiunt Antiphanem Comicum Alexandro

Comœ=

Comœdiam recitantem, cum animaduerteret Regi, in quo urbanitas & elegantia summa erat, ineptias aliquas displicere, dixisse, ijs demum placere Comœdias, qui & ipsi commissatores essent, & à mulierculis plagas accipere, & eis dare plagas consueuissent.

Natura quidem ita fit, ut maximè eorum seu ludorum seu studiorum commemoratione moueamur, quæ exerceuimus. Sed in fabulis non tantum ioci sunt amatorij. Alia multa sunt plena sapientiae. Viderat Alexander in aula multos Demeas, Phormiones, Gnatones. Viderat in exercitu multos Thrasones. Usitatum est autem nobis omnibus à talibus interdum contumelia adisci. Horum imagines in Plauto & Terentio propositas diligenter intueatur iuuentus, ut agnoscere, odisse, & fugere morosos, rixatores, sycophantas, ardeliones, arrogantes assentatores, quorum plenæ sunt omnes ciuitates, discat. Nec Terentius ipse cum Demeam & Mitionem conferret, ciues obscuros & ignobiles mente intuebatur. Sed Catonis morositatem irridebat, et Lælij seu Scipionis grauitatem lenitatem & suavitatem temperatam laudabat. Ita erit dulcior lectio Comœdiarum cum uitam hominum contemplabimur, & quorum pingantur mores, animaduera temus.

Interim & hoc proderit iuuenibus, uidere,  
ubi à

ubi à factis uulgaribus oratio ad Theses & gra-  
uiſſimarum rerum doctrinam transferatur.  
Queritur seruus apud Plautum, non reddi mutu-  
um. Inde quām Tragicam querelam extruit, de  
legum & bonorum morum contemtu.

Mores, leges perduxerunt iam in potestate ſuā;  
Eæ miserae etiam ad parietem ſunt fixæ clavis  
ferreis.

Vbi malos adfigi nimio fuerat æquius.

De re magna concionatur seruus, & tamen  
iocus eſt admixtus comicus, de figendis ad parie-  
tem hominibus improbis. Hec commemorauī,  
ut adolescentes commonefacti de confilijs, quare  
primum scriptæ ſint Tragœdiae & Comœdiae,  
& de earum utilitate libentius eas & ſepiuſ le-  
gant. Promitto etiam eis hoc euenturum, ut  
quō legent ſepiuſ, eò magis admiraturos &  
amaturos, & lecturos eas audiūs. Bene uale.  
Cal. Ianuarij. 1545.

## EPISTOLA DE DIS- SIDIIS PRÆSEN- tium temporum.

**I**N tanta confusione, non opinionum tantum,  
sed etiam euentuum & fortunæ in genere hu-  
mano ſemper quæſiuerunt & querunt multi, fit  
ne

ne Ecclesia Dei aliqua distincta à cæteris gentibus, & quæ & ubi sit, præsertim cum maxima pars generis humani cum florerent ordine qua tuor Monarchiæ, ignara fuerit eius doctrinæ que propria est Ecclesiæ, & nunc Mahometica barbaries complectatur magnam partem orbis terrarum, & præcipuam potentiam in genere humano teneat. Quomodo autem consentaneum est pauculos & miseros errores & uelut seditiones, Deo caros esse, Illos uero florentes sapientia, uirtute, imperijs à Deo abiectos esse, cum quidem fateri necesse sit, Imperia diuinitus constitui.

Deinde in eo ipso cœtu qui nomen Ecclesiæ sibi tribuit, quam horrenda sunt exempla licentiae in moribus, & in fingendis monstrosis deliramentis. Quales fuerunt Manichei furores qui latè uagati sunt in Oriente & in Aphrica, duos esse coæternos creatores, inter se prælates, alterum causam boni, alterum causam mali. Nihil esse libertatem uoluntatis humanæ, Non posse conuerti ad bonum homines χοινοὺς, ortos à mala causa, Nihil esse diligentiam regendi mores, nullam esse electionem, sed quo cœci impetus unumquemq; impellerent, eò præcipitem necessario ruere. Hoc fascinati errore, nullam adhibebant diligentiam regendi mores, quia nihil profutura uidebatur, sed laxabant frenos cupiditatibus

tatibus alij alijs. Ipse Martion qui in ea colluui  
principia seditionum tuba fuerat, à Diacono  
uxorem abduxit, que post annos aliquot reuersa,  
narravit historiam illius factionis plenam spu-  
cissimorum exemplorum. Et singulæ ætates ui-  
dent multa tristia spectacula, que ita turbant  
mentes, uix ut eluctari ex his dubitationibus pos-  
sint, An & quæ sit Ecclesia Dei. Sed propter  
hanc ipsam lucidam animi quotidie in Symbolo iu-  
bemur adfirmare esse Dei Ecclesiam, quod cum  
recitamus, simul cogitemus patesfactiones diui-  
nas, & testimonia quæ nos docent, & esse &  
mansuram esse Dei Ecclesiam, & sciamus man-  
datum Dei esse, ut nos ei adiungamus, & ciues  
eius siamus. Sicut in Psalmo scriptum est, Plan-  
tati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri  
florebunt. Sed excusant se multi dubitatione.  
Cum tot diuersa agmina sibi titulum Ecclesiæ  
tribuant, ad quam iubemur accedere? Tot secu-  
lorum consensus Pontificiam turbam nominauit  
Ecclesiam. Nunc alij altos coetus monstrant. Illa  
uelut lacerata nauis & fathiscens relinquitur,  
alij in alias Scaphas desiliunt, Vos quam nobis  
firmam nauim ostenditis?

Non difficilis responsio est, si normam iudi-  
cij sequareis, quam Deus proposuit. Sunt signa  
ueræ Ecclesiæ non fallentia, scilicet scripta Pro-  
phetica

phetica & Apostolica, & Symbola. Hec qui si ne corruptelis amplectuntur, hi sunt uera Dei Ecclesia, iuxta hæc dicta: Oves meæ uocem meam audiunt. Fundamentum aliud ponî non potest præter id quid possum est, quod est Christus Iesus. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Nec dubium est hostes Ecclesiæ Dei esse universalem illam generis humani multitudinem, que Prophetica & Apostolica scripta & Symbola palam abiicit, uidelicet Ethnicos, Mahometicos, feces Iudaicas. Et his annumerandi sunt, qui manifesta Idola defendunt, Videlicet Sacrificali & Monachi, & horum satellites, qui Idola Pape tuentur, Inuocationes hominum mortuum, adorationem panis in circumgestatione, histriónica uenales Missas, Monachorum dubitationem in inuocatione, Fiduciam propriorum meritorum, uagas libidines. Hæc Ethnica exempla cum incurvant in oculos, manifeste ostendunt eorum defensores non esse Ecclesiam Dei.

Etsi enī iactant se retinere scripta Prophetica & Apostolica, tamen aut palam contraria decreta illis anteferunt, aut affingunt falsas interpretationes, & prorsus ut dicitur, χαλκοὶ ζευγίοις populo exhibent. Idem faciunt et qui nunc Anabaptistæ dicuntur. Loquimur enim de huius temporis impostoribus, Excerptum

ererpunt hi quoq; mutila dicta ex scriptis Apostolicis. Non vindicantes uosmet ipsi. Item, Et habebant omnia communia. Hæc omissa collatione aliorum dictorum, non rectè intellecta detinquent ad euersionem iudiciorum & conturbationem Dominiorum, deniq; ad infinitas confusiones, sicut olim Carpocrates & alij quidam lacerarunt Ecclesiam similibus furoribus. Nec difficile est iudicare modestis hominibus & reætè institutis in Ecclesia, qui discedant à scriptis Propheticis & Apostolicis & à Symbolis.

Hanc normam intuentes sciamus nostros cœtus esse ueram DEI Ecclesiam, & leti Deo gratias agamus, quod & seruat in genere humano suas reliquias, & nos ad huius sui agminis societatem uocauit, & in his castris constanter maneamus. At obisciunt nobis multi inter nos quoq; dissidia esse. His respondeo, congruere omnes eruditos & dextrè iudicantes de Fundamento. Sed ut in magno exercitu nec Ducum est, nec militum uirtus similis, etiam si uoluntates congruunt, ita in multitudine piorum alij magis, alij minus eruditii sunt, alij aurum, alij stipulas supra fundamentum extruunt. Sed de fundamento consensus sit. Et ciues sunt Ecclesiæ, qui quamquam sunt infirmi, tamen sunt dociles, ut de puerili agmine dicit Filius Dei, Ex ore infantium ex lactentium perfecisti laudem. Non sunt ciues ubi-

S cunq;

cinq; sunt, qui aut monstrosas opiniones pertinaciter retinent, aut recte tradita præstigijs Semiphismatum & Sycophanticè corrumpunt. Ut autem regantur & emendentur iudicia, uult Deus studia doctrinae esse, uult legi scripta Prophetica & Apostolica, uult dicta omnia prudenter conferri, ut Paulus inquit, Sermo Dei habitet in uobis opulenter, cum omni sapientia. Non stolidè accipientur dicta, ut accipiebant anabaptistæ proprieτati, aut ut Anabaptistæ sine distinctione damnant uindictam, quam magistratus exercet mandato diuino, & priuatam, aut ut Pontificij ex dicto Petri, Ecce duo gladij hic, extruunt dogma, Pontifices tenere potestatem regiam. Quid insulsius est, quam fingere Sacramentum esse panem qui circumgestatur, cum Sacraenta sint actiones institutæ ut fiant certo modo. Sed exempla insulsarum interpretationum nimis multa passim obvia sunt, nec dubium est multos tetros errores ab ijs ortos esse, qui cum essent indocti, continuas disputationes Pauli & sermonem eius non intellexerunt, ideoq; mutila membra excerpserunt, & ijs induerunt sententias natas in ipsis, non traditas in sermone Prophetico & Apostolico. Postea confirmati sunt errores consensu multitudinis, qua deinceps stipati indocti & mali exercuerunt & exercent magnam tyrannidem contra pios, ut dictum est in Euripi de,

de, τῶν ὄχλων ἀμαθία, μέγιστον κακόν. Quæ  
litera est in Propheticis & Apostolicis scriptis,  
que inuocationi mortuorum hominum patroci-  
netur? Et tamen præstigiatores quidam inde-  
sumunt testimonia contra conscientiam, & mu-  
niti uulgi aut Principum satellitio audacissime  
propugnant et, que illis grata sunt. Hæc sunt nūc  
cum adhuc mediocria sunt literarum studia, &  
multi sunt recte eruditi, qui refutare errores, &  
impudentiam ostendere alijs possunt, qui non  
sunt ἀθεοί. Quid fiet aliquanto post, cum insci-  
tia barbaricam feritatem augebit? Hæc cogita-  
re sapientes & bonos Principes decet, ut maiore  
cura literis & discipline opem ferant. Cum in-  
tereunt literæ, simul efferari animos uidemus, ut  
dicitur, ἀμαθία δράστης της πορφύρας. Con-  
tra qui procedunt in doctrinis, magis uident,  
quanta moles sit rerum quæ discenda sunt, &  
quantum onus sit perspicua explicatio difficulti-  
um controversiarum. Crescunt igitur simul &  
discendi cura, & modestia, & inuocatio Dei.

Recens Stenckfeldianus satelles edidit li-  
brum contra me & Paulum Eberum, in quo ual-  
de uituperat studia doctrinarum, ut hoc persua-  
deat, Ecclesiam non colligi ministerio lectione, seu  
audite & cogitate doctrinæ, sed prius rapi men-  
tes Enthusiasmis, postea lectionem seu cogitatio-  
nem scriptæ doctrinæ accedere, que alijs ostend-

dat illos adflatūs. Ita inuertitur ordo, quem Pau-  
lus tradidit, Quomodo credent, nisi audiant. Con-  
seruat autem ille Stenckfeldianus longam Rha-  
psodiam testimoniorum ex Scriptoribus ueteri-  
bus & recentibus, quæ dicunt, à Deo mentes illu-  
strari, Id & fatemur, & semper nos professos  
esse, & scripta nostra ostendunt, & ostendimus  
in quotidiana Inuocatione. Agimus gratias  
eterno Patri, quod misit Filium, qui proferret  
Euangelium ex arcano consilio diuinitatis. Sed  
is uult nostrum esse hanc uocem doctrinæ, per hanc  
est efficax in cordibus, sicut planissimè dicitur,  
de externo ministerio: Quomodo audient, nisi  
predicatum fuerit, Et de scripta doctrina  
Esaias inquit, Ad Legem & ad Testimonium.  
Delent fanatici consolationem necessariam, cum  
in dubitationibus & doloribus abducunt nos à  
scriptis promissionibus. Nec docent in eis agno-  
scendam esse uoluntatem Dei, & earum cogita-  
tione fidem erigendam. Sed de hac controuersia  
rursus alibi dicemus.

Nunc obiter hæc intexui, ut confirmem hæc  
legentes contra doctrinæ uituperatores. Oro au-  
tem pios Principes, ut & ipsi sua autoritate pe-  
stes illas Ecclesiæ, quæ doctrinam & ministerium  
in contemptum adducunt, reprimant, & propa-  
gationem doctrinæ, & ministerij publici conser-  
uationem adiuuent, sicut eis præceptum est cum  
dicti-

dicitur: Et nunc reges intelligite. Oculamini Filium. Aperite portas Principes uestras. Item, Reges erunt nutritores tui. Te quidem Illustrissime Dux, cum fontes doctrinæ Ecclesiæ ipse legas, & doctrinarum initia feliciter didiceris, & intelligas necessariam esse Ecclesiæ linguarum & honestarum artium cognitionem, spero non defuturum esse discentibus, & Deum oro, ut te seruet & gubernet. Oro etiam meos commilitones, ut concordiam ament, quæ & Deo grata est, & omnibus nobis necessaria, & Principum beneficentiam inuitat. Et uidemus quam multi hostes undiq; Ecclesiam oppugnant. Aduersus hos coniunctione nobis opus est. Bessarion cum Principes ad concordiam hortatur, ut reprimere Turcos possint, narrat hunc Apologum. Bellum erat, inquit, inter lupos & canes, Cumq; nuntiatum esset lupis, uenire ingentem exercitum canum ad lacerandos lupos, missus est speculator unus ex uetulis lupis. Hic diligenter considerato hostili agmine redit, eis renunciat, esse quidem multitudinem canum longè maiorem, quam sit luporum. Sed bene sperandum esse, quia uiderit multas esse dissimilitudines colorum in canibus. Hac uoce confirmati lupi non cedabant, sed dissimiles facile pelli posse sperabant.

Eodem modo nunc de nobis triumphos agunt Staphilus, Canisius & alij in factione Papistica.

stica. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet, & faciat ut omnes in nostris Ecclesijs unum simus in ipso. Sit autem & in nobis studium tuende coniunctionis. Hæc ad te scripsi illustrissime Dux, ut publica studia commendarem. Bene uale illustrissime Princeps, VVitebergæ Cal: Septemb. Anno 1558.

P. M.

EPISTOLA COMPLE-  
CTENS COMME N-  
dationem Musice.

**T**otum opificium hominis plenum est intelligentium miraculorum, quæ non solum acie humanæ mentis penetrari, ac penitus cognosci non possunt, sed ne quidem numerari omnia queunt. Miranda est sensuum extructio, sed in mente & cerebro cogitatio, formatio imaginum, ratio, iudicium, memoria, noticie insitæ, & indices rectè ac secus factorum, dolor cordis index scelerum, sunt admirabiliora. Hæc fieri sciimus, Quomodo fiant spirituum & cerebri congruente motu, non perspicimus: Sed sic conditæ sunt omnia, ut sciamus, hanc rerum naturam non casu ex Democriti atomis confluxisse, sed magno consilio & summa arte, ab architecto immensa potentie, sapientie & bonitatis, extructam esse.

Testia

Testimonium igitur de Deo est hoc totum ædificium, in quo etiam singulare opus est, sensus harmoniarum. Cerebrum, mens, cor, suauiter adficiuntur uocum consonantij, & ad uarios affectus traducuntur, ad placidos & turbulentos motus, ad læticiam & mœsticiam, ut Alexander Musico bellicum canente, tanquam præliaturus exiliebat, & eodem remittente melodiam, residuebat tacitus. Hæc ita fieri sentimus, Cur uocum percussio in cerebro, mente & corde, tantam uim habeat, non scimus, sed agnoscamus sic à Deo conditam esse hominum naturam, nec fortuitas esse uocum consonantias, sed certis metis harmonicæ proportionis contineri, in qua singularis est sapientia. Multiplex usus est Arithmeticæ proportionis, & in Physica & in contractibus, ut in nutritione tantum transformatur, quantum assumere & conquere natura potuit, & in contractibus si libra una cere ualeat una drachma, decem libræ ualebunt decem drachmis. Hic usus Arithmeticæ proportionis manifestus est, cui neutras dixit, similem esse Democratiam, in qua leguntur magistratus ex omnibus sine discrimine generis, opum & industrie. Latè etiam patet usus Geometricæ proportionis, ut in artibus & officijs, ubi & personarum & artium fit collatio, ut sicut ad imperium Castrrense idoneus est Scipio, sic idoneus est Lælius ad senatoriam gue-

bernationem. Hic & persone & numeri discer-  
nuntur gradibus. Quare huic proportioni ue-  
tustas comparauit Aristocratiam, in qua antefea-  
runtur antecellentes industria in quolibet gene-  
re & meritis, cæteri negliguntur. Ac Plato di-  
xit, beatam esse hominum uitam, ubi in guberna-  
tione, uel exiguum Geometricæ proportionis  
Deus imperijs tribuit. Ut si Themistocles igna-  
rus Musice sit Senator, Timotheus uero Musi-  
cus doceat Musicam. Horum graduum distin-  
ctio salutaris est uite, ut omnes sani intelligunt.  
Quam cum non obseruet Democratia, que sine  
discrimine ex omnibus eligit Musicos, ex nautis  
& cædonibus, manifestum est hanc æqualita-  
tem perniciosa[m] esse. At extra Harmonias,  
ubi conspici in Physica, aut in contractibus, aut  
in moribus usus Harmonicae proportionis potest?  
Vix inuenio exempla. Vetus ad oligarchiam  
contulit: ut enim concursus est numerorum, quo-  
rum non est similis proportio inter se: 6. 4. 3.  
& tamen differentiarum similis est proportio:  
ita in oligarchia concurrunt gubernatores diſ-  
miles genere, opibus, industria, meritis, quorum  
tamen eadem est autoritas, & ut ita dicam, con-  
sonantia. Mihi uidetur concinnius accommoda-  
ri ad Ecclesiam, in qua non est concursus sine di-  
scrimine omnium, honestorum & sceleratorum,  
qui tales manent. Nec electio fit Geometrica  
propors

proportione ex uirtute & meritis, Sed ualeat ibi dulcissima Harmonia Musica, quia concursus est disimilium, honestorum & deformium, Ioseph, Davidis, & Latronis in cruce. Sed hi sic concurrunt, ut sit proportio consentiens differen- tiarum, uidelicet consonantia in agnitione filij Dei ac fide. Hæc si quis diligentius considerabit, animaduertet, in quolibet genere proportionum, admirandam sapientiam proponi. Physica plus rimū requirunt Arithmeticam æqualitatem: Gubernatio humana Geometricam. In Ecclesia conspicitur Harmonica. Precipue enim Deus Musicam generi humano ideo attribuit, ut cantu comprehendenteretur, & alij traderetur uera do- ctrina de Essentia et uoluntate Dei, simul ut me- moria extenderetur, quia cantilenarum diutur- nius est memoria, & ut affectus doctrinæ con- gruentes excitarentur, idco semper in Templis ueræ Ecclesie, & retenta est Musica, & culta est. Itaq; & proportionem ipsam Harmonicam, uoluit imaginem esse collectionis Ecclesie ex concursu disimilium numerorum, quorum tamen sit in fide consonantia. Deinde & aliæ sunt con- gruentiae. Ut autem Deus uult ceteras artes Ec- clesie utiles à gubernatoribus foueri, ita uult & Musicæ studia ab eis conseruari.

AD DOCTOREM  
MARTINVM LV  
therum.

Præter meum morem literas ad te aliena manu scriptas mitto. Nam cum in aditu Bauariae currus euerteretur, dextra allisa tigillo adeo duriter quassata est, ut ea nondum uti possim: Nec mediocres cruciatus secuti sunt neruorum concussionem, non omittam tamen officium militandarum litterarum. De conuentu nihil adhuc, nisi quorundam incertas diuinationes scribere possum. Nam publicæ deliberationes nondum inchoatæ sunt, ac mox causam esse arbitror, non tam quod Principes nonnulli adhuc expellantur, quam quod illi ipsi, cuius uox præire cæteris debet, & ut Homerus inquit ἐξαρχει βόλων, deest consilium. Res poscit ut exercitus opponatur Turcis in Pannonia grassantibus, qui non ex iure manu consertum, sed mage ferro prouocant, ut Ennius inquit. Et recens occupato quodam oppido fœdam stragem ediderūt, sed ut occurratur, opus est Germanorum concordia, quam aliqui ita constituendam censem, prius ut nostri deleantur. Ab his dissentit Imperator, qui uerat patriæ manus adferre et compонere ciuium controuersias ciuili modo cuperet, si qua ostenderetur eius rei perficiendæ uia.

Forma

Forma VVormaciensis dicitur displaceare. Faten-  
tur enim adhibitos esse ab aduersarijs homines,  
nec ad ueritatis inquisitionem idoneos, nec ex-  
petentes tranquillitatem. Disputant rursus  
de Francofordiensis formula, ut delecti & Im-  
peratoris ei partium iudicio amanter colloquan-  
tur, & deliberata ad Imperatorem & Principes  
deferantur. Narrantur & alij modi. Sed de  
tota re paulo post certiora habebimus. Nos si, ut  
spero, firmus erit nostrorum consensus, minus la-  
borabimus. Eruditorum sententias & uolu-  
tates congruere non dubito. Macedonici con-  
cionatores de suo domino etiam bene promita-  
tunt. N I D A N V S nobis heri narrauit, in hoc  
itineri Macedonem dixisse, se nec à confessione  
discessurum esse, nec passurum ut abstrahatur à  
foederatis. Nos quidem tueri confessum stude-  
bimus. Et tamen ἐπιχάρμεος illud non obliu-  
scemur, μέμνυσθαι πιστός, ne nimium obsequia-  
mur. Oremus autem Deum, ut has actiones peri-  
culorum & insidiarum plenas gubernet, &  
mentes nostras regat ad illustrandam Euangelij  
gloriam. Imperator aperte nihil ostendit hosti-  
le, ut aliqui eius admiranda est in omni appara-  
tu modestia, & in respondendo lenitas. Heri  
apud eum fuit Macedo in colloquio non arcana,  
sed in quadam hominum frequentia. Mirabantur  
aulici Imperatoris τὴν παρόντας αὐτῷ. Erat  
enim

enim Macedo acerrima oratione inuenitus in aduersariū suum, nec aliud ibi actum est. Habetis ea, quæ nunc quidem maximè uidebantur  $\alpha\epsilon\beta\circ\alpha$   
 $\lambda\circ\gamma\alpha$  de procemijs conuentus, quæ utinam Deus  
fausta & felicia esse uelit. In itinere D. Caspar in  
oppidis Bauaricis aliquoties concionatus est fre-  
quentib. auditorijs, & hospitū erga nos singula-  
ris comitas fuit propter Euangeliū studium. Tan-  
tum enim attigimus oppida Palatinis nostris &  
Ruperti filijs obedientia. Philippus Palatinus  
Anhaltinum cum toto Comitatu traduxit in ar-  
cem suam, & amanter tractauit. Bene & feli-  
citer uale. Deus seruet te & honestissimam con-  
iugem & dulcissimos liberos. Die Martij 29. Ex  
ueteri Rhetorum Colonia. P. M.

AD MARTINVM LV-  
THERVM THEOLO-  
giæ Doctorem.

PAX optima rerum, Quæ homini nouisse da-  
tum est, pax una triumphis innumeris po-  
tior. Itaq; Deo gratias agamus, quod autoritate  
Cæsaris mandatum & imperatum est, ut nemo  
bellum moueat, & pax sancta Noribergæ rur-  
sus confirmata est ac renouata. Nec sine magnis  
certaminibus res acta est, que coram exponam.  
Præcipua contentio fuit, ut pax omnibus dare-  
tur

tur ijs, qui in futurum amplexuri sunt doctrinam Euangeliij. Legatus Cæsar is nonnihil se dif-  
ficilem ibi præbuit. Ergo cum nostri nollent  
excludi à pacificatione cæteros, decursum est  
est eò, ut sint factæ inducæ certi temporis. In-  
terea de eo articulo pacificatores scribent ad  
Cæsarem, post eas inducias tamen uolunt pacem  
Noribergensem ratam ac firmam esse. Hæc reno-  
uatio pacis Noribergensis meo iudicio non af-  
pernanda est. Inciderunt inter nos tristis & aliæ  
contentiones. Petebant ciuitates illud etiam  
postulare, ut concederetur ex redditibus Ecclesia-  
sticis tantum, quantum opus est ad aleandos Ec-  
clesiarum & scholarum ministros. Disputatum  
est etiam de auxilio contra Turcam, sed altera  
causa in aliud tempus reiecta est. Auxilia contra  
Turcas promissa sunt, & indicetur conuentus  
reliquorum Principum VVormacie, ut delibera-  
tur de iusto exercitu, uel in Austria, uel in Da-  
corum fines mittendo. Scripsit rex Poloniae  
grauissime ad Marchionem. Adhortatur ut cum  
cæteris Germaniae Principibus agat, ut auxilia, si  
sit opus comparentur, Fuitq; nostrorum hone-  
stissima oratio, se periculis patriæ nequaquam  
defuturos esse. Legatus pollicitus est se manda-  
turum, ut legiones quæ uagatae sunt in ducatu  
Luneburgensi dissipentur. Id nisi promisisset,  
ingens bellum subito exarsisset, sed nosti ut hoc  
tempor-

tempore cupidiores essent pacis, duabus rebus  
moti sunt, τῷ σφατηγῷ νόσῳ, sed magis difficul-  
tate annona. Itaq; ut pax constitueretur, dili-  
genter à Principibus utring; actum est. Positum  
est in conditionibus, ut Noribergæ conueniant,  
ex eruditis utriusq; partis delecti, acturi de con-  
cordia Ecclesiarum totius Germaniae. Magna  
res promittitur ut video, quæ si serio suscipitur,  
ut quidem affirmat orator Cæsareus de Cæsaris  
uoluntate, exemplum nouum erit & memorabi-  
le. Nam Cæsareus Orator ait Cæsarem etiam dis-  
sentiente Pontifice, tamen comprobaturum esse  
uera iudicia Germanorum, si inter eos conuen-  
ire poterit. Habet summam historiæ conuen-  
tus, quam amicis nostris etiam imparties. Tem-  
pora flagitant pacem, & teneras Ecclesiæ ar-  
mis dissipari nolle. Arbitror etiam tuis ope-  
ris opus esse pace, Agamus itaq; Deo gratias,  
& prece muri, ut nos gubernet, & seruet pro-  
pter Filium suum Iesum Christum. Bene uale. Dic  
Georgij, Alueldæ, Anno 1539. P. M.

X

## AD DOCTOREM MARTINVM L V=

therum.

S. D. Postquam ueni Bonnam, intellexi  
Episcopum dedisse mandatum, ut forma doctri-  
ne &

ne & rituum proponenda Ecclesijs conscribatur, & quidem ad exemplum Noribergensis formæ. Ac iussus sum inchoatum opus inspicere. Id hoc triduo feci, Episcopus uult pure tradi doctrinam, & tolli ritus publicos pugnantes cum doctrina, sed aduersari non desinunt Canonicis, et si in his quoq; sunt, qui aliorum uiolentiam impediunt. Fuerunt minitati quidam ferociores se excusuros esse. Episcopum. Quare Landgrauius ad Collegium scripsit, ac palam affirmat se & ceteros fœderatos suscepturos esse defensionem Episcopi, si opus sit. Relique ciuitates præter Coloniam & præcipua pars nobilitatis expetit piam Ecclesiarum constitutionem, quam uident profecto necessariam esse. Vix enim alibi in Germania tantum arbitror suisse, aut esse superstitionis barbaricæ et plane Ethnicæ, quantum fuit in his regionibus, ut adhuc exempla currentium ad statuas ostendunt. Sed uideo nunc conciones magna frequentia audiri Buceri & Pistorij, & animaduerto utrumq; pure & recte docere. Sunt & alijs in uicinis aliquot oppidis & pagis, qui recte docent, & Sacra menta pie administrant. His initijs ut Deus faueat oremus, eaq; prouehat. In ditione Iuliacensi prorsus negliguntur Ecclesie, quod belli tempore solet accidere. Interim uero & illi, qui in illa regione oderunt puram doctrinam, hac occasione saeuci-

am exercent, ut ex literis, quas adieci uidebitur,  
 quas quidam ex Iuliacensi ditione scripsit. Deum  
 æternum Patrem domini nostri Iesu Christi oro,  
 ut te seruet in columem, tibiq; diu ad Ecclesie  
 sue utilitatem uitam proroget. Salutem opto ho-  
 nestissime matronæ coniugi tuæ & dulcissimis  
 liberis. Bonne 19 Maij 1543. P. M.

GEORGIO PRINCI  
 PI ANHALTINO, CO-  
 miti Ascanie &c.  
 S. D.

**E**T si deerat mihi argumentum, quod quidem  
 literis dignum uideretur, tamen petenti Do-  
 mino Nicolao dedi hanc Epistolam, qui affirma-  
 bat hoc meum officium Celsitudini tuae, præser-  
 tam in hac ualetudine, gratum fore. Quanquam  
 enim C. tua nequaquam frangeretur animo, &  
 ualetudinis imbecillitatem, cæterasq; difficulta-  
 tes summa constantia perferret: tamen aiebat  
 D. Nicolaus interdum C. tuam oblectationem ali-  
 quam etiam ex studiorum sermonibus aut lite-  
 ris querere. Ego uero non dubitabam, quin C.  
 tua magno robore animi præsentes difficultates  
 sustineret. Tenet enim ea quæ ad consolationem  
 & in doctrina Christiana, & in alijs literis grā-  
 uißimè

uissime proponuntur, que à me colligi hoc loco,  
nihil opus est. Vna illa est efficacissima consola-  
tio, quod scimus Ecclesiam esse subiectam affli-  
ctioni, cumq; hanc Diabolus immaniter oderit,  
nullis non scandalis ac iniurijs nos oppugnat.  
Ergo erigamus nos, & meminerimus non esse ce-  
dendum Diabolo. Vincet tandem Christus, &  
interim nos luctantes inter tot mala seruabit &  
gubernabit, si ab ipso opem implorabimus. Ac  
uero existimo plurimos pios ubiq; terrarum esse,  
qui & ipsi exercentur uarijs casibus. Horum  
omnium gemitus exaudiri & respici à Christo  
statuamus, nosq; ad hos aggregemus, ac simul pe-  
tamus, ne sinat nos opprimi rabie ac furore Dia-  
boli, ne perire nos obrutos scandalis sinat. Ma-  
gna ut mihi uidetur consolatio est, intellige-  
re, unde tam saui impetus in nos fiant, & scire,  
hunc uerum esse Dei cultum, confugere ad auxi-  
lium Domini nostri Iesu Christi, qui uult in in-  
firmis uincere. Hæc sapientia nota est Philoso-  
phæ, que tamen & ipsa colligit plurima, que si  
non remedium, tamen oblationem aliquam ad-  
ferunt, sed utriusq; generis argumenta ueriora  
scit C. tua, quam ut à me recitari opus sit. De  
Synodo est silentium. Cæsar dicitur redire in  
Hispanias, et si nondum hoc affirmare possem.  
Nam literæ Noricæ erant ambigue scriptæ. Sed  
de Subaudensi affirmabant, Subaudensem ducem

ita transegisse cū Gallo. Cedit regi Gallico ducatum Subaudiensem, pro quo uicissim dat ei Gallus ducatum Bourbonensem. Ita Gallus aditum in Italianam retinet. Fuerunt unā Cesar & Papa. Sed Gallus ad eos non uenit, excusans ualetudinem. D. Nicolaus uocatur ab Ecclesia Fribergensi, sed nisi re uobiscum deliberata etc. nihil statuit. Be-ne ualeat C. T. 27 Iunij. P. M.

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.  
S. D.

**I**N aditu Bauarie dextra mihi, cum euerteretur currus quo uehebar, adeò duriter quassata est, ut ossa ἐν κάρπω, ut Medici uocant, luxata sint. Ideo nunc sine cruciatu literas pingere non possum. Sed tamen quoquo modo significandum esse. C. tuę duxi, Ratisbonę mihi redditum esse munus argenteum, quod in mensa nos quotidie de egregijs uirtutibus tuis admonet. Mores mei tibi noti sunt, & ut spero etiam probati. Certè parsimoniam ita amo, ut etiam alios non libenter onerem sumtu. Filius Dei inter se deuinctos esse uult omnes, qui ipsum agnoscunt, & Deum uerè colunt. Iure igitur amo  
C. tuam,

C. tuam, quæ toto pectori amplectitur Christi doctrinam, & ornat Ecclesias suæ ditionis magna sedulitate. Sunt & cæteræ uirtutes, Iusticia in gubernatione, constantia animi, castitas in moribus, eruditio eximia, digna amore & laude. Propter has causas simpliciter animo colo C. tuam, non propter munera, sed tamen hac benevolentia tua ualde delector, & pro munere ago gratias. Historiam conuentus adieci in alia pagella. Nec aliud adhuc actum est. Certo consilio ita breuiter summam narravi, quæ inter amicos spargi sine periculo potest. Nostri omnes ostendunt se mansuros esse in sententia Confessionis. Sed tamen quidam languidiores uidentur non abhorreare à fuscis conciliationibus. Illos cothurnos mei, de quibus fortassis & tui fratres scribent. Arbitror breue colloquium fore. Elector Marchio sperat, aduersarios non refragatueros doctrinæ, si nos Episcopis tribuamus usitatum & grecum. Sed Contarenus Cardinalis multò est durior. Nulla in re discedi uult à consuetudine Romana. Ideo impedire has deliberationes de concordia sedulo conatur. Imperatoris uoluntatem iudico propensam esse ad pia & moderata consilia. Quid spci esse possit, cum adeo dissimiles sint uoluntates, non difficile est iudicare. Deum Patrem Domini nostri I E S V C H R I S T I oremus, ut Ecclesiam sanguine Filij redempti

*tam & sanctificatam seruet & nos gubernet.*  
*Bene ualete. Die Marci Ratisbone, Anno 1541.*

Phil: Melanth:

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascanie &c.  
S. D.

Doctrinæ studia letis temporibus iucunda sunt, ut ludi, quia naturale est homini dis- cere & inquirere aliquid, ut Apibus mella face- re, sed hæ in moestitia omittunt operas. Nos in moestitia magis appetere doctrinam conuenit, ut ibi causas misericordiarum consideremus, & remedia patefacta diuinitus inde sumamus. Accessit ad nos filius Dei, non ut ociosis animis de eo philo- sophemur, ut Philosophi oblectationis causa querunt, an pisces antecellant prudentia, an ue- ro pecudes & feræ in terra nascentes. Ideo Fi- lius Dei assūmisit humanam naturam, quia miseri- sumus, ut nostra onera in se deriuaret & nos sa- net. Non igitur abijciamus doctrinæ ipsius meditationem, hoc tristi tempore. Imò fides in calamitatibus magis accendi potest, quam in ocio & in luxu. Scripsi igitur libenter concessionem, & uestram pietatem laudo, quod uoce uestra & exem-

exemplo alios ad cogitationem doctrinæ excites. Repetiui autem Argumentum anno superiore tractatum, quod simplicissimum est, & auditoribus utilissimum esse iudico. Nec deformitas est, res easdem rectè expositas in Ecclesia repetere, & sèpè inculcare iisdem uerbis. Imò op-  
tandum esset, ut ubiq; tota doctrina prorsus ijs-  
dem uerbis propriè recitaretur. Ante annos  
uiginti audiui Doctorem Hieronymum Schurff  
dicere, mutationem doctrinæ initio ex hac ambi-  
tione fuisse ortam, quod multi putarunt defor-  
me esse, res easdem sèpè repeterem, ideoq; nouam  
doctrinam eos genuisse. Feci mentionem Syno-  
di Tridentinæ in concione. Et optarim in pub-  
edi hanc concessionem, tanquam confessionem C.T.  
Ego quoq; nunc refutationem Synodi institui.  
Bene ualeat C. tua, Die 19 Decemb. Anno 1547.

Phil: Melanth:

GEORGIO PRINCI-  
PI ANHALTINO,  
Comiti Ascaniæ &c.  
S. D.

**S**cio C. T. sèpè de tumultibus horum tempo-  
rum gementem cogitare, & in primis Eccle-  
sia uastationes, & interitum literarum metuere.

T 3 Agno-

Agnoscamus autem hos matus, poetas esse mundi  
fatales, nosq[ue] hac consolatione sustentemus, quod  
certum est Deum, ut in mari rubro, suum cœtum  
seruaturum esse. Quare interim & nos, quibus  
ad huc concedit otium, uult sedulò in propaga-  
tionem literarum & salutaris doctrinæ incum-  
bere, & iuuentutis studia accendere, & ad po-  
steros quasi Patrimonium, bonas artes illustra-  
tas transmittere, quod ut faciamus, certè medio-  
criter annitimus. Sed Principes decet huius pul-  
cherrimi laboris à yvōbētāq[ue] esse, excitare, &  
prouochere ingenia. Quo in genere tua liberali-  
tas non deest scholasticis. Etsi autem scio horum  
temporum difficultatibus & Principum & pri-  
uatorum & economias conturbari, tamen ipsis tem-  
poribus condonabis, quod nostri ordinis homines  
plures ad te configuiunt. Pauci enim sunt alij qui  
literas respiciant. Cūm autem Stigelius præclarè  
iuuet & ornet literarum studia, uicissim à Re-  
pub: ornandus erat. Etsi enim Italia una uide-  
tur suauia & uenusta ingenia gignere, tamen  
ferè adfirmari potest, nondum post Ouidij etat-  
em cuiusquam in Italia uenam fuisse dulcio-  
rem & elegantiorem Stigelianam. Et in Germania  
arbitror Micallum & alios, qui carmen felicissi-  
mè scribunt, libenter Stigelio proximum ab Eo-  
bano locum tribuere. Tale ingenium & pro-  
pter literarum dignitatem, & quia Patriæ orna-  
mento

mento est, patronos habere debebat. Scripsit autem ad te præcipue admiratione et amore uirtutis tuae inductus. Nec dubitamus te hoc poëmatum genere delectari, quod laudes Christi canit. Nec extant alia cuiusquā carmina, in quib. tanta luce, & tāto nitore dogmata Ecclesiæ intertexta sint ut in hoc carmine. Cum autem hæc exempla iuuentuti profint, C. T. oro, ut etiam tua liberalitate hoc ingenium ad similia scribenda excites. Honos alt artes, ut ille inquit, Et profecto magnos uiros decet honestarum artium, in quibus, ut Plato ait, grata de Deo fama sparsa est, dignitatem intelligere, & suum iudicium populo significare. Bene uale. Die meo natali X VI. Februarij. Phil: Melanth.

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.  
S. D.

**S**I genus humanum casu aut tantum naturæ slegibus sine Dei gubernatione regeretur, nec seruata esset Ecclesia antea, nec deinceps seruatur in tam horrendis confusionibus, sed firmissima fide statuamus, semper filium Dei colligere, & inter ingentes procellas ac tumultus Imperiorum seruare aliquem cœtum, in quo lucet

agnitio Dei, & ibi quidem seruare, ubi mediocria  
 sunt doctrinæ à Deo traditæ: sic inquit ipse filius  
 Dei, Ero uobiscum usq; ad consummationem se-  
 culi. Et Irenæus inquit: Semper adfuit generi  
 humano Filius Dei. Hic seruabit & deinceps  
 aliquos cœtus & doctrinæ studia. Hac spe &  
 alia multa communis uitæ officia facio, & hor-  
 tator sum iunioribus, ut non defugiant piam &  
 Deo placentem coniugij seruitutem, & cogitans  
 de communibus periculis toto pectore precor,  
 ut filius Dei custodiat hanc societatem, & seruet  
 publicas & domesticas Ecclesiæ. Hæc uota eti-  
 am hoc adfero ad sacrum nuptiale filie Ioachimi  
 Camerarij, & sponsi, Adolescentis eruditissimi,  
 & sanctissimis moribus ornati, quos ut seruet &  
 regat Deus æternus Pater Domini nostri Iesu  
 Christi, conditor generis humani & Ecclesiæ  
 sue, toto cum pectore oro, Si ualetudo firmior  
 esset, iter istuc facerem. Necesse est enim nos col-  
 loqui. Saxonie ciuitates tandem decreuerunt, se  
 prorsus nō recepturos esse librum Augustanum.  
 Rex Ferdinandus in Pannonia proposuit Eccle-  
 sijs quæ nobiscum sentiunt, eundem librum. Sed  
 nequaquam receptor est. Discessit igitur Rex  
 iratus, & minitans atrocia. De Lipsico conuen-  
 tu querelas & criminationes multorum audio-  
 quas quidem lenire studeo. Bene & feliciter ua-  
 leat C. T. Die Ianuarij 15. P. M.

GEOR

GEORGIO PRINCIPI  
PI ANHALTINO,  
Comiti Ascanie &c.  
S. D.

Ex multorum literis & sermone intelligo,  
In ea ora Mystæ, cuius Ecclesiæ gubernatus es, publicam piorum omnium lætitiam esse,  
quod audiunt te non solum eruditione, & pietate præstantem, sed etiam optima uoluntate &  
autoritate præditum ad hoc fastigium Ecclesiæ euectum esse, ac sperant tuam gubernationem  
multis modis Ecclesiæ, & his totis regionibus salutarem fore. Quare & Reipub: gratulantur  
hanc electionem, & optant ardentibus uotis, ut  
à Deo adiuueris. Scilicet multos esse doctrinæ  
pure inimicos, magnam ignorantiam pastorum, po-  
stremo & magnam ingeniorum levitatem &  
petulantiam, quæ crebra dissidia excitant. His  
malis autoritas tua resistere, et cum doctrinæ pu-  
ritatem, tum uero concordiam munire & reti-  
nere, Deo iuuante, poterit. Deinde diu iam  
pub: omnium sanorum querelis desiderata sunt  
iudicia Ecclesiastica, quæ mores regerent, &  
disciplinam, quantum in hac senecta, & his deli-  
rijs mundi fieri potest, tuerentur. Talis est au-  
tem uita tua domestica, ut uel tacente te, cen-  
sura esse posse: & tanta prudentia, ut scias gu-

T S berna-

gubernatori hanc partem muneris non omittere  
dam esse, sed seuerè exercendam, uidelicet cor= to 282  
rectionem uiciorum & delictorum: ut quidam  
ex Atticis oratoribus dixit, quem Demosthenes  
citat, ὡς δούδερ οὐδὲν ὅφελός πόλεως ἐτις μὴ  
νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦτας ἔχει. Merito ige= to 283  
tur gaudemus, te tali uirtute, sapientia, & auto= to 284  
ritate præditum, suscipere curam regendæ Ec= to 285  
clesiæ, ac precamur Deum æternum Patrem Do= to 286  
mini nostri Iesu Christi, ut te adiuuet suo Spiritu,  
ut tua gubernatio uerè congruat dicto Christi:  
Non uos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris  
coelestis, qui in uobis est. Hæc sepè precatus  
sum hoc mense, & precor assidue, ut Deus orna= to 287  
menta ingentia, quæ contulit his regionibus, tue= to 288  
atur: Euangelijs lucem, magnam omnium litera= to 289  
rum atq; artium doctrinam, tranquillas politias,  
& disciplinam mediocrem. Hæc bona ut iam  
& Principes moderatione consiliorum retinere  
studerent. Etsi autem scio te tuo confilio de= to 290  
lecturum esse homines idoneos ad exercenda iu= to 291  
dicia Ecclesiastica, tamen indicari tibi aliquos  
uelle te arbitror. Est in Academia nostra gener  
Lucæ Pictoris, Georgius Daschius VVircebur= to 292  
gensis, qui & diu audiuit iurisconsultos, & me= to 293  
diocrem habet latine dicendi & scribendi facul= to 294  
tatem, & ingenio placido, & honestis moribus  
prædictus est: quem quidem Episcopus suus mul= to 295

to ante in aulam accersuit, sed ipse à nostris  
 Ecclesijs discedere noluit. Huius & industriam  
 & fidem probaturum te esse non dubito, si eius  
 opera uteris. Nam & satis eruditus est, & in-  
 primis integer & incorruptus, & studiosus tu-  
 endæ concordiae, cum ijs, cum quibus uel priuata  
 necessitudine, uel publica aliqua administratione  
 coniunctus est. Quare te magnopere oro, ut  
 locum ei tribuas inter eos, quos cognitionibus il-  
 lis præficies. Iudico eius naturam, iusticie &  
 tranquillitatis pub: amantem, & placidam esse.  
 Tales iudicijs Ecclesiarum præfici utile est, non  
 quales pleriq: sunt in foro, homines audaces, cu-  
 pidi, ueteratores, Phormiones, Eurybatæ, & qua-  
 lem uos habetis in uicinia Coracem. Immensa mi-  
 sericordia sua promittit Deus mansuram Eccle-  
 siam esse. Sed ibi tantum mansura est, ubi stu-  
 dia literarum & doctrinæ cœlestis coluntur, &  
 disciplina mediocriter regitur. Hæc causa  
 profectio omnes omnium ordinum mediocres ho-  
 mines accendere debet, ut studia literarum, &  
 disciplinam tucantur, & conferant consilia &  
 operas ad earum rerum defensionem. Ego qui-  
 dem meam operam, si quid usquam potero, præ-  
 stare etiam uestris Ecclesijs bona fide policeor.  
 Deus æternus Pater D.N.I.C. seruet te, ac regat  
 ad Ecclesiæ suæ salutem. VVitebergæ die Iohan-  
 nis Baptista monstratoris agni 1544. P. M.

GEOR<sup>a</sup>

GEORGIO PRINCI=  
PI ANHALTINO,  
Comiti Ascanie &c.  
S. D.

Cum hic nunciata est mors uiri optimi Georgij Helti, subita consternatione penè exanimatus sum, ac statim postea comperi publicum esse luctum omnium honestorum nostri ordinis hominum, quod nemo non dilexerat cum propter eximiam uirtutem. Meus uero dolor è maior est, quod & amicitia inter nos fuit dulcissima, & cum mihi familiarius notus fuerit, magis intelligo, quantam eius interitu iacturam fecerit Respubl. Tuo etiam luctu moueor, qui illum & propter amorem quo eum complexus es, & propter Rempublicam desideras, Quoties iam in deliberationibus rerum magnarum sedens, ac locum in quo respondere & conferre sententiam solebat, intuens eum requires? Etsi autem dolorem tuum adeò non reprehendo, ut probem etiam & insigne specimen esse pietatis ducam: tamen præcepta eadem quæ in ceteris magnis ærumnis nobis proponimus, hic cogitemus. Desiderio nos adfici nostrorum uult Deus, uult nos angi & dolere. Nec illam toruitatem seu immanitatem potius, quæ nihil mouetur aperis rebus seu proprijs seu amicorum probat. Ac filius

filius Dei sepè expauit ipse, Lacrymauit et acerbissimis doloribus conflictatus est. Sed simul præcipit Deus, ut cogitatione uoluntatis suæ & æternorum honorum, quæ promisit suis, quos ex hac uita euocat, mœsticiam moderemur, & pausatim animos erigamus, ac illis potius hæc bona gratulemur, quam nostra iactura angamur. Non sumus ijs, qui homines, ut pecudes nasci & extingui tantum, ut ferunt uices materiae, nec restare nobis aliam ciuitatem meliorem arbitremur, Sed ut in Ecclesia uox Dei nos eruditj, scimus ijs qui Euangelium amplexi sunt, æterna præmia proposita esse. Ardebat autem pectus Georgij amore filij Dei Domini nostri Iesu Christi, ita ut cætera in uita omnia duceret longè inferiora, Et Euangelij propagationem studiose adiuuabat, & ad hoc decus adiungebat omnes alias uirtutes, quæ in membris Christi esse debent. Cumq; esset in dando consilio non solum prudens & fidelis, sed etiam felix, non dubito ei Deum adfuisse gubernatorem consiliorum & actionum. Nunc igitur euocatus hinc ad consuetudinem coelestum, fruitur dulcissimis colloquijs Dei, Christi, Prophetarum, Apostolorum, imo & matris tue, & agit gratias pro omnibus beneficijs, & non modo uitam tuam, sed etiam uniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac uita ingentibus periculis exercetur, Deo commendat. Quare gratulatur

mur ei hunc portum, in quo letus acquiescit, &  
desiderium eius leniamus recordatione uirtu-  
tum ipsius, præsertim cum breui eum complexu-  
ri simus. Quoties de eo cogitabimus, gratias aga-  
mus Deo, quod Ecclesiæ tale ornementum dedit,  
& ipsum celebremus, quod Dei dona, sua diligen-  
tia bene collocauit, & morum moderatione or-  
nauit, & uirtutes eius imitemur. His uero co-  
gitationibus animum meum à luctu abduco, quas  
recensui, quod hoc tempore, etiam si te eadem re-  
media & nosse & colligere scio, tamen haec  
quasi commonefactio non inutilis est. Si exem-  
pla etiam querimus, Dauid creptus est amicus  
Ionathas, & multò creptus est atrocius. Fera-  
mus igitur & nos amicum à nobis aliquanto ci-  
tius, quam uellemus abductum esse, præsertim  
cum placide in complexu amicissimorum homi-  
num iter illud ingressus sit. Et ut Dauid pete-  
bat à Deo, dari successorem idoneum Ionathæ in  
Republica : ita & nos petamus, ut DEVS  
alium in Georgij stationem collocet, cuius &  
uirtus & autoritas Ecclesiæ sit salutaris. Nam  
hac cura in hac paucitate bonorum gubernato-  
rum ualde nos adfici decet. Et Filius Dei sedens  
ad dextram æterni Patris, inter dona que dat  
hominibus etiam pollicetur, se daturum bonos  
Pastores & Doctores. Hunc oro toto pectore,  
ut & te seruet incolumem, & accendat multo-  
rum

PHILIP: MELANT: 287  
rum pectora, ut feliciter seruant Ecclesiae. Die  
9. Martij. Anno 1545.

Phil: Melanth:

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO, CO-  
miti Ascanie &c.  
S. D.

Nondum absolui scriptum de Stancari cons-  
troueris: Nam editionem locorum Ger-  
manicam absoluere cupio ante Mercatum Fran-  
cofurtensem, & abfui his diebus Lipsiae. De or-  
dinatione ministrorum Euangelij scribam ali-  
quid plenius, statim post editionem locorum,  
Deo iuuante. Abdiam adferet D. Doctor Mili-  
chius, et si video non esse ueterem & incorru-  
ptam Historiam. De causis mirandi foederis di-  
uinæ & humanæ naturæ in Christo filio Dei na-  
to ex uirgine piè cogitandum est, & prodest ex-  
tare commonefactiones rectè scriptas. Legi An-  
selmi scriptum. Cur Deus homo: quod et si te-  
nuius & obscurius est, tamen non sit ignotum  
studiosis. Illud autem in Germanica pagella C.  
T. durius dicitur, quod oportuerit sic redimi  
homines, nos non querimus necessitatis causas,  
sed quod ita congruerit. Ideo si uult C. T. edi-  
talem aliquam commonefactionem, scribam ple-  
niorem,

niorem, & quedam uerba duriora omittam. De censu prorsus sic statuo: c̄sum nihil ad grauidas nec ad fœtum in utero pertinere, quia erat conscriptio uirorum & facultatum, ut in Imperio sciretur, unde milites sumi possent, & ubi exercitus ali possent. Nec textus in Luca sic intelligendus est, fœtum censeri, sed particula σὺν μαριὰμ τῇ μεμνησθυμένῃ, referatur ad uerbum ἀνέγει, non ad uerbum ἀπργάφει. Hoc narrat Lucas, Ioseph uirum sanctum & scientem iam coniugem esse grauidam diuinitus, & parituram esse Meßiam, non uoluisse relinquerre solam domi, cum ipsum necesse esset proficisci ad locum sui census, quia uoluit puerperæ præstare officia necessaria. Et Spiritus sanctus mouit eius pectus, propter predictionem in Michea scriptam. Alia quæstio eruditior est, An oportuerit Ioseph pendere quinq; Siclos pro primogenito, cum Nazareus fuerit? Sed existimo debuisse Ioseph pendere illos quinq; Siclos, id est, duos Ioachimicos cum dimidio, quia Christus nō fuit Nazareus politico illo more, nec attributus templo, ut Samuel. Bene & feliciter ualeat C.T. & C.T. frater Illustriſ. Die 19. Febr.

C. T.

addictiſ:

Philippus McLant.

GEOR<sup>s</sup>

GEORGIO PRINCI= PI ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.

S. D.

CVM post redditum ex Babylone conuenisset  
serumosa multitudo ad ruinas Hierosoly= mæ, nec aut præsidij aut mœnibus se contra la= trocinia defendere posset, filius Dei consolatur Zachariam, inquiens, Ego ero murus igneus etc. Item, Non in exercitu, nec in robore, sed in Spi= ritu meo, dicit Dominus. Ita nunc quoq; prote= git Ecclesiam Filius Dei. Hac consolatione nos sustentemus, & speremus non prorsus interitu= ras esse Ecclesias, etiamsi arma in utraq; parte magnas uastationes mimitantur. Fortassis euentus ostendet mitiora consilia non fuisse aspernanda. Sed oremus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum ut nos regat, & leniat poenas. Scripta Osiantri curabo describi C. tue, et si arbitror breui longiorem librum de illis paradoxis editu= rum esse. Bene & feliciter ualeat C. T. die 20. Octobris. Phil: Melanth:

GEORGIO PRINCI= PI ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.

S. D.

V Multa

**M**ulta accidunt singulis Hominibus inex-  
tricabilia humano consilio. Plura uero  
Imperijs & Ecclesiae. Quare Ieremias clamitat:  
Scio Domine, uiam hominis non posse regi tan-  
tum humanis consilijs. Sed ideo Deus nos ita ex-  
ercket, quia uult nos, non tantum à nostris consi-  
lijs pendere, sed ab ipso. Faciamus igitur quod  
docuit, Humiliemur sub potenti manu Dei, que  
potens est, non solum ad premendum, sed etiam  
ad liberandos inuocantes ipsum. Etiamsi puniet,  
tamen in ira misericordie recordabitur. Mis-  
tam Typographo pagellas, in quibus collegi ar-  
gumenta consolationum, quas C. T. mittam, cum  
primum editæ erunt. Mitigabit Deus ærumnas  
inuocantibus ipsum; ut sæpe ipsi experti sumus,  
& uult peti et expectari mitigationem, non uult  
nos ira & indignatione & desperatione conta-  
bescere. Literas dedi gubernatori Scholæ, Seruo  
Manæ, qui offert se ad Ministerium Euangeli-  
cum. Bene & feliciter ualeat C. T.

Phil; Melanth:

CLARISS. ET OPT. VIRO  
MARTINO LVTHERO, DOCTO-  
ri Theologie; instauratori puræ do-  
ctrinæ Euangelij, patri suo ca-  
rissimo, P. M.  
S.D. Delle

S. D. Deus pater liberatoris nostri Iesu Christi, qui pro nobis factus est uictima, det Ecclesiae, tibi, & familie tue, annum felicem. Hic nondum sunt inchoatae publicae disputationes. In mora nobis sunt aduersarij, qui habent inter se priuatos congressus, institutos, ut uel explorent suorum animos, ac suffragia præripiant, uel ut articulos cudent nobis postea proponendos, qui uideantur controversias moderari. De his articulis cum fere totum mensem deliberassent, alterante Scoto cum Pelagio monacho & Mensingerio (nam hi sunt antesignani) tandem Eccius formulam composuit de duobus locis, de peccato Originis, & de Iustificatione, glorians non posse ex India aptiorem formulam ad concordiam adferri, eamq; proposuit suis, ac iubet ire in suffragia, que conatur extorquere. Sed tamen Deus aliquorum mentes rexit & confirmauit, ne sophisticis illis articulis assentirentur. Repudiata est formula Eccij à trium Principum Legatis, Palatini, Marchionis, & Iuliacensis. Hi modestè, sed rectè tamen, professi sunt, se probare nostram sententiam, que in Confessione et Apologia continetur & declaratur. Tremunt reliqui, & de excludendis illis trium Principum legatis deliberaunt. Sed tamen cum id facere non audeant, decurritur eò, ut Eccius exhibeat suam sententiam scriptam præsidētibus. Item ut reliqui tres etiam

sententiam exhibeant scriptam, quam dixissent.  
Id heri, hoc est, 15 die Decembris factum est.  
Sunt igitur ab aduersarijs trium Principum legati aliquo modo seiuerti, qui an postea interfuturi sint eorum colloquijs, nondum scio. Nobis pugnandum est, ut et publica disputatio institatur, & ne fiat suffragatio, antequā res explicatae sint. Vtrinq; miris technis aduersarij uel impeditire disputationem, uel irretire nos suis sententijs conantur. Sed nos articulos ab aduersarijs non accipemus. Congrediamur palam, et collatis sententijs iudicem faciamus filii Dei, de quo Pater cœlestis inquit: Hunc audite. Etsi hactenus occultauerint illas suas sophisticas formulas, tamen eas uidi. Est omnino puerilis ludus, ineruditis amphibologijs offundere nebulas rudibus conantur. Sum & ego inuitatus, ut formulam aliquam componerem. Sed respondi, me publicè dicturum esse, quid uideatur. Intelligo & aliorum tentari uoluntates. Sperabamus Colonenses etiam probaturos esse ueram sententiam de Iustificatione, & repudiaturos formulam Eccidam, Sed hi non modò sefellerunt nos, sed etiam augent periculum trium illorum, qui dissenserunt. Reformationis Coloniensis autor uoluit initio ualde æquus uideri, & uult ita conciliari repugnantes sententias, ut existimentur hactenus tantuꝝ noꝝꝝ. axiouſſe. Has ineptias cum liberius

liberius refutasse, dixit mirari se meam uehem  
mentiam, me remouendum esse à disputatione.  
Rogauit, ut hoc mihi impetraret: daturum me  
ipſi pro tanto beneficio non contemnendum mü-  
nus. Legatus Pontificius habuit oratiunculam  
satis tolerabilem. Dixit se ab Imperatore uoca-  
tum esse. De sua potestate in hac Synodo nihil  
dixit. Eram tamen stans responsurus, sed impe-  
diit Granuellus. Cui cum diceret Franciscus, me  
modestè responsurum esse, respondit: Scio mode-  
stum esse, cum uult. Cum esset contentio cum  
Scoto de Fide & de Dubitatione, inquit Mona-  
chus Pelargus, Rectum esse dubitare, & citauit  
dictum Pauli: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc  
non iustificatus sum. Sic uolebat dubitationi pa-  
trocinari. Tales Sphingas aduersarij delegerunt,  
ut audirentur se abhorrire à concordia. Impera-  
torem regressum esse in Brabantiam aiunt, pro-  
pter Gallicam legationem. Sed has fabulas nec  
inquiero, nec moror.

Coruinum uiuere speramus. Etsi constat  
fuisse insidiatores ad eum interficiendum missos.  
Sed Deus excubat pro nobis. Bene & feliciter  
uale. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi ser-  
uet te, & honestissimam coniugem tuam, &  
dulcissimos liberos, & totam familiam. Die 17,  
VVormacie. Habes ueram & integrum histo-

riam, quam etiam D. Pontano Cancellario exhibebis: cui reuerenter salutem dicas meis uerbis.

AD LEONHARDVM  
ECCIVM CANCELLA=  
rium Bauaricum.

S. D. Etsi non dubitabam, uir clariß. quin cum ad excellentem sapientiam & doctrinam adiunxisses summam humanitatem, meas literas non grauatum accepturus essem, tamen in tantis occupationibus tuis, non existimabam te ipsum rescripturum esse, præsertim cum meæ literæ uerecundiores fuissent, quam ut id officium flagitare auderent. Cum igitur opinionem meam uiceris, facile perspicio, non solum humanitatem tuam dignam uiro præstanti, sed etiam singularem quandam erga me benevolentiam. Itaq; literæ mihi tuæ gratissimæ fuerunt, in quibus cum amore nostri, iudicium tuum de studijs Philosophia, & optimam uoluntatem de mitigandis dissijs Ecclesiasticis coniunxisti, quibus de rebus ad me non solum pro tua excellenti prudentia grauissimè, sed etiam ornatè scripsisti. Dicam enim uerè quod sentio, fuit hoc nomine mihi iucundior epistola tua, quod animaduerti literas abs te ex umbra & palestra in medium Reipublicam educi, easq; ad administrationem reipublicæ adhiberi

adhiberi, quod non solum tibi, sed ipsis literis glos-  
riosum est. Responderem autem cum ad reliquas  
epistole tue partes topiosius, tum uero præci-  
puè de Aristotele, nisi habenda mihi esset ratio  
tuarum occupationum. Et erit huic argumento  
aptior Locus in pub: scripto. Verè enim iudicas  
plurimum interesse reipub: ut Aristoteles conser-  
uetur, & extet in scholis, ac ueretur in manibus  
discendentium. Nam profectio sine hoc autore, non  
solum non retineri pura Philosophia, sed ne qui-  
dem iusta docendi aut discendi ratio illa poterit.  
Pertinet autem etiam ad uestrum ordinem pro-  
uidere ut simplex & utilis ratio discendi con-  
seruetur. Quod uero non definis me ad illustran-  
dum Aristotelem hortari, et si antea scripsi, me  
non satis ad rem tantam instruclum esse, et quoj-  
dam molientes hoc opus impediri perturbatione  
temporum, tamen ut intelligas me uoluntate atq;  
animo, non abhorrere ab hoc studio, eadem auspi-  
cio nominis tui repurgatum Quintum Ethico-  
rum, in quo uidebis, quantum habitura res sit  
difficultatis, si quis uelit lumen afferre exilibus  
Aristotelis sententijs, easq; ad usum in uita, in  
repub: transferre. Audi enim quid mihi accide-  
rit. Consilium Aristotelis de distributiua iusticia,  
nunquam intellexi, ac multa mihi obstrepebant,  
donec totum illum animaduerti ex Quinto de  
legibus Platonis sumptum esse. Hic primum uidi

quid spectauerit Aristoteles, qui quidem solet lessimis sententias ex Platone decerpere, & in methodum conferre. Nam cum alij inepte hunc locum in Aristotele, de pœnis intellexerint, hic longè aliud agit. Omnia personarum discrimina in uita pub: & priuata, in imperijs, in magistratibus legendis, in familijs constitui uult Geometrica proportione, ut efficiatur inter Tyrannidem & Democratiam salutaris generi humano mediocritas, hoc est, ut plurimum ualeat optimorum autoritas. Hanc mediocritatem utinam Synodus etiam in Ecclesia efficere posset, ut uidelicet sapientum & bonorum consilio, & uulgi temeritas, & aliorum crudelitas coherceretur. Sed quo delabor uelut oblitus institutæ breuitatis, et si hæc ascripsi liberè, ac tanquam familiariter tecum confabulans, quod statuebam tibi homini doctissimo non ingratam esse hanc ex Schola sumptam orationem. Cum autem intelligas, horum studiorum conseruationem eos qui ad gubernacula sedent in Repub: cura sua complecti debere, te oro & propter ipsum decus literarum, & propter Reipub: salutem, ut tua consilia, tuamq; autoritatem ad hoc conferas, ut studijs tranquillitas moderatis consilijs restituatur, qua in re præclarè de uniuersa Ecclesia, deq; omni posteritate mereberis. Est etiam magno ulro digna uirtus, homines doctos periculo libera-

re, qui

re, qui cum coelestia dona conseruent in terris,  
suntq; ut ait Plato, τῶν θεῶν ἐρμηνύται, recte  
existimantur Deo curæ esse. Me quidem intelli-  
ges à studio pacis nequaquam abhorrere. Bene  
feliciter uale, die Lucæ. 1535.

Phil: Melanth:

A D I O H A N N E M  
OBERNBVRGER, SECRE=  
tarium Caroli V. Imperatoris.

S. Cum conuentus imperij miseriарum pleni  
sint, tamen interdum hoc habent boni, quod ami-  
citas pariant inter ignotos, qui forte ibi conue-  
niunt. Itaq; et si non delector recordatione co-  
mitiorum Augustanorum, in quibus tristi ac  
atrocē sententia damnati sumus, tamen hoc  
priuatim me debere illi conuentui iudico,  
quod facultatem mihi præbuit, cum nonnullis  
bonis uiris amicitiae contrahendæ, in quibus te  
uel præcipuo loco propter humanitatem ingenij  
tui & orationis suavitatem ponere soleo. Nam  
hae tuae dotes mirificè me tibi deuinixerunt. Illud  
accidit mihi perincommode, quod tua consuetu-  
dine non perinde frui potui, ac uolebam, propter  
religionum rixas, in quas meo quodam fato inci-  
di, de quibus hoc te oro, quod est humanitate tua

V S atq;

atq; suauitate dignissimum, ne priuatas necessi-  
tudines, propter publicas illas controuersias, aut  
dirimendas aut minus colendas esse putas, præ-  
sertim cum ego sine aliqua cupiditate in nego-  
tijs istis uerfer, & simplici animo ea quæ ad re-  
tinendam, stabiliendam atq; ornandam religionis  
puritatem conducunt, quæsuerim, idq; ita, ut  
appareret mihi studium pacis non deesse. Etenim  
si quis altius, ego maxime odi has violentias digla-  
diationes, præsertim de religione. Nec probo  
Quæ uenit cap. Hæc eò ad te scribo, ut tibi no-  
strorum congressuum memoriam renouem, ac ut  
intelligas, me tuæ amicitia cupidissimum esse.  
Quod si ostenderis te à nostra amicitia non ab-  
horrere, maxime confirmabis meum de tua hu-  
manitate iudicium. Dedi autem has literas cui-  
dam Iurisconsulto, qui causam istuc affert mini-  
mè odiosam, meq; rogauit, ut se alicui ex uestro  
ordine commendarem. Ego cum ingenium tuum  
magnopere amem, ad neminem malui quàm ad te  
scribere, teq; oro, ut huius hominis causam habeas  
commendatam. De Repub: nihil libet scribere.  
Video hoc pertinaciter à nostris aduersarijs agi,  
ut res ad arma deducatur. Quod si siet, et si stul-  
tum uidetur de futuro aliquid adfirmare, tamen  
ego hoc propemodum prædicere ausim, nata  
sq; obliu futuram esse neq; Ecclesiæ, neq; aduersa-  
rijs utilem, Cuius meæ opinionis non difficile mi-  
hi fua

hi fuerit multa & certa argumenta colligere,  
sed hæc permittenda sunt fatis. Clarissimo atq;  
optimo viro D. Alfonso Valdesio, ut me reueren-  
ter atq; amanter commendes te etiam atq; etiam  
oro. Bene uale, Mense Iunio. Anno 1532.

Philippus Melant.

AD TARNOVIVM PO-  
LONVM, CAPITANEVM

Cracouensem.

S. D. Non dubito te uirum consilio &  
uirtute præstantem, & cum Reipub: pericula  
intelligentem, tum uero toti orbi Christiano op-  
time cupientem in hoc tristissimo Pannonie in-  
cendio multa cogitare de uarijs calamitatum hu-  
manarum causis, de fatis, de prouidentia, de sce-  
lerum pœnis, de Principum furoribus, quarum  
rerum omnium cogitatio etiam fortibus uiris in-  
gentem dolorem ad fert. Cum igitur ad te de  
Sigismundo Pannonio, viro doctissimo, & hone-  
stissimo amico nostro scribendum esset, libenter  
aliquid præfatus essem, quod ad leuandam tuam  
mœsticiam accommodatum uideretur, Sed omnia  
quæ ab eruditis & sapientibus colliguntur, nota  
tibi esse scio, Me uero hæc una consolatio ut-  
qm; sustentat. Etsi in hac mundi senecta &  
delirio

delirio impendere existimo maiores regnorum confusiones, quam fuerunt antea: tamen manus est aliqua DEI Ecclesia, & erunt politie aliquæ hospitia Ecclesiae & literarum squalidiora fortasse, quam antea, sed erunt tamen, donec ille dies letissimus illucescat, in quo filius Dei uniuersi generis humani oculis sese ostendet, & suam Ecclesiam cœlesti gloria ornabit. Interim fatales circuitus rerum modestè feramus, & à Deo mitigationem calamitatum petamus. Optarim quidem suscipi à Principibus patriæ defensionem, nec raro commemoro omnium ætatum exempla. Olim in hanc ipsam Pannoniā uenit Hector, inde usq; ex Asia, ut Rheso opem ferret, Nos nunc ex uicinia ociosi Pannonicas cædes spectamus, cum quibus tot uinculis, societate religionis, sanguinis & imperij coniuncti sumus. Sed siue prælibabuntur nostri reges, siue cessabunt, nos tamen scimus Ecclesiam Dei mansuram esse apud eos, qui doctrinæ cœlestis studia colunt, ubiunque erunt. Qua spe libenter completi te & tueri uiros doctos arbitror. Valde igitur oro, ut hunc Sigismundum audias, Redit in patriam, ut si poscit, parentes inde traducat in uicinam Poloniā, quibus hospitium in tua ditione præberi aliquantisper petit. Postquam non defendimus Pannoniā, hoc saltem officium præstemus, hospitium ut desertis & palantibus conce

concedamus. Eruditio Sigismundi magno orname-  
mento poterit esse alt cui scholæ ubi cunq; erit. Fui  
igitur ei hortator, ut redeat in Germaniam, ubi  
¶ parentibus & sibi nidum aliquem inueniet,  
Interea propter uirtutem tuā, & propter uici-  
niam ad te configiendū esse censet, tibiq; se com-  
mendat. Nec dubito, quin ubi audieris eum, in-  
genum, eruditionem & grauitatem eius ualde  
probaturus sis. Eò igitur literas ei dedi, ut adi-  
tum ad te patefacerent, postea cum propter suā  
uirtutem complectere, Quām sint hæc iusta offi-  
cia tali tēpore, tu optimè intelligis. Si ulla in re,  
certe hic decet homines memissse communem  
inter se coniunctionem & communem fortu-  
nam. Thebis deletis, cum decretum esset factum,  
ne quis exules hospicio exciperet, Athenæ tamen  
ad se uenientibus hospitium præbuerunt, tametsi  
multæ erant causæ, cur Alexandrum et uictorem,  
& irritatum formidarent. Nec uero opus est  
tibi uetera exempla recitare, cum uirtus tua alijs  
præluecat. Excepisti. n. Regem Ioannem, cum no-  
tantum à suis desertus esset, sed etiam à proximi-  
mis negligeretur, Virtus est autem præcipua  
communibus hominum non malorum calamita-  
tibus adfici. Sed in hanc ingressus cogitationem  
dolore & lacrymis impedior, ne plura adiçere  
possim. Exhibebit tibi Sigismundus paucas  
pagellas, in quibus uersiculi sunt, quorum lectio  
fortas.

fortassis non erit tibi ingrata. Bene & feliciter  
uale, Anno 1545. Die 25 Martij, quo ante an-  
nos 1512 filius Dei reuiuisens ex morte, cer-  
tum testimonium nobis ostendit futuræ & eter-  
na uitæ. Phil: Melanth:

AD TARNOVIVM PO-  
LONVM, CAPITANEVM  
Cracouensem.

S. D. Sigismundus Pannonus scribit mihi se amanter à te exceptum esse, tuaq; suauitate molestiam tam longi itineris leuatam esse. Etsi autem scio te uirtutis & Reipublicæ causa bonos & doctos uiros complecti: tamen & nos gratitudinem ostendere decet. Quare tibi gratias ago, & de Sigismundi grauitate polluceor, studium eius nec tibi nec Reipublicæ defuturum esse. Nunc aliam ad te causam adfero. Ciuis Posnanensis Petrus Pollitok litigat, cum nescio quo, & in iudicio Posnanensi uicit, quare etsi me non facio iudicem, tamen moueor iudicij Posnanensis sententia, ut existimem eum iustum causam defendere. Nunc uero res iterum in aula cognoscetur. Hic te magnopere rogo, ut & pro tua iusticia & nostra amicitia perficias, ut hic Petrus non gratia aut potentia supereretur. Cephalus Lisiæ pater ciuis Atticus Locuples in-  
primis

primis gloriatus est, se nunquam uocatum esse in iudicia. illum liberalitas fortasse periculis liberavit, me uel imbecillitas animi, uel inertia à foro deterret. Nec litigo nec admisceo me forensibus causis, sed tamen ut de hoc negotio ad te scribam, magna & grauis causa est. Petrus ille Pollock affinis est uiri clarissimi D. Gregorij Pontani iurisconsulti, cuius est in his regionibus præcipua autoritas, quod scire te arbitrор, sed si uim ingenij, sapientiam, eloquentiam, integritatem eius nosse, ualde eum diligeres, & similem antiquis illis laudatissimis uiris dices, Lælijs aut Aristide. Tuo etiam ingenio, quod multorum sermone celebrari audit, fauet. Hic cum petit in causa iusta non deserit suum affinem, etiam atq; etiam oro, ut cum propter causam, tum uero propter Pontanum et nostram petitionem aequorem te huic Petro præbeas, Et siue his iudiciis adhiberis, siue non adhiberis, studium tuum nobis declarato. Bene & feliciter uale. Mense Iunio, Anno 1545.

P. M.

EPISTOLA AD HENRICVM II. REGEM FRANCIAE,  
scripta nomine Theologorum, qui conuerterant VVormacie, Anno 1557.

S. D. Inlyte, potentiissime, & Christiadissime Rex et Domine clementissime: Multa & gnama

et magna beneficia et uere regia multis seculis  
cum aliæ partes Europæ ab inclytis Franciæ Re-  
gibus acceperunt, tum uero præcipue Germaniæ  
Principes, et grati meminimus Patres nostros  
eximia beneficentia maiorum Regiæ dignitatis  
uestræ, et nos ipsos recens à Regia dignitate ue-  
stra defensos esse, propter quæ beneficia et de-  
bere nos perpetuam gratitudinem profitemur,  
et gratiam Regiæ dignitati uestræ habemus.  
Nunc quoq; freti benevolentia Regiæ dignitatis  
uestræ erga nos, sumus supplices Regiæ digni-  
tati uestræ pro suis, non ut Regni tanti consilijs  
nos ingeramus, sed quia et misericordia adficit-  
mur in tanta calamitate uestrorum, sicut scri-  
ptum est: Beatus qui intelligit super egenum  
et pauperem, In die mala liberabit cum Domini-  
nus: Et inter Regias uirtutes uestras bonitatem,  
elementiam, et misericordiam erga homines mo-  
destos, non sediciosos, non petulanter delinquen-  
tes eminere non dubitamus.

Intelligimus aliquot nobiles matronas et  
uirgines, et alios modestos homines in uinculis  
esse, propterea, quod conciones seu audiuerunt,  
seu probant, in quibus taxantur quedam super-  
stitiones, quæ irrepserunt in Ecclesiam, et cu-  
mulatae sunt propter inscitiam et auariciam  
Monachorum. Neq; enim negari potest, multos  
abusus, alios errore, alios quæstus causa receptos  
esse,

esse, quorum emendationem etiam superioribus  
seculis flagitarunt docti & boni viri in illo ipso  
doctissimorum coetu Luteciae, que est precipu=  
um domicilium doctrinarum toto orbe terra= rū, Guilelmus Parisiensis, Iohannes Gerson, VVes= selus, & alij. Eosq; abusus fatemur & à nobis ta= xari & tolli, ut ostendunt nostræ Confessiones.

Itaq; supplices sumus, ac propter Deum &  
propter Filium eius Dominum nostrum Iesum  
Christum oramus Regiam dignitatem uestram,  
ut uitæ illorum captiuorum clementer & pro= pter Deum parcat. Si aut seditiones opiniones  
haberent, aut dissentirent à Symbolis, aut recipe= rent turpitudines in moribus, nequaquam pro eis deprecaremur. Nam & nos contumelias Dei  
summa cura prohibemus, & magnis nostris pe= riculis hoc agimus, ut rectè Deus inuocetur, &  
retineatur Catholicæ Ecclesiæ Domini nostri Ie= su Christi consensus, expressus in scriptis Prophe= ticis & Apostolicis, & in Symbolis & probatis  
scriptoribus ueteris Ecclesiæ purioris. Seuerè  
etiam morum turpitudines punimus, ac testamur  
Deum, nos non cupiditate inhonesta ulla, sed tan= tum ut Deo obtemperemus, nos amplecti hanc  
doctrinam, que extat in nostris Confessionibus,  
quia agnitus ueritati aduersari non licet. Stude= mus igitur & ciues esse ueræ Dei Ecclesiæ, &  
gubernatores honesti, et sive non dubia in hac in=

uocatione Dei expectamus cœlestis Ecclesie consuetudinem. Ideo nec nunc deprecatores esse uoluimus, nisi cognita confessione illorum, qui nobis calamitatem captiuorum exposuerunt.

Comperimus autem illorum confessionem & congruere cum Symbolis, & alienam esse à fanaticis & seditionis furoribus, & scimus multos excellentes eruditione & uirtute, amantes Ecclesiam, scientes ordinem in Imperijs Dei opus esse, & illustrantes ueram doctrinam de dignitate Politici ordinis, & magna cura tuentes nervos honestæ gubernationis, de ea confessione consentire. Quare & captiuos existimamus à seditionis consilijs & à fanaticis opinionibus alienos esse. Ac mittimus exemplum Confessionis, quæ in omnibus articulis cum nostra congruit. In uno aliquid est obscuritatis, de quo conciliatio fieri posset eruditorum collatione. Neq; enim dubitamus toto orbe terrarum omnes timentes Deum adsiduis gemitibus petere à Deo Ecclesiarum concordiam, & Deum orare, ut flectat summorum Regum animos, ut rectè dijudicari controvroversias current, eamq; cogitationem ante annos uiginti suscipere patrem Regiæ dignitatis uestræ, Regem Francicum excellentem sapientia & uirtute meminimus, sicut & ueteribus seculis Incliti Reges Franciæ dijudicari Ecclesiæ controuroversias sèpè curauerunt. Hoc & Incliti pa-

tris

tris & maiorum exemplum imitari malit Regia  
 Dignitas uestra, quam aliorum iniustam asperita-  
 tem. Magna cum laude Regia Dignitas uestra  
 aduersata est Synodo Tridentinæ, quæ malo con-  
 filio ad oppressionem ueritatis collecta fuerat.  
 Ut autem propter gloriam Dei ueritas illustre-  
 tur & consulatur concordiae communi, Regia  
 dignitas uestræ deliberationem aliquando de  
 controuersijs explicandis per homines idoneos  
 instituat, ad quam & nostros mittere non recu-  
 sumus. Nam violentis consilijs nec sanari men-  
 tes, nec tranquillitas Ecclesiæ restitui unquam  
 poterit. Et tristissimum est sine fine tantum  
 asperitatem in Ecclesia exercere, & à Regia bo-  
 nitate alienum.

Quare reuerenter oramus Regiam dignita-  
 tem uestram, ut propter Deū parcat uitæ capti-  
 uorum. Hæc misericordia Deo grata erit, qui hac  
 promissione omnes inuitat, ut modestis leniantur  
 pœnæ, Beati misericordes, quia misericordia  
 consequentur. Viciſſim igitur Regiæ digni-  
 tati uestræ Deus benefaciet, idq; multi rectè in-  
 uocantes Deum in omnibus terris ardentibus uo-  
 tis petent. Et nos Regiæ dignitati uestræ offeri-  
 mus nostra officia cum perpetua gratitu-  
 dine. Date Calend: Decembris,

Anno 1557.

X 2 CON\*

CONSOLATORIA AD  
D. IOANNEM PFEFFINGE-  
rum, de morte filij.

Ideo Deus humano generi  $\sigma\gamma\alpha\varsigma$  indidit, ut  
sint commonefactiones de ingenti amore suo  
erga Filium & erga nos, & ut sint uincula so-  
cietatis humanæ. Vult igitur adfici nos desiderio  
nostrorum, & in luctu pietatem probat. Sunt  
autem in optimis naturis  $\sigma\gamma\alpha\varsigma$  expressiores.  
Quare non dubito te, amissso filio (tali præser-  
tim uiro, in quo non tantum indeoles laudabatur,  
sed qui & omnium artium doctrina excultus  
erat, & non solum natura ad uirtutem incitaba-  
tur, sed etiam diuino spiritu regebat, & iam  
in hoc studium ingressus erat, ubi ingenuum  
eius ad artium propagationem profuturum  
erat) magno in dolore esse. Quia in re non equi-  
dem accuso mollitiem animi tui, ac pietatem po-  
tius agnosco & probo, & tecum ipse ualde do-  
leo, cum tua, tum Reipublicæ causa, præsertim  
cum uideam in hac paucitate recte discentium,  
Ecclesiæ defutura esse seminaria doctorum. Sed  
tamen pro sapientia tua scis utrūq; à Deo præci-  
pi, & ut lugeamus, & ut sit modus mœsticie. Ac  
primùm statuamus, cum hos euentus regi diuino  
consilio certum sit, flectendos esse animos ad obe-  
dientiam

dientiam Deo debitam, ut etiam in aduersis rebus  
ei placidè obtemperemus.

Non iam de Physicis causis mortis dicam.  
Et si natura fuit obnoxia multis morbis, tamen et  
uoluntatem Dei intueamur, & non quid nobis  
acciderit incommodi, sed ad quæ bona, ex  
hac misera uita, & quidem tristissimis tempori-  
bus euocatus sit, consideremus. Nam si ipsum ue-  
rè dileximus, fauendum est eius bonis. Imò si sen-  
timus ueram esse Ecclesiæ doctrinam, gratulari  
ipsi cœlestis Academiæ consuetudinem debemus,  
in qua non iam dilutos riuulos sapientiæ, ut in  
hac uita, bibit: sed corām fruitur immenso ac  
purissimo fonte sapientiæ, audit Filium Dei, Pro-  
phetas & Apostolos, & inenarrabili læticia Deo  
gratias agit, quod citò in hunc cœtum & in  
hanc pulcherrimam Academiam abductus sit, de  
qua cogitantes nos quoq; mox cuolare ex hoc  
carcere mallemus.

Auget fortasse dolorem tuum, cogitatio de  
ipsius ingenio, eruditione, uirtute, et dulcissimam  
talis filij consuetudinem desideras. Sed hoc ipsum  
decus minuere luctum debet. Quia & his uir-  
tutibus scis eum in hoc breui curriculo multis  
profuisse, nec fuisse inutile onus terræ. Vidisti te-  
stimonia pietatis lucentis in uita, & in hoc ago-  
ne, quæ ostenderunt initia cœlestis uitæ in eo  
accensa fuisse, & hanc eius migrationem fuisse

iter ad cœlestis Ecclesie consuetudinem. Imo quoties hæc filij ornamenta cogitabis, gratias ages Deo, qui declarauit se & tibi & ipsi fauere, cum hæc in eum contulit munera, quæ sunt omnium summa. Est enim gratæ mentis, non tantum aduersa, sed etiam beneficia recordari.

Cum igitur scias, & uoluntati Dei obtendere perandum esse, qui iubet moderari dolores, & filio nibil mali accidisse iudicandum sit, harum causarum cogitatione paulatim te erigito, & moerori repugnato. Mouentur etiam animi hominum exemplis. Quia iustum uidetur, nō defungere communia onera, quæ quasi communi lege generi humano imposita sunt. Quanto tristius spectaculum fuit primis parentibus interitus Abel, quo imperfecto, simul uiderunt Ecclesiam uirilem in sua familia extinctam esse. Quanto hi grauiores dolendi causas habuerunt in illa prima solitudine generis humani, quam uos, qui reliquam habetis familiam, in qua signa sunt pietatis non obscura? Et in illis gemina uulnera fuerunt. Nam scelerè impij fratris magis excruciantur, quam alterius morte.

Innumera exempla ex omnium temporum historijs repeti possent. Sed senem Babylam episcopum Antiochenum intueamur, cui tres filii à Tyranno Decio trucidati sunt, cum quidem astarent pater & mater, nec tantum oculis crudelitatem

tatem aspicerent, sed etiam adolescentes sua uoce confirmarent. Postea mater spectatrix fuit necis coniugis, & complexa filiorum & mariti corpora, pio ritu ea in terram condidit.

Meministi & Imperatoris Mauricij historiam, qui tacitus spectator fuit necis filij & filie, cumq; ad coniugem uentum esset, luctans cum dolore, inquit, Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Semper sapientes mirati sunt, cur tanta mole æruminarum onerata sit imbecilla hominum natura. Sed nos, qui scimus causas diuinitus patefactas, obtemperemus diuino consilio, & remedia diuinitus monstrata teneamus. Hæc autem cum colliges, & hoc domesticum exemplum tibi proponito.

Si quando euocatus, menses aliquot peregrè à familia abes apud insuaves homines, leniuntur molestia & desiderium spe redditus ad tuos. Ita nunc desiderium feras modestius, quia aliquanto post in illa pulcherrima Academia cœlesti filium rursus complectēris, & quidem ornatum honore splendidiore, quam sunt hi gradus, uidelicet luce diuina, & collocatum in agmen Prophetarum, Apostolorum & cæterorum, qui laude doctrinæ floruerunt. Ibi una uiuetis in omni æternitate, fruentes conspectu Dei, & dulcissimis sermonibus Christi, Prophetarum & Apostolorum. Hanc

eternitatem intueamur in hac ærumnosa peregrinatione, tanquam metam, & fortius has miseras feramus, quia & breue curriculum est, & ad illam eternitatem, in qua sapientia & iusticia Dei fruemur, non ad fugacia huius uitæ bona conditi sumus.

Quæ cùm tibi uiro docto et bono nota sint, breuius ad te scripsi, ac DEV M oro, ut & animi & corporis uires tibi augeat, Meministi enim dictum, In ipso sumus, uiuimus & mouemur. Vale.

A D I O H A N N E M  
R E I N E C K, C I V E M  
Mansfeldensem.

S. D. Cum te propter eximiam uirtutem tuam pleriq; hic amenus plurimum, magnum dolorum accepimus ex interitu honestissimæ matrone coniugis tuae, præsertim cum cogitaremus eam tali tempore extinctam esse, cum tibi in publicis miserijs aliud nullum esset soldatum, nisi dulcissima consuetudo cum coniuge et liberis. Itaq; & morte ipsius & tuo luctu ualde perturbati sumus. Quare D. Doctor Martinus pro suo summo erga te amore statim duxit ad te scribendum esse. Ego uero etsi sciebam in me non esse tantum autoritatis, quanta opus esse

ad uos

ad te consolandum iudicabam, tamen addidi meas literas, ut studium meum & optimam uoluntatem tibi declararem. Scio autem te ea prudenter & grauitate praeditum esse, deinde ita instructum doctrina Christiana, ut quibus ex fontibus ueræ consolationes petendæ sint, optimè perspicias ipse. Etsi enim pium & honestum est dolere mortem honestissimæ coniugis: (Nam & Deo placet hæc caritas erga nos tro, ut inuiti ab eis diuellamur, & eorum incommodis afficiamur) tamen illud Deo etiam placet, ut modemur dolorem, sicut Paulus non uetat nos lugere, sed uetat sic lugere, ut gentes lugent. Non colligam, quantæ sint huius uitæ miseriæ, quantum præsertim his temporibus impendeat calamitatum, ut mors etiam optanda uideatur uelut portus aliquis, in quo acquiescamus. Illud tantum rogo, ut consideres quod Christus ait, ne passeret quidem sine uolūtate Dei uitam amittere. Debemus autem obedientiam Deo. Quare cum certum sit Dei consilio et uolūtate exemptam esse his ærumnis coniugem tuam, nō decet te uehementius Dei uoluntati repugnare. Deinde, nos qui Christum agnoscimus, meminerimus nos omnibus afflictionibus obnoxios, & ueluti uictimas morti destinatas esse. At quomodo tribuetur nobis sanctissimus uictime titulus, si recusamus subire communes afflictiones. Scis & illud, Oportere nos

X S fieri

fieri similes imaginis filij Dei. Quare cum ipse tam horribiles afflictiones nostra causa pertulerit, præstemus ei uicissim hoc officium, quod requirit, ut moderatè feramus ipsius exēplo eas calamitates, quibus Ecclesiam suam exerceri uoluit. Iam hoc magnam tibi consolationem adferre debet, quod in agnitione Christi & recta fide hinc discessit, ut uerè sperare possumus eam consecutam esse æterna gaudia cum Christo, ubi iterum una uicturi estis, & inter sanctos fruēmini illa æterna & uerè iucunda consuetudine. Postremò Christianos scire decet etiam peccatum esse frangi dolore, & irasci iudicio Dei, ac repugnare uoluntati ipsius. Has ego consolationes mihi in multis casibus proponere soleo, quas scio tibi notas esse omnes. Collegi attētem breuiter has, ut tibi meum studium ostenderem. Iubet enim Paulus ut doleamus cum doloribus, Et ualere aliiquid in Ecclesia mutua frātrum consolatio debet. Ideo rogo ut meas literas boni consulas, teq; pro tua sapientia & pietate erigas, & dolori resistas, & cogites nos Christianos non ad huius uitæ delicias, sed acerrima certamina uocatos esse, neq; tamen de futuros nobis esse Christum, qui ait, Non relinquam uos orphanos. Aderit ipse quoq; tibi, cum uerbo ipsius te sustentabis et eriges. Bene & felicitate uale. Vuiteberge 4 post Pascha, Anno 1536.

D. IO-

D. IOANNI AEPINO, EPI-  
SCOPO ECCLESIAE DEI IN  
inlyta Hamburga, Philippus Me-  
lanthon S. D.

R Euerende uir, & amice carissime. Quan-  
quam publica mœsticia facit, ut sensus in  
priuatis doloribus sit hebetior, tamen in omni-  
bus bonis ingenij nativa sopyù minimè lentos  
motus ciet. Quare non dubitamus, te propter  
mortem honestissime coniugis tue magno in do-  
lore esse. Nos quoq; cum ex literis uenerandi  
uiri Magistri Ioannis Garcæi intellexissimus,  
eam superatam doloribus partus extinctam esse,  
ualde augeri mœstiam nostram propter tan-  
tum carissimi amici uulnus sensimus. Cum enim  
& uirtutibus omnibus que pia matronæ conue-  
niunt excelluerit, & concordia inter uos perpe-  
tua, & consuetudo plena pictatis & suavitatis  
fuerit, & iam communi cura & amore liberi  
educandi essent, & tua ætas & ualentudo iam  
hanc uitæ sociam necessariò requereret, magnas  
doloris & desiderij causas te habere cogitabi-  
mus. Misericordior etiam hic interitus eò uidetur,  
quod partus laboribus oppressa est. Itaq; et si  
coniugis tue causa etiam dolemus, eam à te & à  
liberis auulsa esse, tamen uulnus tuum intuen-  
tes, singulari dolore adficiuntur. Cumq; absentes

non

non possumus alijs officijs tibi mederi, decurrimus ad hoc remedium, quod omnium efficacissimum est. Dominum nostrum Iesum Christum, fontem & instauratorem uitæ oramus, ut te Spiritu suo sancto consoletur, & seruet in columem Ecclesie tuæ, domestice & publicæ. Oramus etiam, ut tibi liberos seruet incolumes. Scimus autem te non solum nosse omnia, quæ diuinitus ad consolandam Ecclesiam tradita sunt, sed etiam uera fide amplecti. Cum igitur certissimè statuas, nec nasci nec extingui nos casu, & tuam coniugem iam frui cœlestis Ecclesiæ consuetudine, in qua rursus eam complectēris, & cum ea de sapientia Dei colloquēris, cuius elementa à te didicit, habes mœsticie uera remedia. Vult Deus ut & doleamus, & ut desiderio nostrorum adficiamur. Sed uult simul, ut moderemur dolorem, & flectamus animos ad obedientiam ipsi debitam, præsertim cùm lœtissimos exitus Ecclesiæ proposuerit. Nec minimus quendam amicum, qui mortuo filio, cum in magno dolore esset, forte in itinere, in recenti luctu incidit in Psalmi locum, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Hæc ipsa cōmonefactio de prouidentia ita penetravit in animum eius, ut diceret, siuisse in corde suo diuinam quandam flammarum subito accensam, cùm hoc dictum legeret, ac postea mediocriter quievit. Nec uero dubitamus, quin tibi exercitia fidei talia & nota & usitata sint.

Quare

Quare speramus, te intuentem in uniuersam doctrinam coelestem, repugnare dolori, Et tecum et cum tuis liberis Deum oramus, ut tibi adsit, & te regat & seruet in columem. De alijs disputationibus nihil nunc scribendum esse duximus, & quidam inclementius nobiscum agunt, cum quidem iniuriam nostris Ecclesijs faciant, & non ignorent nos de rebus magnis certamina sustineracerrima. Bene uale. Die 10 Iulij, Anno Domini 1549.

## D. ANDREAE OSI-

ANDRO S. D.

Ex literis Viti intelleximus, honestissimam matronam, coniugem tuam, exemptam esse rebus humanis. Hic casus multis bonis & doctis uiris magnum dolorem in urbe nostra attulit, qui tuo luctu adficiuntur. Sed ego magis hoc doleo, non solum quod familiaritas et benevolentia inter nos maior est, quodque est quedam studiorum & sententiarum societas, sed etiam quia uidi coniugem tuam, cum memini quae illius uirtus fuerit, in omni officio, uidi & paruos liberos. Hæc mihi omnia in oculos incurribant, Viti literas legenti. Itaque & tuo moerore moueor, & illud decus matronarum penè in ipso flore extinctum esse ualde doleo. Etsi autem te ad grauitatem & moderationem

tionem natura finxit, tibiq; nota sunt omnia, quæ ad consolationem à doctis uiris colliguntur, tam ut in bonis naturis σοργαὶ sunt expressissimæ, arbitror illas in te magnopere dolorem au gere. Quare non dubito, quin tecum uehementer lucteris, & dolori difficulter repugnas. Pre cor igitur Dominum nostrum Iesum Christum, qui nostris ærumnis se adfici testatur, ut te adiuuet atq; erigat. Nam Stoica illa præcepta, ut ne doleas, non solum inania sunt, sed etiam auditu crudelia atque iniusta, & ab ea Philosophia, quam nos probamus, reiecta & damnata Christianis sententijs. Odit enim Deus τοὺς ἀσόργητους. Quare quod lugēs, hominis est à natura bene instituti. Et pie itaq; moderare luctum, et repugna dolori. Quod quidem facies, cum cogitabis Dei uoluntate uniuersum genus humanum ingentibus calamitatibus subiectum esse, & coniugem tuam non casu extinctam, sed Dei consilio ad immortalitatē euocatam esse, & à te aliquantis per auulsam, & quod paulo post Deus consuetudinem uestram uobis longè meliore conditione redditurus sit, ubi una fruentes æterna luce, de Deo suauissimè colloquemini, ac longè uincet præsentem suauitatem & consuetudinem illa futura piorum coniugum συζυγία. Sed cum sciamte omnia quæ huic pertinent, sine monitore colligere, nolui esse prolixior. Hæc tamen breuiter scripsi,

scripsi, quod arbitrabar ad amici officium pertinere, tali tempore ostendere se amici casu affici. Ego uero ex animo adficior, teq; oro, ut has litteras boni consulas. Adscribam etiam remedium à rex vop, quod mihi in summis animi perturbationibus in primis opem tulit, Onerandus est animus occupationibus, quibus abducatur à cogitationibus de interitu coniugis, & puto tibi non deesse negotia. Sadoleti epistolam ad me scriptam, te uidisse arbitror, nisi enim Vito exemplum. De nostris studijs & de Republica scribemus alias. Bene uale.

GEORGIO SABINO,  
GENERO SVO  
carissimo, S. D.

MAGNAM uim esse paterni amoris, etiam te animo tuo existimare non dubito. Quare mihi facile credes, affirmanti, ualde medlexisse filiam Annam. Cum autem præclarè de te sentirem propter scribendi facultatem eximiam, ut alij multi, qui iudicare de his studijs possunt, in quibus uersaris, & ex eo benevolentia erga te singularis in animo meo nata esset, non inuitus tibi uolenti filiam despundi, utq; & tibi & uobis hæc coniunctio fausta & felix esset, optauit. Sed cum ex doctrina cœlesti causas didicerimus

cerimus præcipuas humanarum calamitatum, &  
earum remedia, feramus iam, quæ acciderunt, sa-  
pienter. Etsi igitur magno in dolore sum, pro-  
pterea quod filia extincta est, et quidem procul à  
parètum complexu, et quod prius de rebus nece-  
sarijs cum ea colloqui non potuerim, tamen eas  
consolationes mihi propono, quæ diuinitus tra-  
dite sunt, quarum hæc præcipua est. Signa uera  
in filia pietatis erga Deum, & ante mortem pre-  
cesserunt, propter quæ spero, eam iam dulcissima  
consuetudine Dei, & Filij eius Domini nostri Ie-  
su Christi frui, cui etiam eam sèpè lacrimans  
commendau, & ut spero, paulò post ibi eam am-  
plectar. Nostram uerò inter nos amicitiam uo-  
lo perpetuam esse, & ego fideliter eam, si quibus  
potero officijs, tuebor. Tuos certè liberos, meos  
esse ducam, & uerè mei sunt, quos non minus di-  
ligo, quam dilexi matrem. Fuisse autem magnum  
incendium amoris mei erga filiam, multi norunt,  
& id morte ipsius non extinctum est, sed dolore  
& desiderio alitur. Cumq; fuisse eam admodum  
πλούτερον sciam, ipsius in me affectus deriuat  
re me iam debere iudico. Quid igitur de filiabus  
& de filio deliberas? Non solum consilium do,  
ut ad me mittas puellas, seu omnes, seu aliquas, sed  
etiam te, ut id facias, ualde oro. Educabuntur  
enim, Deo iuuante, & fideliter, & suauiter, ut  
soror, ad agnitionem Dei, & ad honesta officia  
sedulò

Sedulò instituentur. Vides specimen institutionis  
in literis, quæ filiæ tue manu scriptæ sunt. Filium  
Albertum non dubito iam isthic nutricibus com-  
mendatum esse, quem Deus seruet in columnem. Si-  
gnificabis igitur mihi tuam uoluntatem de filia-  
bus, ut uel ipse isthuc ueniam, uel amicos fideles  
mittam, qui hoc aduehant uel omnes, uel aliquas.  
Martham quidē, quæ est imbecillior, ualde te oro  
ut sinas eam apud sororem educari. Nec belli pe-  
riculis deterreor, quo minus mecum omnes uer-  
sari meos uelim. Texit nos D E V S hactenus ma-  
gna clementia, & spero protecturum esse nos  
deinceps: quodq; est officij, ut curem familiam in  
locis tranquillioribus collocari, si erit opus, non  
negligam. Peto igitur, ut mihi uoluntatem tuam  
de mittendis filiabus significes. Nunc dedi reli-  
quum mercedis. A Camerario, cùm nuncius esset  
mecum, literæ allatæ sunt, quibus se ex Tyrigetis  
proficiisci in Franciam scribit, quod cum nuncio  
dixisse, tam procul sequendum esse non putau-  
mus. Epistolam eius ad me scriptam tibi mitto.  
Adiuncta est & altera Camerarij ad Sciurum.  
Filij literas ad Sciurum, quas nuncius attulit,  
ego in Franciam missurus sum. Bene &  
feliciter uale. Anno

1547.

Y

D.CA.

D. CASPARO CRVCIGE-  
RO, DOCTORI THEOLO-  
giae, amico & fratri suo carissimo,  
Philippus Melanthon

S. D.

**E**T dilexi filiam sop̄γη diuinitus insita huma-  
næ naturæ, & sensum amoris acuit miseri-  
cordia, postquam in tristissimam seruitutem ue-  
nit, præsertim cum uiderem multas in ea uirtus  
adumbratas esse. Quare postquam ad ceteras  
calamitates mors immatura accessit, non possum  
non dolere. Auget etiam mœsticiam recordatio  
mei errati. Non enim sua culpa, sed mea negli-  
gentia in tantas miseras inciderat. Cum autem  
quotidie eam ueris gemitibus Deo commendau-  
rim annos decem, & mihi perspicuo testimonio  
significatum fit, curæ Deo futuram esse, iudico  
diuinitus ex hac uita euocatam esse, ut ijs calami-  
tibus, in quibus fuit, liberaretur. Hæc cogita-  
tio paternum dolorem quasi hebetiorem efficit.  
Itaq; & Deo æterno Patri domini nostri Iesu  
Christi gratias ago, quod ostendit se gemitus no-  
strorum exaudire, & istam miseram in tranquillio-  
rem uitam euocavit. De morbo & sermone quo-  
rituræ fortassis scribet aliquis, qui plane non-  
dun oblitus est nostrorum officiorum, ac mit-  
tere tabellarium ad N. meo sumtu decreui. Tibi  
uerò

Uero gratias ago, quod ex nostro dolore afficeris, & lenire cum studes, à quo tamen me etiam cogitatio publicorum malorum abducit. Nec me tantum excruciant publica belli mala, quae sunt innumerabilia, sed etiam doctrinæ confusiones, & interitus literarum. Synodus telam exorsa est ad stabilienda impia dogmata, et habebit applaufores Principes & theologos ἐπαυλωπερίζοντας. In his tantis periculis cum sit Ecclesia, & manifestum sit sine ope diuina non posse doctrinæ lucem retineri, hac me spe sustento, quod nunc cum destituitur Ecclesia omnibus humanis auxilijs, Deus præsentiam suam ostendit mirandis liberationibus, quod ut nunc faciat, toto eum pectori oro. De refutatione Synodi ualde prodefet nos amanter colloqui. Bene uale. Die 29 Martij, 1547. Scruestæ.

## GRATVLATORIA DE CONIVGIO, AD ILLVSTRIS- simum Principem ac Dominum, D. Alber- tum Marchionem Brandenburgens- sem, Ducem Prusiae, etc.

Illustriſime & clementiſime Princeps: Ideo condidit Deus intelligentes naturas, ut esset creatura cui suam sapientiam et bonitatem comunicaret, & à qua uiciſſim agnosceretur ac ce-  
lebrare

lebraretur in omni eternitate. Et ut agnosci possit, ac à malis rebus discerni, multa de se testimonia uniuerso mundi opificio, præcipue uero hominis nature impressit. Transfudit enim in hominum mentes radios suæ lucis, uidelicet noticiam, qua agnoscimus esse Deum, & discernimus conditorem à rebus conditis. Addidit & noticias uirtutum, non solum ut uite hominum inter ipsos rectrices essent, sed etiam ut discerneret Deum à rebus malis. Vult se agnosci conditor sapientem, beneficium, ueracem, iustum, castum, iudicem & uindicem esse. Hæc in omni invocatione cogitanda sunt. Non enim brachijs amplectimur Deum, sed mente intuendus est, & cogitandus quis sit, & qualis, & ubi patefactus sit, an & cur exaudiat. Facit autem illustre discrimen hec uirtus, quæ nominatur castitas, id est, quæ detectatur et uitat uagas libidines, & ordinem ac metas à Deo institutas tuetur. Vult igitur intelligi à nobis, uerè placere sibi hunc ordinem, & se horribiliter irasci buius ordinis confusionibus, sicut & atrocissimæ poene contaminationum omnibus ætatis ostendunt, excidia Troiae, Sibaris, Spartæ, Thebarum, & aliarum innumerabilium urbium.

Contrà uero Diabolus, odio Dei delectatur ordinis confusione, & imbecillum hominum naturam impellit, ut extra metas à Deo institutas furenter

furenter ruat. Cum igitur in invocatione discernerimus Deum à Diabolis, & alijs immundis naturis, alloqui nos cogitemus sapiens, beneficium, uerax, iustum, castum numen, quod se patefecit missò Filio ueraci & casto.

Non igitur tyrannica uincula sunt leges casti coniugij, ut Ethnici furenter imaginati sunt, sed ordo est sapientiae diuinæ, in ipsa mente Dei immotus, & magno consilio propter multas causas humano generi traditus, inter quas causas illam esse non dubium est, ut discriminem sit illustrius inter Deum & Diabulos.

Cum igitur in Moise scriptum est DIXIT DEVS, significatur miranda sapientia decreatum & sanctum esse, talis ut conderetur hominum natura, ut mas unicus cum foemina unica copularetur, & intellegent diuinæ sapientiae repugnare huius ordinis conturbationem. Significantur & alia multa. Qualis est uerus amor, uera sopyrh in sponso erga sponsam, talis est amor in Filio uerus erga humanam naturam, quam assumit. Deniq; arcanæ significaciones multæ huic decreto inuolute sunt, de quibus Celsitudinem tuam pro sua sapientia sèpè cogitare existimo. Ac simus attenti in consideranda maiestate horum uerborum, DIXIT DEVS. Cedere autem dicenti Deo, creaturæ omnes reuerenter debebant. Sed hic uel præcipue declarat Diabolus ar-

lus ardens odio aduersus Deum, nec solum impellit homines, ut uariè contaminentur, sed etiam inquinatos Pontifices, & multos fanaticos homines incitat, ut decreta cum uoce diuina pugnantia, ad contumeliam Dei proponant. Dicit & præcipit Papa, ne legitima coniugia contrahantur, & addit multos tetros errores, uox Edictrixymata. Hæc audacia Pontificum non est humana, sed est furor à Diabolo ortus. Hunc fureorem intelligere & execrari omnes bona mentes debent.

Itaq; pietas tua laudanda est, quod dicenti Deo obtemperas, & in tota gubernatione tua ordinis à Deo instituti confusionem severè prohibes, & in domestica consuetudine coniugij fædus semper sanctè seruasti, & nunc rursus in coniugio legitimo uiuere manuis, quam in periculis uitæ cœlibis, que inuocationem Dei sèpè impediunt. Adeò autem Deus suo ordini, & iuuat obtemperantes suæ uoci, & bona conscientia ipsum inuocantes.

Quare æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, & auctorem fœderis coniugum & generationis, oro, ut Celsitudinem tuam, & generis nobilitate & pudicitia præstantem sponsam tuam, seruet incolmes, & ut tota gubernatio sit Ecclesiæ & Celsitudini tue salutaris. Certissimum est enim, dui-  
nitus

nitus & coniugia & Ecclesiæ protegi, sicut &  
vox diuina & exempla testantur. Cum in Iudæa  
uagarentur pessimarum gentium exercitus, Sy=  
riaci, Arabici, Parthi, Ægyptij, Romani, tamen  
Deus hæc honestissima coniugia Zachariæ &  
Elizabeth, Ioseph & Mariæ, & similium, qui  
erant Ecclesia Dei, tegebat. Nec dubium est, Ma=br/>riam, & eius sororem, & alias multas castas ma=br/>tronas & uirgines excelluisse forma, ingenij,  
sapientia, uirtute, nec ignotas ducibus fuisse. Fuit  
igitur manifestum Dei beneficium, coniugiorum  
illorum protectio. Quare & speramus nobis  
quoq; ad futurum esse, & ut nos regat & defen=br/>dat, ardentibus eum uotis oremus. Bene & felici=br/>ter ualeat Celsitudo T. Calendis Ianua=br/>rijs, Anno 1550.

AD THOMAM MAT<sup>+</sup>  
THIAM CONSILIARIVM  
Electoris Brandenburgici.

S. D. Deus æternus Pater Domini nostri  
Iesu Christi, conditor uniuersæ naturæ, & autor  
pulcherrimi dulcissimiq; foederis coniugalis, adsit  
tuo coniugio, & faciat ut sit tranquillum, fau=br/>stum, felix & fœcundum. Cumq; multa sapienter  
& piè scripta sint, quæ non solum dignitatem  
coniugij nobis ostendunt, sed etiam monent, qua

animi pietate complecti coniunx coniugem debeat, & qua moderatione communes huius uitæ difficultates ferendæ sint, tum uero illud Pythagoricum, quod Aristoteles in prima pagella Oeconomicorum recitat, illustrem picturam continet multorum officiorum. Sic enim dixisse Pythagoreos inquit, Virum meminisse debere, adduci ad se sponsam ad aram tanquam supplicem. Vides ritum ueterum esse, iungi sponsum & sponsam ante aram, inspectante Deo, & inter inuocationem Dei. Qui mos haud dubie a primis Patribus institutus est, ut cogitemus a Deo hanc coniunctionem institutam esse, & ab eo iuuari. Deinde totum ius supplicum transfert ad sponsam. Fuit usitatum, supplices sedere ad aras, & eos quibus fiebant supplices, accedere ad hos subleuandos. Quo ritu intelligebatur eis promissa uenia & incolumentas, & perpetua defensio. Quid pulchrius hac imagine? Sponsa ante aras tibi tanquam supplex traditur, tu eam in tuam fidem recipis, subleuas tanquam imbecillorem, perpetuamq; misericordiam & defensionem ei promittis. Vide quantis de rebus hoc ritu nos antiquitas commoncieri uoluerit, qui quidem & illius æterni connubij Ecclesiæ & filij Dei pictura est. Sedet ad aram Ecclesia supplex, inter maximas ærumnas. Ad hanc accedit sponsus filius Dei, & eam erigit. Qui complectens miseram, polletetur

cetur ei æternam misericordiam et defensionem.  
 Hac fide petamus & expectemus etiam hoc tri-  
 sti tempore auxilium à filio Dei, quem, ut inter-  
 fit uestris nuptijs, uosq; seruet & gubernet, oro.  
 Etsi aut iam moesticia temporum impediōr, quo  
 minus istuc ueniam, tamen uotis adero. Salutem  
 opto & uiris integerrimis, patri tuo & sponsae  
 pudicissimæ, & uiris clarissimis D. Doctori Hie-  
 ronymo, D. Doctori Zochio, & pastori Ecclesiæ  
 uestræ Sigefrido. Bene uale, die 13 Februarij, quo  
 ante annos 1717 Nicanor acie uictus, pœnas de-  
 dit blasphemiarum, quas dixerat templo Dei mi-  
 nitans. Quo exemplo tunc Deus ostendit, à se  
 defendi Ecclesiam suam, qui ut nunc quoq; de-  
 fendat, etiamsi magnis tumultibus concutitur,  
 oro. Nuper cum adesset illustrissimus Princeps  
 Elector Marchio, cùm inter cetera dicerem, me  
 ad nuptias uocatum esse, honorifice de tuo pa-  
 tre loquebatur. Et ego de ingenij & studijs tuis  
 subiecti commemorationem, quam Principi gra-  
 tam esse animaduerti. Iterum uale.

## GRATVLATORIA DE CONIVGIO.

**V**T ceterarum omnium uirtutum noticie  
 inditæ sunt humanis mentibus, & adiunctæ  
 pœnæ immoto ordine scelera comitantur, ut esse

X 5 Deum

Deum, & qualis sit cogitemus, ita & castitatem intelligi Deus uoluit, & metas generationi circumdedit. Quia hæc uirtus illustre discrimen facit inter Deum, ac naturas immundas Dæmonum ac hominum.

Cum igitur Deum alloquentes, non cernere eum oculis, non complecti brachijs possumus, mente eum intueamur: cogitemus eius patefactiones, & discernamus eum ab alijs naturis cum aliarum uirtutum, tūm uero castitatis mentione. Quia in cogitatione hoc etiam ueniat in mentem, Deum execrari uota & preces pollutorum hominum. Quare in omni uita tueri castitatem studeamus, & ordinem à Deo sanctum amemus. Sæpè etiam uoluntatem Dei contemplemur in exemplis horribilium pœnarum, que turpia libidinum incendia secuta sunt, conflagrationem Sodomæ, Cananæorum deletionem, exilium Davidis, Troiæ, Thebarum, Spartæ, & innumerabilium urbium excidia, & plurimarum gentium & hominum interitus. Quarum calamitatum, et si multa scelera concurrunt, tamen proxime cause, ac uelut προκαταρκτικαι fuerunt libidines: nec ulla est ætas sine insignibus exemplis.

Laudo igitur consilium tuum, quod, ut Deo obtemperes, in coniugio casto & pio uiuere decreuisti. Et Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, &

autem

autorem dulcissimi foederis coniugalis, oro, ut uobis semper adsit, & coniugium uestrum ac totum uitæ cursum gubernet.

Etsi autem scio te sèpè cogitare, cum de cæteris uitæ officijs, tūm uero etiam de causis propter quas hoc uitæ genus expetendum, amandum, & tuendum est, & de eius commodis & incommodis, tamen nunc inter uota publica, & te & nos, qui tibi bene uolumus, hac ipsa cogitatione accendere animos ad invocationem Dei conuenient.

Est omnino dulcis consuetudo mariti & uxorius, in quibus & uirtus est, & mutuus amor. Sed cum certo ac iusto Dei consilio hec uita magnis ærumnis onerata sit, tenendæ sunt consolationes, que in animis & uirtutem & mutuum amorem conferment.

Quanquam igitur minus impediti sunt cura, laboribus, periculis, qui sine familijs uiuunt: tamen in omnibus hec uera consolatio animum erigit, quod ut Deo obtemperetis, hunc uitæ ordinem admirabili ipsius sapientia sanctum, & initio prætuleritis libertati, ut nominatur, & nunc anteferatis.

Quam ob causam certò sciatis uobis adesse Deum, custodem uestræ societatis & familie, & omnes ærumnas leniturum esse, ut affuit custos familiarum Abrahæ, Isaac, Iacob, Thobiæ, & mul-

torum

torum piorum, quos, quanquā et ipsos multi tri-  
stes casus duriter exercuerunt, protexit tamen,  
et in magnis periculis et erumnis placidos exi-  
tus dedit.

Quanto tolerabiliora sunt omnia quæ pījs  
accidunt, qui se Deo curæ esse sciunt, quiq; se et  
suas familias norunt septas esse castorum angelō-  
rum agminibus, quam quæ accidunt pollutis,  
quorum pectora magnis cruciatibus lacerantur,  
et qui sciunt se à Deo projectos esse, et in ma-  
gnas calamitates ruituros. Nihil cogitari hor-  
ribilis tali uita potest, quam nec gubernat nec  
protectit Deus.

Iam ut animi constantia in ferendis com-  
munibus et erumnis sit firmior, attentè consideres  
dulcissima dicta, in quibus Deus et uoluntatem  
suam expressit, et auxilium pollicetur, qua in  
cogitatione ordiri ab ea narratione rectissimum  
est, quæ describit primam generis humani for-  
mationem, ubi scriptum est, Dixit Dominus, Non  
est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiu-  
torium simile ipſi.

Cum querunt humanæ mentes, cur non alio  
modo fit propagatio, ut florū et apū, aut  
Phœnicis? Et cur maris et foemine copulatio  
certis metis circundata est? Retrahit nos Deus  
ad se, inquiens, Dixit Dominus, id est, sapientissi-  
mo consilio et immoto decreto sanxit hunc or-  
dinem.

dinem. In hoc decreto acquiescito, cui aduersari,  
est giganteo more bellum cœlo inferre, νοὶ θεο-  
ναχέρ.

Causas uero consilij diuini, in illa æterna  
consuetudine magis cernemus, nunc autem ipsi  
decreto obtemperemus, etiamsi causas omnes  
non perspicimus, & tamen aliquas considerare  
dulce est, & earum cogitatione hoc genus uitæ  
fit suauius.

Conditi sunt duo, quia uoluit Deus genus  
humanum Ecclesiam esse, uoluit celebrari uocem  
doctrinæ inter plures, alterum ab altero doceri,  
alterum alteri testem esse iuocationis, & specu-  
lum ac hortatorem ad omnia uirtutum officia.

Marem autem & foemina condidit, ut  
mutua sit & ardens sopyù, quam quidem & ty-  
pum esse uoluit mirandi amoris in Filio erga na-  
turam humanam, quam assumfit. Circumdedit  
autem certas metas, ut intelligatur castitas, qua  
uult se Deus ab immundis naturis discerni.

Ac ut intelligi possit, has metas diuinitus  
sancitas esse, uoluntatis suæ testes, uoluit esse hor-  
ribiles poenas, quæ immoto ordine in uniuerso  
genere humano ubiq; incestas libidines comitan-  
tur, & ostendunt, non casu, sed diuinitus deleri  
eos, qui tetris libidinum confusiomibus polluti  
sunt.

Impresit & mirificam beneuolentiam pa-  
renti-

rentibus erga natos, quæ non sit casu accensa, sed ita condita sit in optimis naturis, in quibus uoluit Deus suam effigiem conspicere, ostendit similem in ipso erga nos paternam sopylum & amorem esse.

Hæc omnia ædificium humani corporis, distinctionem sexus, leges coniugij, poenas incestæ consuetudinis, sopylum parentum, illustria prouidentiae testimonia esse, manifestum est, quæ quidem ostendunt hanc naturam non casu extitisse, sed uerè esse mentem architectricem, bonam, iustam, castam, uindicem scelerum, custodem secretatis humanae, & honesti coniugij.

Nec uero dubium est, coniugium fieri diuisius, cum huius ueræ sapientiae de prouidentia scholam esse considerabis. Postea etiam in generatione & nutritione sobolis, & in famillie protectione, testimonia presentiae Dei multa cernes.

Statim cum in alio materno foetus nascitur, ne tenello corpusculo desit nutrimentum, diuino consilio ita condita est natura, ut lac in ubribus coquatur. Miro ordine diuino laxantur osfium iuncturæ iusto tempore in partu, ac postea rursus clauduntur, quæ nulla humana arte laxari aut claudi possunt.

Hæc manifesta miracula ostendunt, non casu nasci homines, sed ordinis huius & autorem et conservatorem Deum esse. Postea sunt alia multa signa

Signa præsentiae Dei, quod sua dextra tuetur hominum societatem. Quia latrones ad poenam rapit, etiam cum ex manibus magistratum effugisse uidentur.

Sæpè igitur tecum repetas hanc uocem, Dixit Deus, Non est bonum hominem esse solum, familiam ei adiutorium. Dicere autem hoc loco significat, miranda sapientia sanctire, & nobis hoc decretum tradere: & Deo dicenti ac sanctificandi obtemperandum esse statuas.

Deinde reputes, quantus hic sit furor, ex unde ortus sit. Dicenti Deo aduersatur Papa, qui dicit, Ne sacerdos in coniugio legitimo & casto uiuat. Violat quidem hunc ordinem suo lapsus etiam David, sed illud scelus maius est, legem opponere Deo dicenti, quæ coniugium prohibeat, & causa sit ingentium scelerum, quibus ira Dei horribliter accenditur. Quanta autem sit audacia, legem opponere dicenti Deo, hominum cœcitas non satis considerat, sed Diaboli intelligunt, à quibus haec audacia primum orta est.

Etsi autem in Ethnicis scriptis, cum querele de ærumnis coniugij, tum etiam uituperationes & sexus & coniugij leguntur, tamen scimus normam iudicij esse uocem diuinam, & modestius locuti sunt sapientes & honesti.

Pythagoras præcipit, ne maritus coniugem contumelia adjiciat, quæ ad aram ei uelut supplex

supplex traditur. Hic si iura supplicum considerabis, intelliges ad amorem & coniugalia officia oportere in viro etiam accedere misericordiam erga sexum imbecilliores. Tua fide & uirtute coniunx defendenda, & eius infirmitati parcendum est. Haec iura ad aram sanciuntur, ubi Deum testem & iudicem facimus huius nostræ uoluntatis, & petimus, ut sit custos nostre consuetudinis, si erit pia & officiosa. Sin autem erit crudelis, ut sit uindex.

Admonet autem nos de coniugio Filij Dei et Ecclesiæ, Huic ad aram facta supplici promissio. Sic enim ad aram, id est, in arcano consilio æterni Patris, mirando fœdere filius Dei Ecclesiam infirmam et ærumnosam sibi despendet, et complectens supplicem, miseretur calamitatis eius, ac placaturus æternum Patrem, in se decriuat iram, fit supplex æterno Patri pro ea, et sustinet poenam. Deinde acerrime defendit sponsam contra sæuissimos hostes Diabolos, et fixo in labbris sponsæ dulcissimo suauilo, uoce Euangelij, et dato arrabone Spiritu sancto, ornat eam suis bonis, reddit uitam, sapientiam, iusticiam, semper adest infirmæ sponsæ, et tegit eam in omnibus periculis.

Hoc fœdus filij Dei cogitato, non solum cum tibi stanti ad aram Deus sponsam adiungit, aut cum adest uocatus ad communem precationem in nu-

in nuptiarum initijs, sed etiam quoties cum dulcissima coniuge et tuis natis ad mensam assidebis, aut in thalamum accedes, imaginem amoris et beneficiorum filij Dei in foedere coiugij nobis propositam esse agnoscas, ac uos duos et uestrum paruum agmen scito illius Ecclesiae membra esse, quam Filius amat, complectitur et tuetur. Hunc uicissim amato, et grato pectore celebres, et te, tuosque et nidulos uestros ei commendata, cum quidem certum sit, nulla nos firma praesidia habere, nisi filium Dei.

Deniq; et ipsum foedus coiugij, significaciones de uoluntate Dei multas continet, et perpetua consuetudo in secundis et aduersis rebus exercitium est omnium uirtutum, et multa non obscura presentiae Dei in genere humano testimonia ostendit. Nequaquam enim societas generis humani diuina esse posset in tantis periculis et furoribus, nisi Deus custos esset imbecillum; et atrocia scelera, quibus dilacerantur hominum coetus, manifestis exemplis puniret, et in bellis Ecclesiam suam tegeret. Hæc quotidiana spectacula cum cernimus, et cum uidemus nos ipsos et infirma agmina nostra mirandis modis protegi, ali liberari et seruari uitam coiugum, fiat etiam exercitium uere invocationis Dei.

Hæc scripsi breuiter, genera seu fontes consolationum utcunq; recitans, consilium, uolunta-

tem, & mandatum Dei, testimonia præsentia  
Dei in coniugio, pœnas uiolantium ordinem à  
Deo sancitum: tēq; adhortor, ut harum grauiſſi-  
marum rerum cogitatione confirmatus, reueren-  
ter de hoc uite genere sentias, & hanc (ut  
nominant) seruitutem placide feras. Ita cùm in  
Deo acquiescet animus tuus, non solum aduersa  
facilius tolerabis, & fiducia præsentia Dei uin-  
ces, sed ita illa suauitas, quam natura adferunt  
maris et fœminæ coniunctio, et sobolis procreat-  
io, dulcior erit.

Adderem etiam præcepta de officijs mariti  
erga uxorem, & uxoris erga maritum, nisi pro-  
lixior hæc commemoratio futura eſſet, quam ut  
in hac pompa nuptiali posset legi. Sed firmissi-  
mum est uinculum mutui amoris inter uos, quodq;  
mentes ueſtræ pariter in Deo unum sunt, quodq;  
uos mutuo amatis, quia Deo obedire decreuistis.  
Nulla enim est firma amicitia, nisi à Deo oritur.

Postea & ars adhibenda eſt, alendus amor  
uirtute & officijs, quorum hoc præcipuum eſt,  
quod in ueteri uersu breuiter dicitur:

— Ut ameris, amabilis esto.

Sapienter & hoc Apostolus monet, ut uiri  
parcant sexui imbecilliori, non onerent grauidas,  
aut alijs nutricationis officijs occupatas, iniustis  
laboribus.

Simonie

Simonides uxorem laudat, quæ similis est apiculæ, casta, frugalis, intenta operi, non uagabunda, fouens sobolem. In tali matrefamilias tot pulchris uirtutibus, condonanda est infirmitas, si quando forte morosior est, aut parum comis, aut in coquendo leuiter erratum est.

In omnibus amicitijs, mutua amicitia quasdam amicorum ineptias ferre necesse est, ut dicitur, Mores amici noueris, non oderis. Id in coniugio maxime faciendum est, quod summus est amicitiae gradus. Deniq; tota consuetudo minus turbulentia sit, hanc ipsam ob causam, ne communis precatio tua, coniugis, sibolis, impediatur, sed ut leti coniungere uota possitis, & ad eundem uerum Deum iisdem animis configurare, & sua cuiusq; domus uerè sit Ecclesia Dei, sicut hoc consilio diuinitus hanc dulcem societatem institutam esse, non dubium est.

Hæc ad te in præsentia scripsi, ut ostendarem, & probari mihi tuum consilium, & me tecum, & cum dulcissima sponsa tua, & cum uestris parentibus à Deo petere, ut uos seruet, & coniugium uestrum gubernet, & faciat ut totus uite cursus uobis sit & alijs faustus & salutaris.

Id ut efficiat Filius Dei, custos Ecclesie sue, toto cum pecclore  
oro. Bene uale.

AD ARNOLDVM BV<sup>V</sup>  
RENIVM, PROFESSOREM  
Academæ Rostochianæ.

S. D. Valde consternatus sum lecti tua  
grauissima querela, Nam & tuis difficultibus  
mouebar, & simul animo colligebam calamitates  
rei literarie plurimas, que uastitatem ubiq; mi-  
nantur. Impendent bella Turcica, que iam lite-  
ras in uicinis regionibus deleuerunt. In Germa-  
nia scholæ multò antè desertæ sunt magna ex-  
parte, amissa spe præriorum, Et nunc reliquie  
in multis locis dissipantur pestilentia. Nam hec  
ad Rhenum abstulit nobis multa lumina ingenio-  
rum. Ad hæc mala accedit odium literarum, le-  
gum & disciplinæ in uulgo infinitum. Postremò  
cum Principes tueri ornamenta Reipublicæ de-  
berent, quid agunt? Alij Cyclopico more contem-  
nunt literas, alij etiam oderunt tanquam disci-  
plinæ uincula. Qua igitur nos consolatione  
sustentemus, qui & hæc studia colimus, & po-  
tentum odia inflammauimus mutatione rerum?  
Evidem, sèpè hæc cogitans, & animo reputans  
ueterum imperiorum, & Ecclesiæ motus, & re-  
rum uices, earumq; caussas, quæro exempla simi-  
lia, & me utcunq; erigo coelestibus uocibus, que  
pollicentur Ecclesiam Deo curæ esse, nec posse  
funditus deleri. Eoq; studia colenda esse, ne nos  
ipſi

ipſi Ecclesiam proijciamus. Nec uero dubito te,  
quem ſcio eximia præditum eſſe prudentia, ſep̄  
eadem cogitare. Venio igitur ad tuam delibera-  
tionem. Non dubito tibi in alijs Academijs lo-  
cum honestum contingere poſſe, in quibus libe-  
ratus aliquando labore docendorum puerorum,  
in ſuperioribus profeſſionibus cum dignitate  
uersari poſſes. Si ab Harpyijs, quæ expilauerunt  
ueſtram Academiam, repeti reditus poſſent, ar-  
bitror te malle iſthic eſſe, præſertim cum iam ſis  
paterfamilias. Sed quid ſpeſiſit, nescio. Ipſe ex-  
pertus ſum, quantum ſit onus Academiarum, ſed  
tamen, ſi erit Reſpub: & mediocris tranquilli-  
tas, te & ſimiles deditoſ tranquillioribus ſtudijs  
existimo cum dignitate in Academijs uiuere poſ-  
ſe. Non arbitror te aulas querere, quibus natu-  
ra diſſidia ſunt cum Philosophis, & barbaries. Ac  
poſſe inueniri aulam arbitror, ubi ſit ingenij tui  
aliquis uſus. Scio à Duce Pruſſiae queri uirum  
doctum. De mercatura quid reſpondeam? Arbi-  
tror naturam tuam abhorre ab hac κατηλθε-  
τικῇ, que et periculosa eſt & ſine fœnore tenuis.  
Nec te uelim abſtrahi à literis præſertim penē  
ſenſcentem. Maturuit iam ætate, et uſu rerum,  
iudicij tui grauitas. Hoc decus in ſtudijs in Ec-  
clesiæ luce confaci mallem. Orationem tuam le-  
gi, quæ eſt quidem ornatiſimè ſcripta. Sed cre-  
uit Tyrannis in aulis, & hanc ait Aristoteles ini-

miciſſimam eſſe ueritati. Pindarum ſciſ multa-  
tum eſſe, quod Athenas laudibus maioribus orna-  
uerat quam patriam, quomodo nunc Tyranni fe-  
rent uituperationem eius regionis, quæ tibi do-  
micilium p̄ebet. Quare de Thesi dicere tutius  
eſſet, ac paucis uersibus in prima pagina mutatis,  
ſine offenſione legi cætera poſſunt. Edendamq;  
iudico. Sed expectabo literas tuas, ut intelligam  
quid mutari uelis, aut, an mihi concedas aliqua ex  
hypothesi demere. Bene uale doctiſſime & cariſ-  
ſime Arnolde. Die 12. Januarij.

NOBILI ET GENEROSO  
COMITI, IOANNI  
à VVeda &c. Philippus  
Melanth. S. D.

**M**Agnam cœpi uoluptatem ex oratione Pe-  
tri Medmanni, cum mihi generofam in-  
dolem tuam, ſtudia, & reclam uoluntatem p̄e-  
dicaret. Quid enim optabilius eſt, quam ut nobi-  
litas Reipub: gubernaculis destinata, & bonitate  
naturæ excellat, et doctrina ita excolatur, ut ſu-  
um munus uerè intelligere & tueri poſſit.

Itaq; cum de ſtudijs nobilitatis, deq; ceteris  
partibus Reipub: colloqueremur, existimaretq;  
Petrus meas literas tibi non ingratas fore, facile  
me

me ad scribendum perpulit. Erit autem humanitas tue, & literas & officia nostri ordinis non aspernari. Porro semper ita sensi in heroicis familijs uim naturae præstantiorem esse, quam in reliqua multitudine. Nam cum ordinum distinctione diuinitus facta sit, & Deus heroicum genus ceteris hominibus præfecerit, addidit etiam motus animorum aciores, meliores, & feliciores, ut Plato uerè tradit. Quod cum ita sit, profecto dolendum est, illam uim naturae eximiam, sœpè uel ignavia extingui, uel corrumpi malis exemplis.

Quare te adhortor, primùm, ut sœpè diligenterq; consideres, quod munus attribuerit Deus heroico generi, deinde indolem diuinitus donatam, doctrina, moribus, disciplina, liberalium artium cognitione expolire studeas. In hanc sententiam multæ extant adhortationes, & in sacris literis, et alibi à politicis urbis luculentæ scriptæ, quas cum arbitrer te quotidie in manibus habere, non putavi utendum longiore oratione.

Sed quoniam in hanc commonefactionem ingressus sum, facere non potui, quin adijcerem narratiunculam, quæ in quodam poëmate extat, non illam quidem historicam, sed uenustam, & eruditè conficiam, admonendæ adolescentiæ causa, ut cogitet & discrimina ordinum diuinitus

instituta esse, & unicuique elaborandum esse, ut  
uirtute suam personam tueatur. Quod si Plato=  
nem decuit grauissimis disputationibus inscere  
interdum μυθολογίας, concedatur & nobis in  
Epistola, quæ non multum est absimilis familiarium  
colloquio, figura aliqua uti.

Fertur autem hæc narratio: Longo inter=  
vallo post conditionem Adæ & Eue, cum primi  
parentes iam haberent familiam, uisum est Deo,  
semel prodire, ac se illis patefacere, ut in illa  
mundi solitudine quotidianis conflictantes ærum=  
nis consolaretur. Fortè igitur è fenestra prospic=  
iens Eua, uidit uenientem Deum conditorem,  
cum comitatu Angelorum. Et quoniam postri=  
die festus dies futurus erat, liberos cœperat laud=  
are, ad futuros patris sacrificio & concioni. Cum  
autem nondum omnes lauisset, & uereretur  
squalentes ac sordidos producere in conspectum  
Dei, iussit ut hi se in fœno & straminibus occula=  
tarent, quæ ad usum pecudum proximè congesta  
erant. Ceteris comptis mandat, ut stent ordinè,  
expectantes Deum in atrio, cumq; fuerit ingre=  
sus, et à matre salutatus, accedant ipsi, porrigan=  
dextras, paululum flexo poplite, & dicta saluta=  
tione, postea taciti suo loco atq; ordine consti=  
stant. Hæc cum imperasset, ingreditur Deus in  
atrium. Procedit obuiam pulcherrima mater, pu=  
dorem ac pauorem uultu significans, & uenien=  
tem

tem reuerenter excipit amplexu. Deus comiter  
eam affatur, ac iubet bono animo esse, se Patrem  
miseris esse, et non defuturum ipsis, quibus et ui-  
tam et mentem, imaginem diuinitatis suæ imper-  
tiuisset. Postea accedunt pueri ordinè, ut iussi  
erant, porrigunt dextras, salutant, deinde taciti  
regrediuntur.

Laudat Deus matris diligentiam, quod  
non modò ornasset liberos, sed etiam ad morum  
elegantiam assuefaceret. Sed hi gestus, inquit,  
elementa sunt disciplinæ, alia grauior doctrina  
accedere debet, ut sciant se præcipue nasci ad  
agnitionem Dei, ad propagandam eius noticiam,  
ad conseruandam promissionem uobis traditam,  
ad exercendam obedientiam erga Deum, iubet  
doceri eos de immortalitate, de poenitatem impiorum  
æternis.

Mater respondet, sedulò hæc inculcat ipsis  
ab utroq; parente, & addit illacrimans: Memini  
miserandi lapsus nostri, & quanta benignitate  
nos receperis, eoq; omni contentione annitimus,  
ut soboles nostra sit in officio, ne grauius te of-  
fendamus. Prospicimus quantæ poenæ impen-  
deant posteritati nostræ, si te deseruerit. Hæc igi-  
tur præcipua nostra cura est, ut te conditorem  
ipsis monstremus, & doceamus eos, quæ officia  
requiras, & quam proposueris nobis spem salu-  
tis. Sed ipse uelim eos audias, ut si quid non recte

didicerunt, tua uoce emendetur. Iubet igitur stantem Abolum primo loco recitare parentum dictata, & iubet clare, ac præsenti animo pronunciare.

Puer incipit: Credo unum esse Deum, omnipotentem, sapientem, iustum, ac bonum, conditorem totius mundi, qui in hac rerum mole admirandam uarietatem operum proposuit, certissimum ordinem coelestium motuum, temporum uices, leges, ac uires nascientium, ut hæc omnia testarentur mundum non casu extitisse, sed aliqua æterna mente conditum esse. Nobis uero hominibus mentem indidit, in qua tanquam imagine lucere diuinitatis noticiam uoluit: addidit & intellectum, quæ officia requirat, quæ improbet, ut ipsi obediamus. Addidit & mandatum parentibus, quo ostenderent, se conditori suo libenter parere, & debere obedientiam. Quod si parenti ruisserent, sine peccato, sine morte uixisset genus humanum, & in hac uita fulsisset multò illustrior noticia Dei, arsisset in pectoribus nostris ingens amor Dei, & sine prauis cupiditatibus defuissemus morigeri. Sed odio Dei diabolus, ut deformaret opus diuinum, circumuenit nostros parentes, & abiectis falsis opinionibus, caliginem mentibus eorum offudit, ne cogitarent, quantum Deo deberent, quantopere requirat Deus, ne à suo uerbo discedamus. Ita impulsos

perdita

perdidit, quia violata lege Deum offenderunt.  
 Quare cum omnia diuinitus condita bona essent,  
 peccatum non a Deo, sed a Diaboli & hominum  
 uoluntate ortum est. Hinc mors secuta est, &  
 Tyrannis serpentis, qui aduersus genus huma-  
 num hostiliter grassatur, & omnibus calamita-  
 tibus homines opprimit.

Sed tamen ut essent in hoc mundo cultores,  
 & præcones Dei, noluit Deus prouersus perire ge-  
 nus humanum, ideo admiranda misericordia pro-  
 misit Semen nostræ matri, propter quod uelit  
 placatus esse generi humano, nos exaudire &  
 saluare, ac reddere nobis æternam uitam, lucem,  
 sapientiam & iusticiam. Præcipue uero immu-  
 nitas odij in serpente inflammabitur aduersus  
 hoc Semen, infiget serpens dentes eius calcaneo,  
 & crudelissimo morsu lacerabit omnes ei addi-  
 clos. Sed interea caput serpentis ab hoc Semine  
 conculabitur, uiuet enim in hoc Semine diuina  
 natura. Ideoq; mortem abolebit, & Tyrannum  
 serpentem in horribiles cruciatus abiicit.

Credo etiam sacrificia, que a patre fieri uia-  
 deo, signa esse sacrificij, quod pro nobis illud Se-  
 men offeret, ad placandum Deum. Sic enim Deus  
 nobis fit propicius, si credimus non propter no-  
 stra sacrificia, sed propter illud Semen, nobis  
 ignosci, nos exaudiiri, & saluari. Et quanquam  
 in hac mortali uita hærebunt peccatum, mors, &  
 cæteræ

cæteræ calamitates, tamen incoatur diuinitus noua lux & uita, in his, qui hæc credunt, qui quidem placent Deo propter illud Semen, ac incipiunt ei obedire, quod ueniet etiam, ut iudicet mundum, reddat uitam perpetuam ijs, qui ipsi credent, & puniat æternis supplicijs Diabolum, & omnes, qui Semen promissum contemnent.

Ad hunc cultum credo præcipue uocatos esse omnes homines, ut hæc admiranda Dei opera, & beneficia prædicent, ut Dei ira & miseria cordia innotescant, ut Deus timeatur & glorificetur, & multi salui fiant. Nec deterreri homines ullis periculis debent, quò minus hunc cultum præstent: Erit enim semper cœtus aliquis præconum Dei, etsi serpens & contemtores Dei immanem sauitiam aduersus eos exercebunt usq; ad iudicium, in quo immortalis gloria piorum patefiet, qui etsi erunt imbecilles, tamen in certaminibus suis diuinitus adiuuabuntur ac seruabuntur. Hunc igitur Deum conditorem nostrum, qui pollicetur nobis salutem propter promissum Semen, timeo, inuoco, adoro, huic me commendando, ab hoc peto, ut mihi propter Semen promissum sis propicius, gubernet uerbo suo, defensat me aduersus serpentem Tyrannum, inserat mihi suam lucem, & pios affectus, ac credo me uerè propter promissum Semen exaudiri, ac respici. Oro item, ut conseruet & augeat inter nos

nos ueram noticiam iræ & misericordiæ suæ, ac promissi Seminis, nec sinat obrui ueros cultus astutia serpentis, ut regat meos mores, ne ipsum offendam, & ne mea exempla cæteris noceant. Et quoniam ipse nobis uitam impertit, & ut alat nos, terram facit fructuam, rogo ut suppeditet corpori uictum, & conseruet ualeutudinem, seruet etiam parentes nostros, ne desint nobis doctores & gubernatores, seruet & regat meos fratres & sorores, ut piè & feliciter uiuant, & ornent gloriam ipsius.

Cum Abel finem dicendi fecisset, interroga-  
ti cæteri, Seth, & sorores, recensent eadem. Deus  
igitur non modo studium eorum & pietatem  
laudat, sed etiam orationis & sententiae suæ =  
φωνιæ & concordiam, ac hortatur eos, ut hanc  
sententiam constanti pectore amplectantur ac  
profiteantur, diligenterq; de doctrina parentes  
audiant, nec opinionibus adulteriniis contamina-  
ri doctrinam cœlestem patientur. Iubet & in re-  
liqua uita parentibus morigeros esse: Testaturq;  
hos cultus sibi gratos esse, ac pollicetur se ipsis  
opitulaturum esse in omnibus periculis. Deinde  
matrem alloquens, parentum diligentiam com-  
probat. Iubet accersi cæteros liberos, maximum  
natu Cain, & sorores reliquas, obiurgat Euam,  
quod existimaret minus cerni occultatos, quam  
præsentes.

Soror

Soror igitur accersit reliquos. Prodit & accedit Cain ad fratres, stat rigidus, toruitate uultus contumaciam animi & ferociam pre se ferens, hærebant in crinibus stipule & fœni gramine, non gestu, non uoce salutabat Deum. Interrogatus ut parentum doctrinam recitet, incipit, & mutilatam ac corruptam κατηχοτιπ recitat: Credo unum esse Deum, omnipotentem, conditorem totius mundi, quem colendum esse censio sacrificijs, propter quæ fœcundat agros nostros, Sed an exaudiat inuocantes, an peccata remittat, ambigo. De immortalitate etiam tunc uidero, cum ex hac uita discessero. Sentio autem bonos mores colendos esse, ut uita tranquilla sit. Hæc cum illæ contumaciter dixisset, obiurgat eum Deus, quod oblitus fit promissionis, quod fidei doctrinam non tenebat, ac iubet redire eum in uiam, & integrum pietatis doctrinam discere.

Deinde, inquit, cum uos parentes humani generis futuri sitis, uelim uos posteritati eiam prælucere doctrina, pietate, & uirtute. Non minus uos oppugnabit serpens Tyrannus, quam oppugnauit parentes uestrós. Sed his, qui meam promissionem conseruabunt, opitulabitur aduersus serpentem Heros promissus. Et quoniam regi genus humanum uerbo Dei, & cohæceri disciplina uolo, deligam ex cœtu idoneos.

Tu igitur Abel ad me accedito, ut manus impo-

imponens capiti tuo, te consecrem, tibi meum Spiritum impertiam, ut sis Sacerdos, eritque tuum munus doctrinam diuinitus traditam, cæteris omnibus proponere, & sacrificia facere diuinitus monstrata, eaque rectè interpretari. Nec defugies pericula, quæ propter hanc professionem subeunda erunt, Nam agones tui testabuntur piorum ærumnas esse cultus mihi gratissimos, & significabunt, quale sit futurum sacrificium promissi seminis.

Te herò Seth Regem cæteris præficio, sciesque & tuum munus gemimum esse, Primum, doctrinam, quam frater professus est, omnibus uiribus tueberis, & impios, qui conuicia aduersus Deum dicunt, punies ac tolles, punies & cæteros, qui societatem uestram turbabunt. Vobis duobus uentura posteritas obtemperet, & hunc rusticum Cain, qui ut est inculo corpore, ita mores habet agrestes & feros, seruum esse uolo, & metu legum & poenarum coherceri, ne aut religionem contumelia adficiat, aut conturbet societatem uestram.

Ita distributis ordinibus, Euam rursus allquitur, eiq[ue] curam liberorum regendorum & erudiendorum committit. Illa lacrimans testatur se consumi perpetuo dolore & cruciatu, quem adferebat horrendi lapsus recordatio, Tandem, inquit, reipsa comperi, colestes minas non esse irritas.

irritas, quæ mortem nobis irrogarunt. Aſſiduum  
n. mortem mecum circumfero, Quoties aſpicio  
liberos, ac præſertim hunc rigidum filium, &  
proſpicio uentura mala, toto corpore perhor-  
reſco & exanimor. Veniam igitur grauiſſimi  
errati mei iterum peto, & mitigari calamitatis  
oro. Deus adfirmat ſe illi ignoscere, & quan-  
quam genus humanū exerceri calamitatibus ue-  
lit, tamen rurus admonet eam promiſi Seminiſ.  
Hunc Heroa, inquit, non defuturum eſſe inuo-  
cantibus iſum, & ijs olim daturum coeleſtem ui-  
tam & gloriam.

Hac conſolatione cum nonnihil leuaſſet eius  
luctum, diſceſſurus porrigit dextram pueris, ma-  
ter abeuntem comitatur, cumq; incenſa studio  
ſermonum dulciſſimorum, & amore conditoris,  
procul iam à domo progreſſa eſſet, amplexus  
eam, iubet Deus ad liberos, redire, & pollicetur  
& ipsi & marito ſuam opem, docet etiam hos  
ſuos comites Angelos, custodes eſſe familie, qui  
gerant perpetuum bellum uox & curvadop cum  
ſerpente. Quare ſolitudinem minus moleſte fer-  
re iubet, promittit deinde futuram maiorem fa-  
miliaritatem Angelis cum tota familia, ut tedi-  
um ſolitudinis minuant. Hæc cum dixiſſet, nube  
teſtus in coelum redijt.

Habes narrationem, quæ etiamſi non eſt hi-  
ſtorica, tamen res ueras & magnas adumbrat. Si-  
gnificat

gnificat enim distinctionem ordinum diuinitus factam esse, quod uerum esse ostendunt grauissima testimonia in sacris literis, Vides et eos ornatos esse honoribus, qui præstant indeole, doctrina, morum elegantia, studio pietatis, ut significetur, quibus rebus instructos esse oporteat uos, qui dignitate ceteris antecellitis. Sed multorum mores nequaquam generi ac naturæ respondent, ut nonnulli videantur ab inculto illo et sero Euæ filio propagati, non ab alijs. Nec tamen hæc est genesis culpa, sed ipsi semina uirtutum accepta à maioribus non excitant doctrinam & disciplinam, aut obruunt etiam accersitis malis moribus, qui quam multipliciter peccent, etiam atq; etiam generosi adolescentes considerare debent.

Primum, ut desertores lèdunt Imperatorem suum, sic isti, diuinitus ad gubernationem rerum destinati, Deum contumelia adficiunt, qui cum eis, tanquam in acie, locum attribuerit, non intelligunt suum officium, neq; curam ullam adhibent, ut eas artes sibi comparent, sine quibus tueri locum nullo modo possunt. Deinde commune ius societatis humanæ uiolant, quod ei debitam operam præstare non possunt.

Si sentiunt se sua causa natos esse, ut uoluptatibus perfruantur, ut habeant omnium cupiditatum licentiam, quid aliud quam Gigantum genus esse censendi sunt? Longè aliter Achilles

A 4      sentie-

sentiebat, qui interrogatus ab Aiae, quos sustinuerat omnium maximos ac difficilimos labores, respondit, suscepitos pro amicis. Cumq; pergeret Aiae interrogare, quos omnium iucundissimos sustinuerat, rursus Achilles, Eosdem, inquit, significans herotum uirum flagrare immensa quadam cupiditate iuuandæ Reipub: qua incitatus res suscipit asperimas, non ut suæ utilitati, sed ut communi consulat. Cum hoc entusiasmo rapiatur, nihil ei dulcius est, quam res quamlibet difficiles, tamen in commune utiles gerere, ut Musico nihil dulcius est cruditißimis artis sue exercitijs. Præclarè Achilles: Et quanquam uigor ingenij non est similis in omnibus, tamen bonus omnes, qui præfuturi sunt cæteris, decet serio amare Rempub: & anniti, ut ad eam accedant, optimis artibus instructi.

Nam etiam acres impetus in genocrofis naturis, si non regantur doctrina, sèpè aberrant. Itaq; et si in Hercule maxima uis erat ingenij, tamen eum ad Doctores deducunt: Extat enim Theocriti carmen, qui eius Magistros sex recenset: Γράμματα μὲν τὸν παῖδα γέρων Δινοὺς δέδιδαξε, &c.

Nec adolescens tantum literas & Musicam didicit, sed senex etiam Atlantis doctrinam de syderum motibus percepit. Quali doctrina institutus fuerit Achilles, significat Homerus, cum ait

ait, cum laudes clarorum Principum, ludentem  
cithara, decantasse: qua ex re appareat eum &  
historias, & reliquam eius ætatis doctrinam &  
Musicam didicisse. Nec decuisset in eius clypeo  
pingi cœli & elementorum seriem, & sydera,  
que distingueant Septentrionem & Meridiem,  
si tantum fuisse ruditus & sine pectore miles. Sed  
fabulas omisso.

Regum omnium haud dubiè ingeniosissi-  
mus Alexander, non modò primas literas, sed  
uniuersam Philosophiam & medendi artem per-  
cepit. Et ut bellatori nihil sit opus his togatis  
artibus, certè ei uiro, qui in pace gubernabit  
Rempub: aut ad consilia adhibendus erit, opus  
esse omni genere doctrinæ res ipsa loquitur. Nec  
enim Augustus domi leges emendare, iudicia  
constituere & regere poterat, nisi & ipse mul-  
tiplici eruditione instructus fuisse, & ad consi-  
lia doctissimos uiros adhibuisse, Trebatum, Ca-  
pitonem, Asinium, & alios plurimos.

Si cæteros Romanos aut Græcos Principes  
eruditos enumerare uellem, quam longus esset  
futurus catalogus? Et tamen habenus loquor de  
ijs Principibus, quibus uera religio ignota fuit.  
Nunc quanto maius onus sustinent hi, qui sedent  
ad gubernacula, qui non solum ciuilem discipli-  
nam tueri debent, sed etiam gubernare religio-  
nem? Hanc enim curam præcipuam Deus omnis-

bus, qui præstant cæteris, iniunxit, ut efficiant, ut rectè doceantur homines de Deo. Ut enim præcipua causa est, cur ad societatem homines conditi sunt, ut alij alios de Deo, & eius uoluntate docere possent, ita huius maximi ac summi operis ἀγωνοῦται ante omnia Magistratus esse debent.

Quomodo autem possunt sine magna scientiæ copia religiones regere? An existimandum est, Constantinum, nisi ad pietatem adiunxit set magnam eruditionem, potuisse controuersiam ab Ario motam uel intelligere, uel iudicare? Ille uero nequaquam erat in coetu Episcoporum κώφοι πρόσωρεψ. Sed cum in disputatione Arium dextre refutauit sua oratione, collectis Apostolorum & probatorum autorum testimonijs, tum plerasq; alias Episcoporum contentiones eruditis sermonibus mira comitate diremit.

Sed obvia sunt in historijs exempla plura, etiam quorundam nostrorum Principum, qui tametsi ex hac horridiore natione orti, tamen inter tubas, & armorum strepitum aliquid temporis etiam literis & liberali doctrinæ tribuerunt, ut essent instructiores, cum ad plerasq; alias uite partes, tum uero maximè ad pietatis cognitionem, & religionis gubernationem. Quoties enim incident in Rempub. tempora, que requirunt & bonos & eruditos Principes? An non hoc

hoc tempore in his publicis dissidijs honorum et eruditorum cognitio desideratur? Aristoteles definit Magistratum his uerbis: ὁ ἄρχωρ φύ= λαξ οὐ τὸν νόμον. Breuis est, sed uera & apta descriptio, ac prorsus oraculi similis, si quis euoluat ea, quæ complectitur. Finge enim ob oculos stantem Magistratum, cui Deus tradat utranque Decalogi tabulam, cumq; iubeat esse custodem ha- rum legum, quantas illi res commendari existimabis? Religionis & ciuilis disciplinæ custodiam ac defensionem suscipit: Quomodo autem cu- stodiet, hoc est, reget, conseruabit, propugnabit, si non mediocriter intelliget? Quid quod ne amare quidem potest quisquam illud, quod igno- rat, ut uerè dicitur, Ignoti nulla cupido. Itaq; in- doctis tradere magnarum rerum gubernatio- nem, quid aliud est, quam legum tabulas truncō aut parieti affigere? Nec iam de tyrannis loquor, qui petulanter has tabulas abiciunt, collidunt, et frangunt, tantum de indoctis loquor, et si insci- tia quoq; sœua tyrannis est. Sed iam de bonis & mediocribus ingenij loquer, hec expolienda esse doctrina censeo.

Nunc in hac morum corruptione satis esse putant aulici, si ad negotia adferant quandā in- genij dexteritatem, aut calliditatem, quæ fortasse sufficeret, si nihil differrent ij, qui rerum maxi- marum consilia regunt, à seruis in Comœdijs. At

alie artes requiruntur in curia. Deinde etiam st qui literas attingunt, tamen fastidiunt religionis doctrinam. Et ut quondam erat opinio, Philosophiam imperaturis officere, ita nunc nobilitas studia religionis relegenda esse censet ad Monachos, ad infirmam plebeculam. Hic error quantum Ecclesiæ ac uniuersæ hominum uitæ noceat, ostendunt multa Recub. uulnera. Si Magistratus est legum custos, ut rectè dictum est, primum ei diuinæ leges custodiendæ sunt, de quibus incidunt inter homines grauiissime controuersie. Harum arbiter sine locupletiore eruditio ne nemo esse potest, ut de Musicis erratis nemo surdus iudicare potest.

Memini me audire à quodam hospite, Regem Hispаниcum Alfonsum usitato more Principum, suo quodam symbolo delestatum esse; passim enim pinxit Pelecanum, fodientem rostro pectus, & elicientem sanguinem, ad pullos pascendos. Huic picture addidit epigramma: PRO LEGE ET PRO GREGE. significans Principem omnia pericula adire debere, & religionis ornandæ causa, & pro populi defensione. Sapienter uidit Alfonsus præcipuum munus esse superiorum ordinum, religionis studium, conseruationem & propagationem. Cumq; omnes homines ad hoc opus diuinitus vocentur, ut suo quisq; loco conferat aliquid studij ad illustrandam

dam Dei gloriam, non existiment superiores or-  
dines, hoc officium nihil ad se pertinere.

Quare quod amas & colis Christiane pie-  
tatis doctrinam, & quod adhibes pios et eruditos  
interpretes, magnopere hunc tuum animum, &  
tibi & Reipub: gratulor, teq; adhortor, ne te ab  
hoc curriculo ineptis iudicijs indoctorum depel-  
li sinas. Non aliis Deo cultus gratior est, quam  
& cognoscere doctrinam ab ipso traditam, &  
aliquid conferre opere ad eam illustrandam. Ac  
remuneratur hoc officium Deus cumulatè, sicut  
inquit, Glorificantes me, glorificabo. Erit feli-  
cior cursus tuus in omni uita, in rerum admi-  
nistrazione, si ueræ pietatis doctrinam & ama-  
bis, & ornare contendes. Adiunges autem &  
alta studia, ut facis, que & ipsa seruiunt religio-  
ni, & ad uarias partes in uita conducunt. Audio  
te grauissimum scriptorem Thucydidem in ma-  
nibus habere, qui multis de rebus admonere le-  
ctorem potest, de uarietate ingeniorum & no-  
luntatum in Principibus, qualis exitus fuerit ui-  
olentorum ciuium, qualia consilia, qualis exitus  
bonorum, ex quibus causis oriuntur ciuitatum  
conuersiones. Recte Plutarchus: Ut Musi-  
cus organa sua nosse debet, ita ei uiro, qui in  
Repub. uersatur, diligentia adhibenda est, ut  
sensus Principum ac populi calleat, quam ad  
rem descriptio personarum in historijs non

Ad 4 parum

parum conducit. Obseruabis igitur in Thucydide summorum virorum naturas, sed dissimiles, Themistoclis, Periclis, Cleonis, Alcibiadis, Niciae, Brasidae, Theramenis: Deinde quam variæ unius ciuitatis Atticæ conuersiones secutæ sint, postquam temere motum est bellum inter Græcas ciuitates: Quoties temere foedera rupta sint, uel cupiditate paucorum, uel propter inanes potentum suspitiones, deinde alia multa.

Sed cum Thucydides ipse in uestibulo comemoret, quæ sint ex historijs utilitates petendæ, hortatur ut omnium temporum historiam discamus. Tibi uero præcipue cognoscenda est sacra historia, & legendæ res huius Germanici imperij, quæ te multa admonebunt de Ecclesiæ mutationibus, quæ scire homines nobiles plurimum refert. Existimabis igitur tibi cum ad priuatam uitam, tum ad publica negocia magna adminicula parata esse, si & religionis doctrina, & hac historiarum & humanitatis cognitione fueris instruclus. Sed quarum artium atq; autorum cognitio expetenda sit, quem ad usum comparandæ singulæ, quæ metæ singulis prescribendæ, ne confusio corrumpat iudicium, si intempestivè miscantur sacra prophanis, nihil adscribere opus est: Habes enim monitorem assiduum, & prudenter & fide egregia prædictum Medmannum, quem

quem non dubito tibi dextre & artium prece-  
pta tradere, & monstrare usum in uita.

Etsi autem is quoq; sedulò moneat, quæ  
causæ discendi auditatem in uestro ordine exu-  
scitare debeant, & qua doctrina uobis maxime  
opus sit, tamen quoniam me prædicatione indolis  
atq; humanitatis tuæ sic accenderat, ut aliquid ad  
te literarum dare cuperem, hoc argumento pos-  
tußimum usus sum, ut intelligeres cum iudicio  
Medmanni etiam aliorum congruere sententias.  
Postremò etiam publica studia tibi commando:  
Magnam enim uitæ humanæ partem regunt li-  
teræ, continent religionis doctrinam, leges, om-  
nia officia humanitatis, deniq; multa uitæ præsi-  
dia. Quam ob causam sapientes moderatores ci-  
uitatum semper iudicarunt hanc curam ad se  
pertinere, ut studia literarum excitarent & ada-  
iuuarent, que in tanta ingeniorum humanorum  
infirmitate, inconstantia, addo etiam peruersita-  
te uarijs modis periclitari solent.

Superiori ætate barbaries cùm cæteras di-  
sciplinas corruperat, tûm uero fontes doctrinæ  
Christianæ indignè contaminauerat. Naturaliter  
autem ita fit, ut in quolibet genere recta & sim-  
plici doctrina amissa, succedat Sophistica, & in-  
finita opinionum confusio. Inde magna tenebræ  
bonis artibus inuectæ sunt. Secuta est ætas re-  
centior, quæ repurgare artes cœpit, & reuoca-

re hominum studia ad fontes. Ac principia satis  
læta fuerunt, & magnam lucem cum cæteris di-  
sciplinis, tum etiam religionis doctrinæ attule-  
runt. Sed hec meliora studia subitò ingenti per-  
culsa ruina, languescere cœperūt, quia incurre-  
runt in odia potentum. Cum autem uita homi-  
num & Ecclesia nequaquam carere literis pos-  
sint, omni ope annitendum est tibi, & tui simili-  
bus, ut hac parte opem feratis literis & Ecclesiæ.

Quælibet ætas habet sua in commoda, quibus  
mederi maximè debent ij, quorum præcipua est  
autoritas, ac uerissimum est, quod ait Virgilius,  
similem esse uitam hominum navigationi contra  
fluminis cursum, ubi si louiter cessauerint remi-  
ges, impetus fluminis nauim retro trahit. Memi-  
nisti enim uersus:

Sic omnia fatis

In peius ruere, ac retro sublapsa referri:  
Non aliter, q̄ qui aduerso uix flumine lembum  
Remigijs subigit, si brachia forte remisit,  
Atq; illū in præceps prono rapit aluc⁹ anni.  
Sed uestri muneric est, non remittere laborem, ac  
omnibus uiribus repugnare infirmi, & pro-  
uehere res bonas inter ingentes difficultates: Hoc  
uerè heroicum est. Quare quantum poteris da-  
bis operam, ut non deleantur, sed conseruentur  
bonæ artes. Mibi crede, præclarè de tota Eccle-  
sia merebuntur Principes, qui suam autoritatem  
ad colla-

PHILIP: MELANTH: 363  
ad conseruationem rectorum studiorum confe-  
rent, Nec ulli triumphi plus habent ueræ laudis.  
Bene uale, 23 Martij, Anno 1539.

EPISTOLA PHILIP-  
PI MELANTHONIS,  
de conuentu Augustano.

PHILIPPVS MELANTHON  
Ioanni Silberbornero  
S. D.

Iteras tuas, in quibus prædicas mihi Gallo-  
rum studia, magna cum uoluptate legi. Gra-  
tulor autem non minus ipsis literis, quam Gallis,  
quod in his miseric tumultibus Italæ & Germa-  
niæ alicubi tranquillum portum, & quasi cer-  
tum domicilium nactæ sunt. Quod autem petis  
à me, ut aliquid de Conuentu Augustensi ad te  
scribam, quanquam minime delectat me illarum  
rerum recordatio, tamen ne tibi optimo viro pa-  
rum officiosus uidear, mos geretur uoluntati  
tue. Et quemadmodum Poëta inquit, A Ioue  
principium, ita nos à Cæsare exordiemur: Nihil  
enim in hoc conuentu cognoui memorabilius,  
quam ipsius historiam Cæsaris. Magnam haud  
dubie admirationem apud uos habet eius perpe-  
tua fe-

tua felicitas, sed hoc lōgē admirabilius atq; honestius est, quod in tantis successibus & rebus omnibus ad uoluntatem fluentibus, moderationem animi tantam retinet, ut nullum eius dictum aut factum paulò insolentius notari possit. Quem mihi Regum aut Imperatorum ex Annalibus proferes, quem secundæ res non mutauerint? In hoc uno non potuit indulgentia fortune animum à suo statu deicere. Nulla in eo cupiditas, nulla significatio superbie, aut sœvitiae animaduerti potest. Nam, ut alia omittam, in hac ipsa causa religionis, in qua contra nos ab aduersariis miris artibus incenditur, tamen hactenus nostros ciuiliter audiuit. Interior uero eius uita plena est honestissimorum exemplorum continentie, temperantie, & frugalitatis. Disciplina domesticæ, quæ olim apud Principes Germaniæ sœverissima fuit, nunc tantum retinetur in familia Cæsaris. Itaq; nemo improbus in familiaritatem eius insinuare se potest. Amicis utitur tantum Principibus uiris, quos suo iudicio propter uitatem delegit. Et quemadmodum fertur Alexander Imperator unicè delectatus esse consuetudine Vlpiani Iurisconsulti, ita accipio familiæ rißimum Cæsari nostro fuisse Mercurinum Cellarium quoad uixit. Hunc prædicant uirum optimum & sapientissimum, planeq; Vlpianum alterum fuisse. Hac ex re coniecturam facere potes

potes de uoluntate & moribus Cæsaris, oti tois=  
tōς ζειράς Θ', διαδεξήσεται ξώσωμ. Itaque  
quoties aspexi Cæsarem, uisus sum mihi aliquem  
ex illis laudatissimis heroibus ac semideis, quos  
quondam inter homines uersatos esse credimus,  
uidere. Ac multò uerius in hunc competere iu-  
dicaui, quod de Augusto scripsit Horatius, quām  
ad illum ipsum quantumuis bonum & laudatum  
Principem.

Hoc nihil maius meliusue terris  
Fata donauere, boniq; Diui  
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum  
Tempora priscūm.

Hæc habui de Cæsare, quæ & mihi iucun=da erant recordanti, & tibi arbitrabar uoluptati futura. Quem enim non delectaret hic con=centus pulcherrimarum uirtutum, præsertim in tanto Principe? Reliqua historia conuentus longam habet Tragœdiā: Nos obtulimus Con=fessionem fidei, moderatissimè scriptam, ut appa=reret, nos non abhorrere à consilijs pacis. Hoc unum petiuimus, ne sœuiretur in Ecclesiā no=stras propter id doctrinæ genus, quod ibi propo=sueramus, cum quidem res loquatur ipsa, nos nul-lum dogma defendere contra Euangeliū, aut Catholicam Ecclesiā, imò multis locis doctri=næ Christianæ, qui antea prophanis opinionibus iacuerant oppressi, lumen attulisse, uidelicet, de iusticia

iusticia fidei, de pœnitentia, de usu Sacramento<sup>s</sup> rum, de autoritate traditionum humanarum. Quod si hoc ab aduersariis impetraremus, ostendebamus nos prolixè illis concessuros esse omnia, quæ ad dignitatem Episcoporum stabilendam pertinent. Neq; enim id egimus unquam, ut potu<sup>t</sup> Ecclesiastica dissolueretur, modo ut Euangelium non damnarent Pontifices. Ostendimus etiam nos in ritibus Ecclesiasticis omnes, qui uidерentur & dicitορι, communiter cum ipsis seruatu<sup>r</sup>os esse. Nullum detrectauimus onus, quod sine scelere suscipi posset. Verum ne his quidem, quamlibet equis conditionibus placare aduersarios potuimus, qui prorsus suo more agebant, postulabant, ut confessionem nostram abisceremus Id nos facere recusauius.

Gregorius Nazianzenus scribit nullum se uidisse conuentum Episcoporum, qui non magis decenderit discordias, quam diremerit. Sic enim inquit : ἔχα μὴν ὅντως, οὐ δέ τολμεῖε τοσάφει, ως πάντα σύλλογον φεύγει πόλισκόπωρ, ὅτι μηδεμιᾶς σωμάτειλός εἰσօργησόρ, μηδὲ λύσιρ κακῶρ μάλλον ἐσχηκίας προσθίλω: οὐ γὰρ οὐλονειάου νοίη οὐλαρχίου λόγον πείθεινες οὐτοις. Quod si hoc accidit illis melioribus temporibus, quid nunc expectandum sit iudicari facile potest, cum ut cetera patria sint, certe οὐλαρχίου longè uehementiores sint.

PHILIP: MELANT: 367  
sunt. Video futurum, ut hec mala violentis remedijs magis etiam exulcerentur. Nec obscurum est per quales Sycophantas incutentur Principes & Episcopi. Ipse coram audiui quorundam aduersariorum eruditissimos sermones.

Multa hoc anno prodigia nunciata sunt: Nam mulam Romæ peperisse accepimus, & exundatio Tybris nuper mirum in modum deformauit urbem Romanam, & in agro Augustano uitulus biceps natus est, que haud dubie mutacionem Reipub. portendunt. Verum haec importunitas aduersariorum certius credi prodigium debet, quam ulla alia portenta. ἡ δὲ κακὴ οὐλὴ τῷ Σελεύσωτι κακίσῃ.

De nobis extabunt testimonia ad omnem posteritatem, nos pie & religiose sensisse, & studium collocasse in illustranda doctrina Ecclesiæ Catholice, & amplificanda gloria Christi. Hic cultus est uerè λογικὴ λατρεία, quæ maxime placet Deo, uerbum Dei pure tractare ac docere.

Quod si iniustis armis oppressi fuerimus, tam præstabimus, ut literæ nostræ depingant posteritati aduersarios nostros, qui cum prætextu nominis Christi contra nos incitant Principes, non constituant Ecclesiæ, non curant Euangeliū doceri, & CHRISTI gloriam illustrari.

Et in

Et in his sunt quidam belli homines, palam Epicurei, νοσθεοι, qui securè irrident omnes religiones. Tales ferunt nobis de religione leges: Sed represso me.

Quoties autem memoria repeto ueteres motus Rerum publicarum & Ecclesiae, & exitus colligo, reperio plerosque feliciter ratione sedatos esse, & equitate Principum. Ac uix unquam uiolenta consilia profuisse animaduerto. Cum Athenis infinitum bellum inter ciues futurum esset, propter mutuas iniurias et proscriptiones, αλλυρια sancita est, quæ minimè utilis erat Principibus, ac uictoribus, sed ad publicam tranquillitatem proderat. Longum esset Romana exempla recitare.

In Ecclesia uero sepe compertum est, quam sit inutile controversias armis dijudicare, de quibus docendæ & sanandæ erant conscientiae. Itaque optandum est, ut Cæsaris felicitas in hac re etiam saluti sit orbi terrarum, qui quidem hactenus tanta moderatione usus est, ut in magnam spem nos exererit, talia remedia publicis dissidijs inhibiturum esse, quæ non lœdant pias conscientias, aut in posterum pariant nouos tumultus. Non satis considerant magnitudinem cause & Ecclesiæ periculum, qui autores sunt, ut Ecclesiæ nostræ dissipentur armis, & trucidetur sacerdos tes. Episcopos præstare conuenit, ut propagantur

PHILIP: MELANTH: 369  
tur ad posteros pura Euangeli⁹ doctrina, hoc  
principi⁹ postulatur ab isto ordine.

Non potest autem fieri, quin inter tumultum armorum consilescat Euangeli⁹. Et illi qui iubent arma sumere, non hoc agunt, ut postea constituant Ecclesias: Quando enim ista officia curauerunt Romani Pontifices? Ita accidet, ut penitus extinguitur religio, ubi defuerint Ecclesijs idonei doctores Euangeli⁹.

Possem alia multa recensere, nisi dolore impedirer, qui me penè exanimat, uersantem in haurum rerum cogitatione, & quidem semper sunt ob oculos. In hanc sententiam multa disputatione cum bonis quibusdam uiris Auguste, exponens, quæ mihi uiderentur impendere, si nihil remitterent aduersarij, uidelicet horribilis confusio dogmatum, & infinita Ecclesiarum dissipatio. Commemorabamus etiam his postremis temporibus singulari prudentia opus esse, de quibus prædixit Christus, plus fore periculi, quam antea. Sed res est quæ yowaci ðeð: quare orabimus Deum, ut propter gloriam nominis Christi, mitia remedia ostendat his, qui præsunt, & ne patiatur interior puram Euangeli⁹ doctrinam. Neq; enim hoc negari potest, nos in discrimen uocari hanc unam ob causam, quod sentimus Deum placari, non nostris obseruationibus, sed propter Christum. Huius gloriam cupimus illustrare & am-

B b plifi

plificare, ut recte intelligent Ecclesie, que beneficia Deus per Christum nobis donauerit. Neque ignoramus quāridiculē uideantur hæ disputationes de religione, & de Euangelio Epicureis illis, qui Principes concitant aduersus nos. Sed fuxit Deus, ne nos Euangelij pudeat.

Hæc tibi prolixius scripsi, libenter enim quæsi in finum tuum depono has meas curas. Tu quod facis, pergas illæ studia colere, in quæ ingressus es quadam cum expectatione tuorum, quæ ad dignitatem tuam augendam, & ad Rempub: regendam conducunt. Nihil enim opus est pluribus uerbis hortari sponte currentem. Illud tamen oro, ut quantum poteris, adiungas illi doctrinæ alias etiam literas, quarum cognitio homine ingenuo digna est, & non minus necessaria Reipub: quam illæ artes, que celebriores habent titulos. Fratrem tuum meis uerbis qmanter saluta. Vale.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC  
Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt,  
Comiti Ascaniae &c. Præposito Ecclesiæ Magdeburgensis, & Coadiutori in Ecclesiastica  
gubernatione Merseburgensi, Do-  
mino suo clementissimo  
S. D.

Illustris

Illustriſ: & Reuerendis: Princeps, Extat apud  
Platonem ſententia, cuius cogitationem cum  
alijs uiris ſapientibus, tūm uero bonis Principi-  
bus, gratam eſſe non dubito. Eſt enim doctrina de  
cauſis gubernationis, ſuntq; hec uerba: Deus qui-  
dem & cum Deo temporū momenta res huma-  
nas, quod ad uniuerſum corpus attinet, guber-  
nant. Minus horridum eſt tamen adſentiri, ad  
has principales cauſas adiungi oportere artem  
ſeu diligentiam humanam. Postquam igi-  
tur Deus hoc tempore, ut cupiditates noſtras  
frenaret, caſtigauit bonam Germanicæ partem, et  
aliquam in gubernatione mutationem fecit, acce-  
dat hoc etiam, ut boni & ſapientes uiri, qui au-  
toritate antecellunt, diligentia ſua iſtos quaſi flu-  
etus moderentur, & curent inter tumultus Im-  
periorum reſtitui ſtudia uerae Inuocationis Dei,  
Leges, Iudicia, & omnia disciplinæ uincula. Au-  
diui autem ex narratione quam mihi Cels. T. fi-  
gificauit, Duce m i p ſ u c t o r e n D e o g u b e r-  
nante eius peccus, ſua ſponte adfirmasse, has res  
ſalutares uitæ hominum, & propter quas pre-  
cipue Deus Imperia conſtituit, ſibi curæ fore.

Scio & Cels. T. anniti, ut Ecclesijs recte con-  
ſulatur, & disciplina ſanciatur. Hac igitur con-  
ſolatione meus dolor aliquantulum lenitur, quod  
cum uideo non negligi has res neceſſarias, ſpero  
Deum prohibitum eſſe barbaricam uafatio-

nem, & seruaturum aliquod semen sanctum etiam  
in his terris, & ut seruet toto eum pectore oro.  
Ingentem dolorem multos annos etiam ante bel-  
lum in animo meo circutuli, propter multa publi-  
ca bella, quæ nunc Nemesis secuta est. Atq; utinā  
cōmonefacti tam tristi spectaculo, emendarēmus  
errores nostros & uicia, quod ut fiat, orandus  
est Deus, ut Principum & Doctorum mentes ex-  
uscitet, ut ueras deliberationes suscipiant. De his  
rebus breui Deo iuuante corā cum C. T. collo-  
quar. Nunc expecto Noribergenses literas, in  
quibus si quid erit dignum narratu, Cels: T. signia-  
ficabo. Deus æternus Pater dñi nostri Iesu Christi  
seruet & regat Cels: T. & fratres Principes,  
uirtute & pietate ornantes Nobilitatem. Quare  
etiamsi in hac communi tempestate socij ærum-  
narum uiciniæ fuerunt, tamen Deo curæ esse &  
ipso, & uestras regiones uidistis, pro quo benea-  
ficio ei gratias agamus. Bene ualeat Cels: T. die 20  
Iunij, Anno 1547.

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascaniæ &c.  
S. D.

Cum filius Dei dominus noster Iesus Christus  
adixerit, se in medio eorum adfuturum esse,  
qui

qui conueniunt ipso inuocato, & ut Euangelijs propagationem adiuuent, oro eū, ut iam et uestro congressui intersit. Spero nihil usquam dissidiorum esse in uestris Ecclesijs de doctrina Euangelij, & ne qua exoriantur, summa uigilantia prouidendum est. Hec sit prima inquisitio.

De ceremonijs adiaphoris ego quidē et si amo similitudinem et conuenientiam ordinis, tamen non ualde pugnare soleo cum alijs, qui uidentur acriores, & uideri uolunt libertatis propugnatores. Etiam crebræ mutationes offendunt uoluntates hominum. Ideo ubi iam aliquæ factæ sunt mutationes, & utcumq; instituti ritus, malim non subito rursus fieri mutationes. Sed ego in neutrā partem de talibus rebus adiaphoris litigari optarim. De senatu Ecclesie, omnino nollem alium senatum constitui, quam consistorium, cui in causis difficultoribus Princeps ex aula & Academia uiros optimos & eruditissimos adiungere potest. Non est politicum multas nouas potestates, multa collegia, multa concilia instituere. Reclius est hæc ad Episcopi & gubernatorum ordinariorum et assiduorum autoritatem, quantum fieri potest, reuocari. Missem ante quatriduum has literas, nisi aduenisset quispiam istuc ordinatus, qui pollicebatur se nuncum fore, & me sellit. Mitto exempla Testimoniorum, & peculiare composui, quod uestro arbitrio mutabi-

tis. Bene & feliciter ualete. Die Augusti 22. Anno  
no 1544.

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascanie &c.

S. D.

M Emini uirum excellentem ingenio & uitate Albertum Durerum pictorem dicere, se uiuenem floridas & maxime uarias picturas amasse, seq; admiratorem suorum operum ualde letatum esse, contemplantem hanc uarietatem in sua aliqua pictura. Postea se senem cœpisse intueri naturam, & illius naturam factiem intueri conatum esse, eamq; simplicitatem tunc intellectissimum artis decus esse. Quam cum non prorsus adsequi posset, dicebat se iam non esse admiratorem operum suorum ut olim, sed sèpè gemere intentuentem suas tabulas, ac cogitantem de infirmitate sua. Tantum cum fuerit illius uiri studii, in arte non summa, sèpè doleo & indignor, non esse similem diligentiam nostri ordinis in querenda simplicissima explicatione doctrinæ cœlestis. Evidem amo simplicitatem, & propriè dicere de his rebus studio, que mirando consilio Dei Ecclesie propositæ sunt. Sed tamen ipse mihi dissipatio. Scripsi iam Celsi T. duas conciunculas, quærum

rum et si priorem reieci, tamen uobis exemplum  
mitto, quia fortassis eruditio non displicebit enar-  
ratio hymni Angelici: Gloria in excelsis Deo:  
Sed populi auribus non est accommodata. Arbi-  
tror Cels: T. utilius proposituram populo alte-  
ram planiorem, cuius & ordo est melior, & res  
ad quotidiana exercitia Invocationis magis ac-  
commodatæ sunt. Bene & feliciter ualeat Cels:  
T. die 17. Decemb:

GEORGIO PRINCI-  
PI ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.  
S. D.

**Q**uod hactenus ad Cels: T. nihil dedi litera-  
rum, factbor potius parum officiosè à me  
factum esse, quam utar aliqua inepta excusatio-  
ne. Quæso autem ut Cels: T. meam in hoc genere  
procrastinationem boni consulat. Ego enim C.  
T. benevolentiam erga me facio plurimi, non so-  
lum meæ utilitatis causa: sed multò magis, quòd  
tanta uirtus & doctrina in Principe uiro præci-  
pue meretur admirationem atq; amorem. Utinam  
haberemus multos tales Ecclesiæ gubernatores.  
Sed & de pulcherrimis uirtutibus Cels: T. & de  
Ecclesiarum conditione alias plura. Nunc mitto  
C. T. Aleſij libellum, in quo collectæ sunt quædam

consolationes, quas ipse mihi inculcare soleo, aduersus eos, qui nobis atrox schismatis crimen obijciunt. Satis enim excusat nos istorum horribilis crudelitas, quam profectò neq; adiuuare neq; approbare debemus. Spero hanc consolacionem & T. Cels: gratam futuram esse. Comendo autem me Cels: T. tanquam præcipuo Patrino, ac polliceor semper autoritatem Cels: T. plurimum apud me ualitaram esse. Commodo etiam Cels: T. M. Franciscum, quo cum mihi propter ipsius summam humanitatem ac fidem, uetus est amicitia. Præcipue autem cupit Cels: T. esse commendatus propter excellentem uirtutem & doctrinam Cels: T. Bene & feliciter ualeat Cels: T.

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.

S. D.

**N**ec obliuione accidit, nec propter itineria mea, ut tardius mittam concionem: Sed partim aliæ lucubrationes me remoratæ sunt, partim dubitatio de argomento. Tandem diu quæsita materia, sumpsi dictum Pauli ad Timotheum: Attende lectioni, consolationi & doctrinae. Est enim eruditissima partitio. Et quanquam magis idonea materia scholæ uidetur, quam templo, tam

men in sacerdotum cœtu decet non in eruditas orationes haberi. Atq; utinam diu sonent in Syndicis eruditæ conciones. Quid enim moliantur hostes doctrinæ, uidetis. Sed Deum oremus, ut Ecclesiæ suæ reliquias seruet, nec sinat extingui doctrinæ lucem. Breuior est et minus splendida enarratio dicti Paulini: Sed nec domi, nec animo tranquillo scripsi. Ac Cels: T. permitto iudicium de scripto. Significari etiam mihi per Doctorem Georgium Cels: T. curet, an pagellas recte custoditas tabellarius uester exhibuerit. Mitto tres historias admodum insignes, scio multa cogitaturam esse de tota Germania, ubi leget Cels: T. narrationem de Electore Palatino. Deus reprimat consilia eorum, qui delere uocem Euangelij conantur. Acta concilij Tridentini, hoc est, articuli aliquot cum refutatione editi sunt, quorum exemplum heri dedi Comiti Stolbergio Henrico. Cum uenero VVitebergam, si aliud exemplar inuenero, mittā Cels: T. Iter Deo iuuante intra triduum ingrediar. Bene ualeat Cels: T. Die 6. Octob.

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.  
S. D.

Bb s ve

**V**etus præceptum est, ut res communes & tritæ dicantur nouo modo, Econtra uero, ut res nouæ & procul extra conspectum posite, dicantur communi & facili forma orationis. Tæ uocè nouæ nouvæ, tæ dæ nouvæ nouvæ. Magna hæc ars est. Sed utinam ego communia & nota possum communi & facili genere sermonis explicare. Id quoq; magnum decus est. Scripsi qualemq; conciunculam, & libenter Typum Agni ex Moise enarrassem: sed uidi nimis prolixam fore concionem. Cels. T. poterit hac conciuncula uti aut eam abiscere. Res tamen bonæ propositæ sunt. Nec curo reprehensiones eorum, qui dicunt, nos eadem subinde repetere. Utinam unam Euangeliu vocem incorruptam, semper iisdem uerbis, etiam delectis optimis & propriis maximè, omnes sonarent ubiq;. Scripsi hæc in luce recenti, in quo propter filiæ mortem, que fuit mihi mea uita carior, magno dolore excrucior. Deus mitiget publicas & priuatas miseras. Bene ualeat Cels. T. Die resuscitati Lazari.

GEORGIO PRINCIP  
I ANHALTINO,  
Comiti Ascanie &c.  
S. D.

**V**T initium Ecclesiæ exorsa est promissio in Paradiso de Semine salutari edita, ita recte nobis

nobis annum orditur tempus, quo Semen illud sa-  
lutare ex Virgine natum est, quod toto pectore  
oro, ut faciat, ut hic ueniens annus Ecclesiæ &  
hospitijs piae doctrinæ & Cels: T. faustus, felix, et  
tranquillus sit. Ad congressum Principum ne ac-  
cederem multæ fuerunt causæ. Mea omnis oratio  
futura erat deprecatio, quæ apud ardenter iram  
nihil profutura erat, cum alter diceretur de luce  
disputaturus. Dolore etiam retentus sum. Quid  
enim sperem, cum tantam fœnitiam audiam in ui-  
cinia exerceri, quæ non conuenire uidetur ei,  
qui se defensorem patriæ uult perhiberi? Nec  
existimauit ullas de Ecclesijs futuras esse delibera-  
tiones. Utinam nostra consilia antea non asper-  
nati essent hi, cum quibus nunc nos quoq; in mi-  
serijs sumus. Confusio igitur ad unum hoc præ-  
sidium, uidelicet ad Semen salutare, natum ex uir-  
gine. Non sum Epicureus, sed spero nostros ge-  
mitus Deum exauditurum esse, & mitigaturum  
publicas & priuatas calamitates. Non libenter  
me ingero Principum deliberationibus, quorum  
nec sensus cum nostra Philosophia congruunt,  
nec negotia penitus noui. Et nunquam unum  
agunt negotium, sed semper multa inuoluta sunt  
in uno, quæ res & his bellis causam præbent,  
quibus sedatis utinam D E V S pacem restituat.  
Pancratium Cels: T. reuerenter commendo, Vir  
bonus

bonus est & doctus. Bene & feliciter ualeat  
Cels: T. Die Natali filij DEI. Anno 1547.

GEORGIO PRINCI  
PI ANHALTINO,  
Comiti Ascanie &c.  
S. D.

Illustriſſime Princeps, Non dubito, quin ut  
Iquisq; Princeps optimus est, & Eccleſiae Chri-  
ſtiane amantiſſimus: ita maximè cupiat adiuuare  
& tueri ſtudia literarum. Porro Cels: T. non  
ſolum amore pietatis antecellit alijs multis, ſed  
eruditioñem etiam tantam ad cæteras uitutes  
adiunxit, ut certare cum doctis & claris Pro-  
fessoribus in præcipuis artibus poſſit. Quare ſcio  
Cels: T. ex animo literis fauere, easq; libenter  
prouchere, ut ad Eccleſiae utilitatē conſeruen-  
tur. Sic cum de te ſentiant ſtudioſi paſſim, erit  
humanitatis tuae eorum officia non аſpernari,  
qui tibi monumenta & labores ſuos dedicant.  
Plinius inquit: Scriptores ſui temporis non fuſi-  
ſe in admiratione apud Principes, quia Prince-  
pes deſiſſent laudanda facere. Sed cum tui mo-  
res ſint sanctiſſimi, cum uita tota ad Christi glo-  
riam deſtinata ſit, non grauatim permiſſes no-  
men tuum celebrari. Pertinet enim ad exem-  
plum honestos Principes duraturis scriptis orna-  
ri. Deſ

ri. Dedicauit igitur Cels: T. Georgius Aemylius eruditum & pium Poëma, quod cum leget Cels: T. magnopere rogo, ut ostendas officium ipsius tibi gratum esse. Spero & genus uersuum te probaturum. Digni laude sunt, qui conferunt ingenij uenam ad ornandam gloriam Dei, qui est ingeniorum autor. Tales sunt Principum liberalitate adiuuandi, ut alij etiam ad scribendum inuitentur. Quare rogo Cels: T. ut specimen uoluntatis sue erga literas hoc tempore huic Aemylio ostendat. Ego quicquid in eum contuleris, in me collatum iudicabo. Bene ualeat Cels: T. Die Maij 22. Anno 1539.

GEORGIO PRINCIPI  
ANHALTINO,  
Comiti Ascaniae &c.  
S. D.

Illustriß: Princeps. Quòd Cels: T. clementer ac benignè ostendit, se nobis in hac annonæ angustia non defuturam esse, agimus gratias, & omnia nostra officia cum summa obseruantia Cels: T. deferimus, ac precamur Deum, ut pro hoc beneficio uicißim seruet, defendat, & adiuuet Cels: T. sicut inquit: Benedictio uendenti frumentum. Ftsi autem de precio intellexi sententiam uestram, nec ego quicquam alienum à conditione huius

huius temporis peto, tamen rogo ut benignitate  
uestra precium moderemini. Crescunt exēplis in-  
terdum etiam immoderatè precia. Basilius cura-  
uit frumentum aliquot ciuitatibus, Idq; factum  
in primis laudatur. Habet autem Cels: T. in Ec-  
clesia gradum ut Basilius: Sed hoc superat Cels:  
T. quod etiam Princeps est Reipub:, Pietate ue-  
rò ac doctrina cum Basilio, conferri Cels: T. posse  
statuo. Quare cum tam multæ cause concur-  
rant, magis laudari tuum beneficium debebit,  
quam Basiliij. Nam Principes, ut uocantur, ita  
esse pastores populorum, qui ciuibus benefacta-  
ant, debent. Nomen etiam tuum admonet Cels:  
T. de iuuandis populis. Nam γεωργὸς est, qui  
colit & ornat terram, hoc est, qui ut ali homines  
possint, eos adiuuat. Bene ualeat Cels: T.  
29 Octob: Anno 1538.

REVERENDISSIMO DO  
MINO CARDINALI IOHANNI  
Bellaio, Episcopo Parisiensi, sapientia  
& uirtute præstanti.

**R** Euerendissime Domine. Sæpè te intuentem  
confusiones generis humani in tanta sapi-  
entia & uirtutis præstantia, & deploare com-  
munes miseras existimo, & cogitare quo pacto  
multis prodesse queas. Potes autem, ut de Imperijs non

non dicam, quæ suas habent fatales conuersiones, iuuandis doctrinæ studijs, & tegendis doctis & moderatis uiris. Nam si erunt literæ, manebunt aliqua Reipub: ornamenta, & moderatorum ui-  
rorum iudicijs multorum animi ad pacem fle-  
ctentur. Cum igitur hic Hubertus Languetus  
Burgundus in Italiam rediret, ut Bibliothecas in-  
spiceret, potissimum ei literas ad te dedi, quem  
sciebam uiros bonos, doctos & moderatos liben-  
ter complecti. Nec uero plus ei meum testimo-  
nium, quam suam uirtutem apud te uirum ex-  
cellentem sapientia prodeesse uolo: ubi audies, sta-  
tim intelliges & πλαισοπα esse, & uirum pru-  
dentē, modestū, pacis & concordie publicæ amā-  
tem, integrum ac dignum benevolentia bonorum  
uirorum. Quare tuo eum iudicio tueberis &  
ornabis. Alterius est à factionibus, nec circum-  
fert negotia periculosa paci: Sed Historiarū mo-  
numonta in Bibliothecis querit, qua in re ipsi nō  
defutura esse doctorum officia spero. Tuam ue-  
ro benevolentiam non solum propter causam pe-  
rigrinationis, sed propter ipsius prudentiam, in-  
tegritatem, morum suavitatem, & eruditissimos  
sermones spero erga ipsum fore eximi-  
am. Bene & feliciter uale, Ca=  
lend: Iunij, Anno

¶ ¶ ¶.

EIDEM.

## E I D E M.

**R**uerendiſſ: Domine. Et memini uiri sapientia-  
tis et boni tui fratris cōſilia, & doleo ſpre-  
tis & moderatis ſententijs bella mota eſſe, quibus  
iam toto decennio ardet Germania, que ſi nobis  
Turcos attraherent, non dubitandum eſt in Ita-  
liam inde processuros eſſe. Erat autem uestræ  
ſapientiæ, omnium gentium ſaluti consulere, idq;  
fieri poterat, ſi, ut multi ſapiēntes gubernato-  
res ſæpè fecerunt, quædam ut in ſenili corpore,  
leniretiſ. Sed agnoscō et deploro hæc tristia ſata,  
poſtremæ & delire mundi ſenectæ. Ruunt ut  
uides imperia in ſuas poenas. Cūm autem non  
dubitamus, Deum uerè colligere aeternam Eccle-  
ſiam, ſperemus cum alicubi reliquias piorum cœ-  
tuum & doctrinæ & hofſitia eorum ſeruati-  
rum eſſe. Hac una me ſpe ſuſtent, & recta di-  
ſcere iuniores hortor: uiolenta cōſilia nihil pro-  
 futura eſſe ulli parti ſemper exiſtimauit. Quod  
Hubertum amanter audiuiſti, & debeo & habeo  
tibi gratiam, ac ſcio te uirum excellentem ſapien-  
tia & uirtute non ſolum colloquio bonorum &  
doctorum delectari, ſed libenter eis etiam  
benefacere. Bene & feliciter uale.

Calend: Febr: 1556.

Phil: McLanth:

MA\*

MAGNIFICO VIRO,  
 NOBILITATE GENERIS, SAPI-  
 entia, & uirtute præstanti, Sebastiano ab Alba  
 Spina, Oratori incliti Regis Francicæ in  
 aula Imperatoris &c. Patrono  
 suo colendo.

**N**E fieri quidem potest, quin mediocres ho-  
 mines intuentes tantam generis humani dis-  
 sipationem, magno in dolore sint, sed tamen leni-  
 tur moesticia, cum aliquam Ecclesiam Dei & ef-  
 fe, & seruari diuinitus cogitamus. In qua necesse  
 est esse multos, quorum rectæ sunt uoluntates, &  
 qui doctrinarum studia colunt, & coniunctio-  
 nem amant. Itaq; ualde delectatus sum oratione  
 Huberti nostri, quem scio esse uirum prudentem,  
 eruditum, integrum, & considerantem commu-  
 nem uitam, cum mihi narraret, te sapienter iudi-  
 care de omnibus uite officijs, & doctrinas intel-  
 ligere, & earum cultoribus bene uelle. Fuit au-  
 tem per gratum mihi, quod singularem esse tuam  
 erga me benevolentiam commemorabat. Dedi-  
 igitur istuc redeungi hanc epistolam, & ut Hu-  
 berto testis essem, de sua erga te uoluntate, & ut  
 offendorem significationem grati erga te animi.  
 Cum autem sciamus præsertim in hac ultima se-  
 necta mundi, maiores fore, & imperiorum, &  
 Ecclesiarum dilacerationes, quam fuerint antea,

Cc sapienter

sapienter hec fatalia mala feramus, & suo loco  
 singuli honestis studijs opitulemur. Hac re quid  
 fieri melius potest in tantis miserijs humanis. De  
 me uero tibi & debco, & habeo gratiam, quod  
 me quoq; inter literarum cultores complectaris.  
 Poteris autem præclarè mihi benevolentiam tu-  
 am ostendere, si, cum Hubertum grauiissimo ius-  
 dicio complexus sis, mea causa etiam magis dila-  
 ges, atq; ornabis. Fuit annos aliquot amicitia, &  
 deinde familiaritas ei mecum, et quo diutius pru-  
 dentiam, & fidem eius consideravi, eò magis eum  
 dilexi, & diligam ubi unq; erit. Scio eum talēm  
 esse, quales in ueteri uersu describuntur uiri bo-  
 ni, ἀπερ τὸ γησὸπ τίνος τὸ ξε φύσιπ. Bene  
 uale. 1556. Die quo celebratur memoria Augu-  
 stini, qui mortuus est anno ætatis sue 76, anno à  
 natali Christi 430. cum decennio ante mortuus  
 esset Hieronymus, anno à natali Christi 420,  
 ætatis autem sue nonagesimo primo. Horum ui-  
 rorum memoria te quoq; delectari arbitror.

## IVDICIVM DE DÆMONIACIS PVELLIS, QVÆ ROMÆ agitatæ sunt à Diabolo, scriptum ad Hu- bertum Languetum Bur- gundum.

**E**T si sunt interdum Physicæ cause furorum  
 seu παθοσών, seu μανιας, tamē certissi-  
 mune

num est Diabolos in aliquorum hominum corda  
 ingredi, & efficere furores & cruciatus in eis,  
 uel cum Physicis causis, uel sine eis. Quia mani-  
 festum est tales homines interdum etiam sine  
 Physicis remedij liberari. Et sēpē hēc Diabo-  
 lica spectacula sunt prodigia & significationes  
 rerum futurarū. Ante annos duodecim erat mu-  
 lier in Saxonia, quæ nullas literas didicerat, tum  
 cum agitaretur à Diabolo, post cruciatus, loque-  
 batur Gracē & Latinē de futuro bello Saxonī-  
 co. Erit magna angustia in terra, & ira in po-  
 pulo, ἐσού διάγκυη ἐπὶ τῆς γῆς οὐρανὸς ὅργη καὶ τῶ  
 λαῶ τότε. Ante annos 16. erat in Marchia  
 puella, cui rapienti pilos à uestibus, uertebantur  
 illi pili in nummos Marchicos, quos deuorabat  
 puella longo fragore dentium. Et figuræ illæ  
 nummorum interdum ex manibus eius subito ex-  
 tortæ, erant ueri nummi, qui adhuc à nonnullis  
 seruantur. Ac subinde magnos cruciatus puella  
 sentiebat. Sed liberata est à toto illo morbo post  
 menses aliquot, & adhuc uiuit sana. Sunt autem  
 crebrae priorum precatio[n]es pro ea factæ, & con-  
 sulto omisſæ sunt aliæ ceremoniæ. In Italia au-  
 dio fuisse mulierem, quæ etiam nullas literas di-  
 cicerat, que cum agitaretur à Diabolo, interro-  
 gata, qui uersus Virgilij sit optimus, Respondit.  
 Discite iusticiam moniti, & non temnere Diuos.  
 Possem & alia exempla multa commemorare,

Sic & de illis miseris Virginibus, quas Ro-  
mæ in furore cruciari audio, iudico cruciari eas  
à Diabolis, & significantur pœnæ Italæ & alia-  
rum gentium. Nec uero dubito uera piorum pre-  
catione tolli id malum & expelli Diabulos pos-  
se. Rectè etiam facient, si qui homines non Epi-  
curei, sed uerè inuocantes Filium Dei dominum  
nostrum Iesum Christum, serio præcipient Dia-  
bolis, ut discedant ab illis miseris, & deuenturo  
iudicio filij Dei, in qua malitia Diabolorū ofsten-  
detur palam uniuersæ Ecclesiae, dicent, & de  
pœnis Diabolorum. Sed hæc fieri oportet serio,  
& omittendæ sunt ceremoniæ tñq; ἀρτολατρεί-  
ας, & lustralis aquæ & falsarum inuocationum  
Cornelij & similium. Scio plura exempla, in quia-  
bus profuisse piorum prectionem certum est.

Philippus.

De Pomeranica controuersia, Mense  
Octob: Anno 1555.

IOHANNI FREDERO,  
ECCLESIARVM RVGIAE  
Gubernatori.

RE\*

**R**euferende uir & amice colende: Nulla un-  
 quam uox in cœlo & in terra ardentior  
 audita est precatione Filij Dei, quam in agone re-  
 citauit. In qua orat æternum Patrem, ut faciat,  
 ut in ipso unum simus. Idem nos adiuncti sum-  
 mo Sacerdoti nostro semper ueris gemitibus pe-  
 tamus, ut cum manifestum sit, discordias exitia-  
 les esse, ipse huius ægri corporis languida mem-  
 bra & foueat & coniungat. Quod cum peti-  
 mus, sit in nobis etiam studium concordiae, &  
 offensiones quasdam nostra æquitate sanemus. Le-  
 gitimus aut certamen istic motum de ritu ordina-  
 tionis, in quo cum nulla sit de doctrina dissensio,  
 ualde dolemus te tam acerbè de ritu pugnare, ut  
 nomines laqueum conscientiae morem, qui seruat-  
 tur in uestris & multis pijs Ecclesijs bono con-  
 filio, & sine doctrinæ corruptela. Nec iam di-  
 sputationem instituimus, & ueniam damus tuæ  
 iracundiae, Sed te propter Ecclesiæ & Patriæ  
 tranquillitatem amanter oramus, ut omisso illo  
 tot annorum non necessario bello, te ad consen-  
 sum uestræ Synodi adiungas. Scimus eruditio-  
 nem, pietatem, moderationem in ijs, qui in Synodo  
 conuenerunt, tantam esse, ut assentiri his hone-  
 stè & pie possis. Et cum non sit de doctrina dis-  
 sensio, rectè hoc Thucydideum usurpamus, δικ  
 ούραγον οἰκείσχοντες πάντες. Impeditur In-  
 uocatio Dei, in te & in multis alijs, cum studia

dissensionum incenduntur sine necessarijs cau-  
sis, dum uides quām necessarium sit nobis tueri  
concordiam Ecclesiarum nostrarum contra ua-  
rios hostes. Quare te propter Deum, & propter  
Ecclesiam, & propter patriam tuam oramus, ne  
Synodo uestrarum Ecclesiarum aduerseris, que  
nihil iniustum decernet. Amanter & honorifice  
de te apud nos locutus est Iacobus, qui nihil pro-  
nunciat *Id iō Cōlēvōp*, sed totam rem Synodo  
permittit, idq; facturum reuerendum senem ui-  
rum honestum & benē meritum Knipstrophiū  
affirmat. Cogita igitur, quid iudicaturi sint mul-  
ti boni uiri alibi, si unus tot doctorū & piorum  
sententiae aduerseris. Si existimas maius decus  
esse, certare subtilitate & acerbitate disputatio-  
num, nimium indulges iracundiae. Et si alii pro-  
uocati respondebunt, noua fient Ecclesiæ vulne-  
ra, & ut uincas, erit Cadmea uictoria. Propter  
hanc causam & nos aliquando laceſiti tacere  
maluimus, quām diſidia inflāmare. Fortassis re-  
prehendes nos, si dicimus te etiam Illustriſ: Prim-  
cipi Philippo in hac causa gratificari debere,  
sed tamen cum eximia sit eius sapientia et pietas,  
& magnas curas Ecclesiæ & Repub: causa ſu-  
stineat, decet nos ipsius uoluntatem intueri.  
Huic gratiſ: erit, si uiderit, te Synodo affentiri,  
& concordiam eſſe omnium cruditorum in pa-  
tria. Hec ad te pio studio scripsimus, & ubi pro-  
diffeſſe

PHILIP: MELANTH: 391  
desse tibi poterimus, perficiemus ut intelligas, te  
uerè à nobis diligi. Bene uale, Calend. Nouemb:  
Anno 1555.

REVERENDIS VIRIS,  
E R V D I T I O N E E T P I E T A-  
te præstantibus, D.Paulo Rhodio, Pastori Eccles-  
iæ Stetinensis, & inspectori vicinarum  
Ecclesiarum, & collegis eius, fra-  
tribus nostris colendis.

R Euerendi uiri & carissimi fratres. Nulla  
uox neq; in cœlo neq; in terris ardentior  
unquam audita est, uoce Filij Det, qua in agone  
suo precatus est, ut æternus Pater & sanctificet  
Eccleſiam in ueritate, uidelicet, in Euangelij do-  
ctrina incorrupta, & ut faciat, ut unum in ipso  
simus. Veritatem & concordiam in Ecclesia fi-  
lius Det uult et intelligi & retineri, ut in aliqua  
parte generis humani rectè colatur Deus. Ad hu-  
ius summi Sacerdotis filij Det precationē & no-  
stros gemitus adiungimus, & oramus Deum, ut  
in uestris & nostris Ecclesijs seruet & uirita-  
tem & concordiam, Et existimamus, uos in con-  
trouersijs aliquot annorum cognouisse & uo-  
luntatem & labores nostros. Nunc quoq; de  
controuersia, quam mouit Balticus Gorgias, ex-  
altant nostræ responsiones moderate scriptæ, quas

tamen & ueras esse, & cum uestris iudicijs con-  
gruere non dubitamus. Consilijs & laboribus  
meis & Doctoris Bugenhagijs constitutæ sunt  
Ecclesiæ uestræ, quare & doctrinæ uocem in eis  
initio traditam, & benevolentiam erga nos tue-  
ri cupio, & cupiunt idem cæteri. Cumq; uide-  
rimus disputationes cum Artopœo habitas, recte  
sentire uos iudicamus. Nec ab ea sententia disce-  
demus, nec quicquam contra illam uestram sen-  
tentiam unquam acluri & petituri sumus.  
Optamus enim æternam harum Ecclesiarum con-  
cordiam esse, ut simul Deo gratias agamus in  
consuetudine cœlesti in tota æternitate. Hopes  
est apud nos senex Artopœus, ac de dogmate se-  
mel omnino collocuti sumus, non sine contentio-  
ne, postquam exhibuit nobis hanc confessionem  
quam uittimus. Etsi autem longiorem fortassis  
desideratis, tamen cum domi non fuerimus, non-  
dum prolixè colloqui potuimus. Illud oramus, ut  
Illustriss: Principis piam uoluntatem in eo iu-  
uando in hoc exilio confirmetis. Scitis enim  
quam triste sit senem habentem infantum tur-  
bam abesse à suis aut uagari à tali grege. Hec  
etsi sunt tristia, & nobis magnum dolorem ad-  
ferunt, tamen anteferri ueritatem, & Ecclesiæ  
uestræ tanquillitatem necesse est. Piè tamen fa-  
ciet Illustriss: Princeps, si has œrumnas ei leniet,  
& uel sumtus dabit, uel collocabit eum in alio  
loco,

loco, sic tamen, ne à uobis dissentiat. Ipse quidem adfirmat, se non uelle à uobis dissentire, nec defensurum aut excusaturum esse Osiandri dogma. Hæc ad literas uestras nunc respondimus, ut lecta hac Artopœi confessione, uestrum consilium cognosceremus. Bene & feliciter uata. Die uerni Äquinoctij, Anno 1550.

D. IACOBO  
RVNGIO.

**R**uerende uir & cariss:frater. Heri huc aliae sunt Frederi literæ, quas scripsit ad Eberum, cum respondeat ad communem epistolam, à collegio nostro placidissimè scriptā, in qua cum simus eum hortati, ne Synodum aspernetur, narrat se non accessisse ad Synodum uestram, nec posse piè adsentiri, & editurum se esse apologistam, in qua refutet falso obiecta crimina. Etsi dolco Ecclesiæ causa inflammari dissidia et odia, tamen séγεμ δι παθαι με και ο μακρος χρόνος διδασκαι, ut apud Sophoclem senex ærumnosus inquit. Rursus igitur trahet in partes Polymeni filios. Nec mihi difficile erit tandem abrumpere hæc certamina, & discedere ex his regionibus, & alibi constituere, Deo iuuante, pium consensum, de qua re tibi meum consilium exposam. Ante duos menses scripsit ad me rabiose

Cc § Freder:

Frederus, te & me præcipue lacerans acerbitate orationis nō uulgari. Vsus sum mea Philosophia, in qua non iam sum ruditis tiro, hoc est, tacui. Nunc scire cupio, quid apud uos actum sit, & quæ sint uestra consilia. Oro autem Deum, ut reprimat τὴν ἀτίληψιν, paſſim accendentem discordias, & contristantem τὸ ἄγιον πνεῦμα ἣν τοῖς δοκιμαῖς πλήθεις ἀγωπῶσι. Hanc epistolam dedit uiro docto & erudito in Iure, doctrina Ecclesiæ, & Latina & Græcalingua, nato in Reptnenſi regione, Ertmanno Copernico, qui gubernauit scholam Brandenburgensem annos octo. Postea hic cum coniuge honesta & duabus filiis bus modestissimè uixit, & ius ciuile didicit ac alios docuit. Et cum studia doctrine amet, maledic in Academia uiuere, quam tantum in rixis sorenſibus consumere etatem. Meo igitur consilio ad uos proficiscitur, & petit locum docendi Institutiones Legum in uestra Academia, quem relinquet Ioachimus, qui hactenus apud uos lector fuit. Scio esse hunc Ertmannum uirum honestum, minimeq; factiosum, & opinor posse cum prodesse discentibus, eò etiā, quia & ingenio ualeat, & alijs doctrinis excultus est, que interpretes adiuuant. Valde te oro, ut eum Illustriſ: Principi uestro & D. Cancellario commendes, ut fieri potest, ei tradant eam lectionem. Scio uos ipsius eruditionem, modestiam & diligentiam in omni

omni officio probaturos esse. Bene & feliciter  
uale. Die 25 Martij, quo Filius Dei ante annos  
1522. in cruce uictima factus est, & quo die  
scribitur Adam & Euam creatos esse ante annos  
518. Hodie hinc rursus discedit nuncius, qui  
nostram responsonem ad fert, πρὸς τὴν ἔχοντα  
οὐσία τῷ γόθῳ θεῷ τῷ σκιτίῳ. P. M.

## INSTITVTIO IOHAN<sup>S</sup> NIS FRIDERICI, DVCIS Stetimi, Pomeraniae &c.

**A**sidiue repetenda est cogitatio de praesentia  
Dei in genere humano, & de causis, cur  
Deus imperia & gradus hominum ordinauerit,  
& quales uelit esse gubernatores. Vult Deus in  
tota aeternitate se nobis cōmunicare, id ut fieri  
possit, uult se à nobis recte agnosci, & hoc modo  
tantum, non alter colligit aeternam Ecclesiam,  
uoce uidelicet Euangeliū sui. Hanc uult audiri et  
recte cognosci, & in hac ipsa Filius nos alloqui-  
tur, & mentes ad aeternum Patrem fleclit, & in  
his, qui obediunt, accendit initia uitæ aeternæ, sa-  
plientie & iusticie. Necesse est igitur omnes ho-  
mines discere doctrinam de Deo, & de Filio eius.  
Domino nostro Iesu Christo, patefactam in Ec-  
clesia, & eius studijs gubernatores. & agonothet-  
as esse uult Deus ipso Reges & Principes. Si-  
cht

cut Psalmus inquit: Et nunc Reges intelligite. Item, Ut conueniant Reges & populi in unum, & seruant Domino. Et Psalm:46. inquit, Quando Principes Populorum congregantur cum Deo Abraham, exaltatur Deus ualde. Tribuit Deus societatem sui nominis Principibus, inquiens, Ego dixi, dij estis, non ut sint tantum custodes corporum populi, sed etiam, ut doctrinam de DEO in genere humano propagari carent. Primum igitur ac præcipue discant Principes doctrinam de Deo, & Filio eius Domino nostro Iesu Christo, & ita discant, ut fontes querant, non ut illiterati summam tantum excerptant: sed ut mente complectantur totum doctrinæ corporis, & sciant, quæ præcipue fuerint semper in Ecclesia controuersiæ, quæ certamina, quæ piorum Iudicia: quæ ueræ doctrinæ forma & immota testimonia tradita sint, qui refutati sint errores. Atq; ita se præparet, ut cogitet Principem piū oportere iudicem esse tantarum rerum, quia subinde certamina piorum similia mouentur. Ideo & Deus præcipit Deut:17. ut Rex legat diuinos libros, & eis obtemperet, & sit custos eius doctrinæ, ne ab ullo mutetur, neque corruptelescantur. Et David moriturus seuerissimè filio præcipit, ut Legis diuinæ custos sit.

Legendi sunt igitur libri Prophetici & Apostolici, & cognoscenda est Ecclesiæ Historia,

rid, quantum cognosci potest, discenda & Sym-  
bola, considerande singulorum seculorum con-  
trouersie & iudicia piorum. Et quia Deus vult  
esse ministerium docendi in Ecclesia, ut iuniores  
erudiantur sermone sanctorum librorum, & de  
rerum ordine, sapienter eligenda sunt aliquæ  
interpretationes propiores fontibus, que in ma-  
terijs obscuris adiuuent legentem, & summas  
rerum ordinem monstrarent.

Necessare est igitur recte discere Grammati-  
cen, Dialecticen, & Elementa Rhetorices. Nam  
sine his artibus de genere sermonis, & de diffi-  
cilibus controuersijs nemo iudicare potest. Et ut  
haec artes intelligantur, exercenda est Latina lin-  
gua, & formanda stylo oratio. Hic labore ei &  
necessarius est, quia Principes sc̄pē cum exterar-  
um gentium hominibus arcana colloquia habe-  
re oportet de summis rebus, ubi lingue latine  
usus necessarius est. In conuentu Coloniensi,  
postquam Carolus coronatus erat, Dux Saxoniae  
Fridericus, cuius tunc summa erat autoritas, se-  
p̄ arcanis deliberationibus intererat, ubi Princi-  
pes tantum latine colloquebantur. Aliquoties  
igitur domum reuersus, hortabatur Comites ex  
altos nobiles viros, ut curarent filios doceri lati-  
nam linguam, quia usus eius in grauiſſimis deli-  
berationibus necessarius esset. Multæ etiam di-  
ſputationes Ecclesiastice & olim scriptæ sunt,

O

et scribuntur quotidiè, quare plurimas Princeps scire necesse est. Nec Forenses controværias sine lingua Latina intelligere possunt, quas cum iudicare debeant, linguam scire necesse est. Quare Princeps linguae latine studium non omitet. Velle autem et Græcae eum tantum discere, ut Historias græcas et noui testamenti fontes intelligere posset. Ad hæc omnia necessaria est historiæ cognitio, qua in re primum complecti omnes homines non stolidos oportet seriem omnium temporum mundi, inde usq; à prima rerum creatione, quam recitat Historia tradita Ecclesiæ, usq; ad hanc nostram ætatem, et conferenda sunt huius ætatis certamina ad uetera. Consideranda est etiam series Monarchiarum, et cogitandum de periculis huius ultimæ senectæ mundi, in qua cum crescant confusiones, maiore cura Principes ita foueant Ecclesiæ, ut ad posteros conseruentur, ne tales tenebræ sequantur in his regionibus, quales nunc sunt in magna parte orbis terrarum, in Asia, Africa, et multis Europæ partibus. Distribuant etiam Historias negotiorum ciuilium in Decalogi membra, et in singulis considerent, quæ facta sint imitanda, quæ fugienda, ubi testimonia mandentur diuinæ prouidentiæ, pœna et liberationes, ubi consilia gubernationis proponantur in fugiendis dissimilium secederibus, in uitandis bellis non necessarijs, in ar-

in arcendis seminibus perniciosarum mutationum, in retinenda coniunctione cum ordinatione domino, cum vicinis, & fugienda societate peregrinorum, qui tantum ideo simulant se coniunctionem cum Germanicis Principibus adpetere, quia existimant sibi utile esse Germaniam turbare. Cum in his doctrinis, de quibus dixi, Princeps se mediocreiter exercuerit, ualde prodest discere eum, et initia doctrinæ iurisconsultorū, ut sciat iusticiam certas normas habere, quarum fons est Decalogus, & deinde ex eo doctrina legum extracta est: & eximenda est perniciosa imaginatio, quæ fingit, leges esse potentum arbitria, sine metis diuinis, aut ius esse quidquid placet Principibus, aut iusticie ordinem intelligi à quolibet sine doctrina & sine his fontibus, ex quibus leges oriuntur. Prodest igitur Decalogum sapienter enarrari Principi, & hinc duci legum demonstrationes, & inseri animis hanc ueram sententiam, iusticiam habere metas diuinatus ordinatas, & Deum vindicem esse audacie contemnitatis illas metas. Sicut scriptum est Esaiæ 10. Vnde his, qui condunt leges iniquas, & iniusta decretū, ut opprimant in iudicio pauperem. Ac bona menti ualde utile est et iucundum, intelligere illas iusticie metas, & agnoscere eas esse Dei sapientiam & iusticiam, & considerare presentiam Dei, etiam in politica gubernatione.

Vtile

Vtile erit ad hanc institutionem tradere elementa Ethica. Mane quotidiè legatur caput in Veteri testamento & Psalmus ordinè, & addantur precatio ad Deum & gratiarum actio: nec refert etiamsi non omnia mox intelliget: neceſſe enim seriem Historiæ discere, quæ utcunq; intelligi potest.

Vesperi legatur caput in Nouo testamento, & Psalmus ordinè, & addantur precatio ad Deum, & gratiarum actio.

Vna hora mane biduo in septimana tribuatur enarrationi Epistolarum Ciceronis, aut Tercerij, aut Virgilij, aut Liuij.

Deinde ex ea lectione declinationes et coniugationes aliquæ exerceantur, & querantur Regulæ Syntaxeos.

A meridie corpus exercendum est, & alia quid temporis Musice tribuatur.

Postea pars Gram: aut alia repetantur, & potest addi seu enarratio Officiorum Ciceronis, seu de Amicitia, seu Historicis scripti Salustij, aut Cominæ de Carolo Burgundo, aut Iulij Cæsaris.

Die Mercurij repetatur Catechesis, & totum reliquum tempus Stylo tribuatur: & ad iudicandum de Oratione soluta uelim etiam Principem discere rationem faciendorum Versuum.

Die Iouis et Veneris matutina hora tributur Dialecticæ, hora post meridiem Rhetoricae.

Dies

Dies Saturni tribuatur lectioni Theologie,  
 & enarretur Principi aliqua Pauli Epistola aut  
 Sententiae Salomonis, interdum & Psalmus mi-  
 sceatur.

Dies Festi tribuantur Historijs, sœpè repeatat  
 Chronicon.

Est omnino Sapientia donum Dei, et arden-  
 ti precatione à Deo petendum est: Sicut scri-  
 ptum est: Quantò magis Pater cœlestis dabit  
 Spiritum sanctum potentibus. Et Daniel inquit,  
 Deus dat sapientiam sapientibus. Sed sicut per  
 semina & culturam agrorum tribuit fruges, ita  
 per doctrinam spargit lucem suam, uult doceri et  
 commonefieri homines, & ob hanc causam in-  
 stituit & conseruat ministerium pub: docendi.  
 Ac necesse est gubernatores instructiores esse  
 doctrina, quam sunt alijs in populo. Ideo de or-  
 dine studiorum quædam dixi, longè tenuiora hac  
 amplitudine sapientie, quæ necessaria est, non so-  
 lum gubernatoribus, sed etiam cæteris mediocri-  
 bus hominibus, qui uolunt esse membra Ecclesiæ  
 non ignavia.

Valde prodest etiam, ubi didicerit Princeps  
 Dialecticen, deinde anni metas & causas ostendere,  
 ac monere propter quas utilitates Deus an-  
 nos distingui uoluerit, cur uelit temporū seriem  
 notam esse: Videlicet ut initia mundi sciamus,  
 Item, ut consideremus, quæ sit prima de Deo do-

D d      c trina,

etrina, per quos, quibus testimonij propagata sit. Item, ut sciamus aliquanto post finem sole generationis hominum, & harum calamitatum humanarum, & postea Ecclesiam simul uicturam esse in consuetudine Dei manifesta. Ac ut anni distinctio teneatur discat Zodiaci signa, & Ortus & Occasus insignium siderum & stellarum, Orionis, Pleiadum, Sirij, Arcturi, & aliarum quarundam stellarum. Indicetur & utilitas, quomodo ad uices aestatis & hyemis, et ad migrationem terræ & siccitatem congruant itinera Solis peragrandis Zodiacum. Discat autem & testimonia de Deo esse hanc ipsam opificij mundi pulcritudinem, & ordinem corporum et motuum, & cum omnia ad utilitatem hominum sapienter condita sint, agnoscamus Dei prouidentiam, & eum grati celebremus.

Ad huius doctrinæ initia cognoscenda, enarrari potest Hesiodi liber, & lector non ruidis multa monere potest, de preceptis moralibus, que ibi continentur, & de anni circuitu, & de ortu & occasu stellarum. Ostendantur & Cosmographiae initia, ut mens cogitet terrarum metas, & regionum positus & interualla, Vbi semper fuerit Ecclesia, ubi se Deus & quibus testimonij patefecerit, ubi Filius Dei concionatus est, ediderit testimonia, & Sacrificium obtulerit, ubi fuerint ordinè fastigia Monarchiarum, que diuer-

diuersarum gentium leges, quibus occasionibus & causis Imperia mutata sint, quomodo familiæ Excellentes deletæ sint, cum posteri summorum hominum libidinibus & crudelitate poenas attraxissent, ut Xerxes, Ochus, Antiochi, Ptolemai. Harum maximarum rerum consideratio, digna est bonis mentibus, & utilis moribus. Semper etiam decus fuit, Principem scire aliquid de doctrina Physica et Medica, Ut Achilles dicitur, Herbarum uires & artem Medicam à Chirone didicisse, & Illustriß: Pater tuus uidit auunculum Palatinum Ludouicum optimum Principem manu sua & magna uolumina remediorum scribere, & apparare remedia. Fecit idem auus tuus maternus, Princeps optimus, Iohannes Dux Saxonie Elector.

Præcipue uero necessaria est omnibus hominibus cognitio partium hominis, & distincio potentiarum animæ, quantum in hac caligine adsequi possumus: Necesse est n. considerare scrimen, inter potentiam cognoscētē & adpetentem, & radios diuinæ lucis in humana mente agnoscere, qui adhuc reliqui sunt in hac infirma natura, & sunt præcipuum de Deo testimonium. Deinde necesse est uidere, quæ pars illis noticijs sit contumax, & qua parte tamen frenentur affectus, et quomodo externi gestus regantur, quid

fit externa disciplina, quid uera uirtus, qua est  
diuinus motus in corde.

Deniq; propter multas maximas causas pro-  
dest aspicere artem fabricationis humanæ natu-  
ræ. Ideo uelim usitatum libellum de anima Print-  
cipi enarrari, & monstrari picturas Anatomi-  
cas, aut etiam maiorum membrorum positus, cum  
uident secari ceruos & apros. Hanc puer-  
ilem doctrinam de distinctione potentiarum ant-  
mæ & membrorum in Ecclesia necessariam  
esse manifestum est, et moribus prodest nosse po-  
tentiarum officia, & scire que regi possint, &  
quomodo regantur, & cernere triste dissidium  
uirium humanarum, ut petamus auxilium à  
Filio Dei domino nostro IESU CHRISTO,  
crucifixo pro nobis & resuscitato, ac regnante  
ut colligat æternam Ecclesiam, quem oro, ut ser-  
uet Pomeraniæ Duces, & regat studia & totum  
uite cursum Principis Iohannis Friderici, Pome-  
raniæ Ducis etc. & faciat eum ORÆV<sup>O</sup>  
ELÆØS, & Principem saluta-  
rem Ecclesiæ & patriæ,

Amen. 1554.

Phil: Melanth:

MAR<sup>z</sup>

MARTINO SIDEMAN=  
NO DOCENTI BONAS LITERAS  
in oppido Mansfeldt, Amico suo

S. D.

**E**T consilium et uoluntatem tuam probo, quod teneras mentes Puerorum imbuis elementis coelestis doctrinæ. Nam hic coetus uel præcipua Ecclesiæ Dei pars est. Quare in eo sonare cœlestem doctrinam necesse est: ac Deum æternum Patrem liberatoris nostri Iesu Christi oro, ut hæc agmina discentium seruet & gubernet, & hospitia eis det tranquilla; id est, politias mediocres. De questione tua breuiter tibi respondebo. Rectè, propriè & uerè dicitur, Peccatum originis esse priuationem iusticiæ, quam Deus indidit homini in creatione. sēp̄t̄q̄ hic significat quod usitatè dialecticis significare solet, ut cum dicimus, tenebras esse priuationem lucis, aut confusionem priuationem ordinis. Multa autem complectitur appellatio iusticiæ, illustrem & firmam DEI noticiam, amorem Dei & obedientiam iuxta totam legem. Harum pulcherrimarum rerum amissio non est exiguum malum. Cogita quantum decus, & quantum bonum fuerit, lux illa in mente, firma de Deo noticia, pro qua nunc herent in mente tenebræ, neglectio Dei, dubitationes de prouidentia, denique magna caligo. Et

Dd 3 firma

firma conuersio uoluntatis ad Deum, felicit  
amor Dei, timor uerus, fiducta ardens, quanta  
bona erant? Nunc pro timore inest animis pro-  
phana securitas, nullæ sunt flammæ amoris &  
desiderij ad Deum: cætera ipse mediteris, non e-  
nim uacat integrè hæc tractare. Cum igitur di-  
cimus esse priuationem seu amissionem seu spolia-  
tionem, plane & propriè loquimur, & intelligi-  
mus sēpho ip more Dialecticorū. Nec hoc impe-  
dit, quod illi aīūt, sēpho ip esse formæ, quæ potest  
adesse. At iusticia integra nunc in natura esse nō  
potest. Hæc cauillatio ociosa est: certè creatura  
sic est condita, ut in ea luceret hæc iusticia, &  
adhuc est eius capax & ei restituetur, sed non  
sine diuina ope. Denique sit modus ἀρπίσο-  
λογιῶp. Si non placet dicere priuationem aut  
sēpho ip, dicas amissionem. Paulus eandem priua-  
tionem satis clare describit, cum ait: omnes ca-  
rent gloria Dei, id est, luce diuina glorificante  
Deū. Et nuditas in tertio cap.lib. Genesios mon-  
strabat confusionem partium & deformitatem  
inferioris potentie. Magna res breuibus uerbis  
significatae sunt pijs, & piè hæc meditantibus  
& uolentibus agnoscere humanam imbecillitat-  
em. Illum cauillationem sic dilue: nihil non pu-  
niendum est. Peccatum nihil est. Ergo non pu-  
niendum est: Aliud est nihil negatiuè, aliud est  
nihil priuatuè. Nam nihil priuatuè est in sub-  
iecto

iecto existente corruptio & confusio: ut ruina domus est confusio illius ordinati edificij. Deinde uerum est, post priuationem lucis & iusticie, sequi multos errantes motus & errores, ut auera uoluntas à Deo, ardet amore sui & uoluptatum malarum sine Deo, mens cæca ignara Dei ludit opinionibus de Deo, alius aliud fingit, ut ostendunt έιδωλομανίαι omnium gentium. Ita post priuationem sequuntur positiva, ut uulgo loquuntur, & tamen deformitas uel ἀταξία in illo ipso positivo, etiam est σέρπος. Quantum ego uidere possum, hæc perspicue & dextrè dicuntur & nihil habent absurditatis, et sunt germana sententia doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ. Fortassis naturæ cauillatrices multa inueniunt, que argutè obijcere possunt: Sed explicari à peritis cauillationes ille facile possunt. Nam uera sunt firma, ut Demosthenis ait, ἵος υρόπτ̄ & λυθὲς. Viti iudicium mihi non est ignotum, Sed facit iniuste, quod in deliberatione tanta de rebus diuinis adhibet in consilium suam malevolentiam, quæ impedit iudicium, nec acquiescit rebus ueris mediocriter explicatis, sed querit cauillationes sine fine. Fortassis ubi aliam sedem nactus erit, publicis scriptis bellum uobis infaret, quod geret non felicius, quam Eccius aut si miles gesserunt. Spero tibi satisfacturam esse nostram explicationem, sed tamen uelim te mihi

Dd 4 scribere

scribere an tibi sit satis factum. Mediocrem hec attentionem & candorem in iudicando, & dexteritatem requirunt. Imò considerationem nostræ misericordie. Pro tua erga me benevolentia & pro munere habeo tibi gratiam. Bene uale Prid: Calend: Septemb. 1543. Domino Martino Contarino meo carissimo, seni pio & docto, omnia fausta opto.

P. M.

## MARTINO SIDE MANNO.

**M**agnum omnino decus est hic orator in Ecclesia; qui recte, distincte, iusto ordine perspicue doctrinam cœlestem explicat: nec aliud opus in terra maius est. Nam hæc hominum natura, ad hunc summum atque extremum finem condita est, ut Deum celebret. Nec uero putas illum Oratorem subito nasci. Statim ab adolescentia inchoanda sunt exercitia. Dicit in populo, paulatimque animaduertet, quid maximè in dicendo & profit & deceat: audiet alios, conferet suum consilium suamq; formam ad aliorum formas: magna enim sunt discrimina. Primum indocti nec docere explicatè possunt, nec adhibere motus conuenientes, & peccant multis in rebus, dicunt interdum parum utilia, colligunt conuicia ex sermonibus conuiutorum. Deinde alij sunt doctio-

doctiores, uera dicentes, sed nimis uerboſe, ac ſi-  
ne neruis, nihil interpretantur, nihil citant inſi-  
gnium dictorum, quæ prudentium auditorum  
animos uehementer excitare ſolent: nihil recitat  
exemplorum. Deniq; non multum ab indoctis hi  
distant, niſi quod uincunt copia, et quod minus  
ſordida κοινὴ γένοις dicunt. Ac multi iam  
ſunt, qui huic uni rei ſtudent, ut hac luxuria  
orationis auditores teneant. Nominatim aliquos  
referre poſſem, ſed id coram rectius fiet. Nam  
tui monendi cauſa hæc ſcribo, non ut cuiq; inu-  
ram notam. Tertio loco ſunt, qui hoc consili-  
um domo adferunt, ut res utiles ac neceſſarias  
dicant, et has arte lectis, proprijs et signifi-  
cibus uerbis diſtinctè exponant. Distribuunt  
materias, proponunt, admonent auditorem, quid  
ex quolibet loco utilitatis excerptendum fit, infe-  
runt inſignes ſententias, quæ feriunt animos,  
addunt exempla, concludunt ita, ut populus ſci-  
at, quid meminiffe debeat, quod ſecum domum  
auferat. Addunt et motus, excitant timorem  
commemoratione horribilium minarum, accen-  
dunt fiduciam, propositis ſententijs aut Histo-  
rijs de fide. Diſertè alias de Lege, alias de Eu-  
angelio dicunt, et prudenter retinent diſcri-  
men, alias ſunt ut in ſchola ἀγρυπταὶ ſeu inter-  
pretes, alias inflammatores animi motuum, et  
hæc non tantum quadam redundantia sermonis,

D d 5 ſed

sed potius proprio & graui sermone efficiuntur. Talē memini me olim audire Lutherū. Ut autem ad formam Ecclesiae utilem te assuefas, profecto prodest statim incipere. Multa enim tuis erratis monitus disces. Ego quoties iam easdem materias retexui (quos enim habemus scriptores, quos imitari poteram) paulatim animaduerti, quo genere uerborum, quo ordine has res dici prodesset. Prima scripta huius ætatis multa referunt Augustini. Posteriora sunt dexteriora & simpliciora. Cum igitur seruire Ecclesiae constitueris, meum est consilium, tibiq; sum hortator, ut concionando exercere te quam primum incipias. Neq; ideo depones hæc communia studia literarum & Philosophie. Hæc cultura multum utilitatis adfert. Nam eruditi magis intelligunt, quid deceat & profit. Disponere facilius materias possunt, Deligunt uerba iudicio grauiori. Deniq; ut à pictoris arte sculptor adiuuatur: Sic ille interpres seu Orator in Ecclesia adiuuatur à doctrina Philosophica & elegantia literarum. Nec putas hæc studia coniungi non posse. Imò collatio plurimum lucis utriq; adfert, & utrumq; collatione fit dulcius. An tu non putas prodesse historicæ Græcae & Latine cognitionem in Ecclesia, non Philosophorum & sapientissimorum hominum sententijs rāe uox & illustrari? Sed tibi de hac coniunctione doctris

doctrinarum meum consilium notum est. Effudi  
hanc Epistolam subito, cum quidem aduersa  
ualetudine conflictarer. Nam contentione uocis  
in hac assiduitate scholastica insigniter me laedi  
sentio, præsertim postquam uires corporis iam  
antea curis & laboribus fractæ sunt. Sed hoc  
uitæ curriculum, quid est nisi transitus ad me=  
liorem uitam per has ærumnas, in quibus demus  
operam, ut aliqua ex parte nostri labores serui=   
ant Ecclesiæ, & illustrent doctrinam de Deo, &  
de bonis rebus. Tales impendent rerum mutatio=   
nes, quibus Principum stultæ cupiditates occa=   
sionem præbent, ut discedere ex his tumultibus  
libeat. Sed si contingenteret uita longior, libellos  
Iuuentutis causa scriptos ederem aliquantò ma=   
gis expolitos. Etsi occupationibus illiteratis  
hec consilia etiam multum impediuntur. Sed  
Deum æternum Patrem domini nostri Iesu Chri=   
sti oro, ut Ecclesiam suam conseruet, regat, &  
me quoq; gubernet. Salutem opto meo conterræ  
neo Domino Martino, et Domino Philip=   
po, & ceteris amicis. Bene uale.

Die 9. Nouemb:

Phil: Melanth:

PASTORIBVS DOCEN-  
TIBVS INCORRUPTAM EVAN-  
gelij doctrinam in finibus Bohemiæ,  
& Lusatia, S. D.

**V**Trumq; prædixit uox diuina, In hac lant-  
guida & delira mundi senecta, & confu-  
siones generis humani maiores fore, quam suca-  
runt antea: Et tamen filium Dei inter imperio-  
rum ruinas, donec mortuos in uitam reuocabit,  
collecturum esse æternam Ecclesiam uoce Euau-  
geliij, & non aliter. Hæc ideo prædicta sunt, &  
ut præparemus animos ad ferendas communes  
ærumnas, & non abiijciamus doctrinæ propaga-  
tionem, cum hic labor non sit irritus. Intellexi-  
mus autem magno cum dolore, odio puræ doctri-  
næ, Pastores istic ex Ecclesijs ejici, & uagari iam  
in exilijs uiros honestos, & innocentes, & pias  
coniuges eorum, & paruos greges puerorum.  
Hac in re & uestra causa, & propter orbizatem  
Ecclesiarum uestrarum ualde dolemus, Et filium  
Dei, qui dixit, non relinquam uos orphantos, pre-  
canur, ut hec mala leniat, & uobis omnib. opem  
ferat. Cum aut̄ fontes consolationum uobis notos  
esse sciamus, brenius nūc ad uos scribimus, ac tan-  
tum uos hortamur, ut donec alloqui Ecclesijs ue-  
stras potestis, eas confirmetis, ne propter uestram  
calamitatem de fide dubitent. Nihil efficacius  
erigit

erigit animos, quam ipsius doctrinæ intellectus.  
Fiat igitur illustris antithesis utriusque generis  
dogmatum. Papæ factio defendit multa idola ma-  
nifesta, invocationem mortuorum, & multas  
monstrosas superstitiones, quæ inde oriuntur.  
Impiè transfert Cœnam Domini ad questum, &  
horribili spectaculo in circumgestatione panem  
adorat, cum extra institutum nihil habeat ra-  
tionem Sacramenti. Tollit uocem Euangeliū de  
uera poenitentia, fingit stultas satisfactiones, &  
excruciat pias mentes carnificina enumeratio-  
nis, delet consolationem, quæ proponitur in ag-  
nitione Filij Dei domini nostri Iesu Christi, de-  
niq; multos commentitios cultus propugnat. De  
tantis rebus cum dissensio sit, non existimet po-  
pulus nos certamina non necessaria mouere. Sæ-  
pè igitur repetatur summa doctrinæ, & propo-  
nantur seuerissima dicta, Fugite idola. Item, Si  
quis aliud Euangelium docet, Anathema sit.  
Item, Si quis dixerit blasphemiam aduersus Spir-  
itum sanctum, non remittetur ei. Hæc fulmina  
nihil mouent hostes Euangeliū, quorum multi  
scientes oppugnant ueritatem. Interea blandi-  
untur sibi, & prætextus fingunt, astutè dissimu-  
lant se hoc agere, ut stabiliant idola, dicunt se or-  
dinem in Ecclesia tueri, non posse Cœnam Do-  
mini administrare tales, qui non sint initiati ab  
his, qui titulum habent Episcoporum. Item qui  
sunt

sunt mariti. Et si hi prætextus per se sunt iniusti, tamen hoc iniustius est, quod hac ementita spe cie struunt malum maius, scilicet, oppressionem uerae doctrinæ, & ueræ invocationis. De his infidilijs populus monendus est. Sed de ipsis prætextibus dicamus. Manifesta tyrannis est, quod non lunt maritos administrare Cœnam Domini, cum certissimum sit, in ueteri Ecclesia maritos eorum munere functos esse, & adeò perspicue in multis scriptis defensum est coniugium Sacerdotum, ut hic non sit opus longa disputatione. Et cum Paulus dicat, prohibitionem coniugij oriri à Diabolis, uos alienos esse à Diaboliceis consilijs letamini, & non dubitate Deum defensorem fore coniugij uestri contra Diabolos.

Alterum prætextum de ordinatione petenda ab Episcopis manifestè refutat Paulus, inquisiens, Si quis aliud Euangeliū docet, anathema sit. Non igitur peti ordinationis ritus ab iis potest, qui quanquam Episcoporum titulo, & ordinariæ successionis, ut uocant, prærogativa dominantur, tamen palam sunt hostes Euangeliū, & Idola defendunt. Tantum cœtus ueram doctrinam sonans Ecclesia est, & in hac ministerium est Euangeliū, ut ad Ephesios scriptum est, In hac uerè sunt claves regni cœlorum, quas sic nominat Filius Dei. Quare & in eo ipso cœtu ius est uocandi, & ordinandi ministros Euangeliū,

quia

quia hostes Euangeliū uitare necesse est tanquam anathemata. Demide etiamsi peteremus ab ipsis ritum ordinationis, non tribuerent, nisi obligarent nos ad abiiciendam ueram doctrinam, & alia impia vincula nobis iniicerent. Nec ideo Ecclesiae uerae sine pastoribus, sine clauibus, sine uoce Euangeliū, sine remissione peccatorum esse debent, quia tyrannis Episcoporum idoneos ministros pellit, aut præficere recusat. Nec turbamus ordinem, eō quod à tyrannis, qui sunt extra Ecclesiam, non petimus ministros Euangeliū. Nam ordinis confusio esset à lupis pastores petere. Semper hoc ius Ecclesiae uerae fuit, uocare, & eligere ex suo cœtu idoneos Euangeliū ministros, ut expressè scribit Synodus Nicena. Et electos iudicio Ecclesiae approbabant, & confirmabant, non Ethnici tyranni, sed illi qui præerant in orthodoxis Ecclesijs. Hic mos uetus & pius cum apud nos seruetur, falsissimum crimen est, quod dicunt à nobis turbari ordinem. Cum igitur & ad uestram consolationem, & ad confirmandos auditores uestrros profit considerare, quas ob causas in uos saeuitia exerceatur, & quibus prætextib. id fiat, uniuersum doctrinæ corpus, et uobis, et populo sèpè proponite. Vos ipsi ærumnas maiore animorū tranquillitate perserretis, cù cogitatibus in uos iniusta saeuitiam exerceri, nō propter priuatas causas, sed quia doctrinam ueram

&amp; ne-

& necessariam de Deo, piè uocati ab Ecclesijs docuistis, & quæri falsos prætextus ad eam op= primendam. Multos etiam in populo confides= ratio harum causarum mouebit, & confirmabit, et ut doctrinam constanter amplectantur, et Ecclesijs fouere & tueri studeant. Hæc ad uos breuiter scripsimus, ut, adjici nos, & uestro, et Ecclesiarum uestiarum dolore, intelligeretis, Et oramus Filium Dei, ut cum sit λόγος æterni Patris, seruet in multis regionibus Euangelij mi= nisterium, & nos, & uos doceat, gubernet, & protegat. Vbi etiam hospitalibus officijs lenire uobis exilio ærumnas poterimus, non defutare sunt uobis hæ uicinarum regionum Ecclesiæ. Bene ualete. Dresdæ, Idibus Februarij. 1555.

## DE ELEVATIONE EPI= STOLA SCRIPTA AD PA= storem Ecclesiæ in Marchia.

**V**enerande uir, & amice carissime, scis scri= ptum esse, Fundamentum aliud ponere nea= mo potest, præter id quod positum est, IE S V S C H R I S T V S. Hanc primum fundamenti do= strinam scis initio proponendam esse, & assidue= repetendam, que quidem tantam sapientiam com= plectitur, ut in hac uita tantum exordia disci= possint, postea in æternitate consideratio erit il= lustrior,

lusrior. Interea nostram caliginem agnoscamus  
 & deploremus. Nec dubitò te in fundamenti  
 declaratione assiduum esse. Quales autem ritus  
 sint Ecclesiarum uestrarum, non satis scio, sed si  
 congruunt cum Misnicis aut Marchicis, si quid  
 mutaturus essemus, deliberare te optarim, cum ijs,  
 quibus inspectio uestrarum Ecclesiarum com-  
 mendata est, præsertim cum recens istuc uene-  
 ris. Multorum in nos oculi intenti sunt, & mul-  
 ti patulas aures habent, quæ audie calumnias ac-  
 cipiunt. Ego mihi nihil sumo iuris in aliena gu-  
 bernatione, & scis me alioqui satis oneratum  
 esse. Sed postquam fecisti in illo ritu leuandi  
 Sacramenti mutationem, rectius erit, te non re-  
 stituere morem abolitum. Lutherus hic suo iu-  
 dicio aboleuit, nec retulit rem ad deliberationem  
 communem. Postea uero cum audiret se repre-  
 bendi a uicinis, & spargi uarias calumnias, dixit,  
 se duabus causis motum esse. PRIOR erat,  
 quia cum opinionem de oblatione Papistica ne-  
 cessariò damnaret, ritum etiam se tollere dice-  
 bat, qui stabiliret oblationem. Magnam & ar-  
 canam esse oblationem Filij Dei, quæ ab ipso  
 solo facta esset ingrediente in Sanctum Sancto-  
 rum, & cernente, ac sustinente ingentem iram  
 æterni Patris. Hæc oblatio non fit per alios.  
 Græci duos Canones Liturgie habent, in quibus  
 cum alia sint dissimilia, tum hoc quoq; quod alter

Ee non

non loquitur de oblatione, alter quasi correctionem addit, σὺ Εἰς ὁ προσφέρω, οὐχὶ ὁ προσφέρόμενό. ALTERA Lutheri ratio erat, quod nollebat confirmare circumgestationem, in qua fit adoratio extra usum Sacramenti. Certissimum autem est, ritum extra usum institutum non habere rationem Sacramenti. De his rationibus potes cogitare. Sed te ualde oro, ne finas hanc rem in certamen deduci, sed potius discedas. Si autem te tolerabunt, omissa mentione huius ritus, doceto populum de uero fundamento, & de uera adoratione, quarum maximū rerum cogitatione singuli nos ipsos quotidiè exercemus. Quod autem Filius Dei orat æternum Patrem, ut unum simus in ipso, idem nunc quoq; petit, & nos ad huius Summi Sacerdotis precationem nostros gemitus, & uota adiungamus, sit etiam in nobis concordia studium. Ego me ab Ecclesijs harum regiorum, quarum extat Confessio exhibita Carolo Imperatori in Comitijs Augustanis, anni 1530. disiunxi nunquam, nec disiungam. Bene uale. 1553.

IOHANNI PFEFFERKORN M<sup>I</sup>LITI.

**I**N omnibus humanis actionibus sit prima deli-  
beratio, an hoc quod agimus, Deo placeat, quia  
scriptum est, In præceptis meis ambulate. Item,  
Omne quod non est ex fide, peccatum est. Dein-  
de cum scimus Deo opus placere, seruiamus Deo  
iuxta uocationem, & cum inuocemus, & petam-  
us, ut ipse nos gubernet, & det salutares euens-  
tus, iuxta dictum Psalmi: Commenda Deo uiam  
tuam, & sfera in eum, & ipse faciet, Hæc regu-  
la uitæ & actionum semper omnibus nota sit.  
Quod autem militia in causis iustis sit opus suo  
genere bonum, firmissima testimonia multa à Deo  
tradita sunt. Approbat Deus politicum ordi-  
nem, Magistratus, Imperia, iudicia, legitimam ex-  
ecutionem & defensionem, Rom. 13. Hæc execu-  
tio & defensio est militia. Et Rom. 13. expresse  
dicitur, Magistratus est Minister Dei, tibi ad bo-  
num, sin autem male facies &c. Non enim fru-  
stra gladium gerit, Dei enim minister est, uindex  
ad iram maleficiæ. Et miles est manus iusti Ma-  
gistratus. Postquam conscientia rectè erudita  
est, & scit militiam Deo placere, cogitet miles,  
se debere esse non solum sui magistratus, sed eti-  
am Dei ministrum, Rectè agnoscat Deum, et me-  
diatorem dominum nostrum Iesum Christum, &  
rectè inuocet eum fide & fiducia Mediatoris,  
& obediat Deo, iuxta decem Præcepta, rectè in-  
tellecta, seruiat in sua uocatione fideliter, prote-

gat suos, non lœdat innocentes, fœminas, impubes  
res, sit castus uel maritus castus, non rapiat res  
eorum, quos defendere debet. Talis miles fuit  
Deo placens Cornelius, Centurio, de quo dicitur  
Act. 10. Et tales milites Deo placere & esse ha-  
redes uitæ & eternæ certum est. Memento dicit:  
Milita bonam militiam, habens fidem & bonam  
conscientiam.

## PRECATIO.

Omnipotens, æterne, uiue & uere Deus,  
æterne & unice Pater Domini nostri Iesu Christi,  
conditor cœli & terræ, & hominum, uni-  
cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, &  
Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, caste, ui-  
dex, uerax & liberrimè, Qui dixisti: Viuo ego,  
nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur &  
uiuat. Confiteor tibi me miserum peccatorem es-  
se, & dolco quod te offendit. Oro autem, misere-  
re mei, & remitte mihi omnia peccata, & iusti-  
fica me per & propter Iesum Christum Filium  
tuum, crucifixum pro nobis & resuscitatum,  
quem uoluisti pro nobis esse uictimam & Mea-  
diatorem, & sanctifica me Spiritu tuo sancto, ui-  
uo, casto & ueraci rege & protege me. Rege  
& serua tuam Ecclesiam, & politias, quæ sunt  
hospitia tuæ Ecclesiæ, Rege Principes, nostros &

¶ Consiliarios eorum, da pia & salutaria regimina, & piam & salutarem pacem. Ale Ecclesiam tuam, & fac me organum salutare, & uas misericordiae, & non sim uas irae. Oro te omnipotens & uere Deus, exaudi me propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Item: Petite & accipietis.

## AD MEDIATOREM.

Omnipotens Fili Dei, domine Iesu Christe, crucifice pro nobis & resuscitate, Imago aeterni Patris, Emanuel dilectissime, quem invocarunt patres nostri, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David, Baptista, Paulus, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, Miserere mei, & intercede pro me apud aeternum Patrem tuum, & sanctifica & rege me Spiritu sancto tuo, & protege me, sicut dixisti: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Rege & serua Ecclesiam tuam, & politias, quae sunt hospitia Ecclesiae tuae, da pia & salutaria regimina, Amen.

HONESTISSIMIS  
VIRIS, PRUDENTIA, ET VIR-  
tute præstantibus, Senatoribus Incly-  
te urbis Eperiensis, amicis  
suis colendis.

**H**onestissimi uiri, utrumq; prædixit vox di-  
uinæ illustribus & non fallentibus testimonijs, In hac languida & delira mundi senecta,  
& futuras esse maiores generis humani confu-  
siones, quam fuerunt antea, & tamen Filium  
Dei etiā inter Imperiorū ruinas æternam Eccle-  
siam uoce Euangelij, & non aliter collecturum  
esse, donec mortuos in uitam reuocabit, qui qui-  
dem & aliqua Ecclesiæ hospitia seruabit. Hanc  
uos consolationem in dilaceratione regni Pan-  
nonici tenere necesse est. Est autem dulcior  
haec consolatio, ubi non impeditur inuocatio  
Dei, dissensionibus dogmatum. Quare ualde  
dolemus, istic accendi dissidia opinionum, & Fi-  
lium Dei oramus, ut mentes omnium ad uerita-  
tem & concordiam flectat. Misimus etiam di-  
judicationem ueram & perspicuam, de qua grad-  
tum nobis erit etiam aliarum Ecclesiarum iudi-  
cia audire.

Dileximus Matthiam Lauterwaldt, ut ipse,  
& multi graues uiri testari possunt, Nec consi-  
lium

lum uestrum de eo uocando probassemus, si ex-  
istimassemus eum à nobis dissentire. Hoc scieba-  
mus, naturam amantem esse argutiarum, & pu-  
gnacem. Quare sèpè monuimus, ne res rectè  
traditas, inani subtilitate obscuraret. Postea istic  
magis cœpit indulgere ingenio, & Propositio-  
nes edidit, in quibus palam oppugnat consensum  
Ecclesiarum nostrarum. Eramus igitur admo-  
nitionem ad uos missuri, etiam si non petita esset  
dijudicatio. Est autem laudanda pietas uestra,  
quòd ipsi iudicia aliorum audire decreuistis.  
Vosq; hortamur, ut citò extinguat is initia di-  
sij. Potestis & uicinæ Ecclesiæ Coronensis sen-  
tentiam audire. Ac si Matthias non adsentie-  
tur piorum iudicijs, erit pietatis, & grauitatis  
uestræ remouere eum à ministerio Euangelijs.  
Hæc non sine dolore scribimus, sed necesse est  
nos omnes & ueritati, & piæ concordiae  
Ecclesiarum consulere. Bene ua-  
lete, Die Octobris tertio,  
Anno 1554.

Ec 4 RESPONA

**R E S P O N S I O E C C L E-**  
**S I Z E** ET ACADEMIAE VVITE=

bergensis, de controuersia Mat=

thie Lauterwaldt.

**I**ta iudicamus de controuersia Eperienſi, ut  
 non defugiamus iudicia omnium piorum in o=  
 mnibus Ecclesijs instauratis in tota Germania,  
 Pannonia, & Dania, ac speramus Matthiam ita  
 memorem esse nostræ benevolentiae erga ipsum,  
 ut ne ipse quidem queri posſit, odio nos moueri  
 in hac dijudicatione. Si dicet nos nimium amare  
 nostra scripta, aut hebetiores esse, quam ut subtis=  
 litates suas intelligamus, permittimus hanc no=

stram responsionem etiam aliarum Ecclesiarum  
 iudicijs, ut antea diximus. certè uult Deus esse  
 aliqua Ecclesiæ iudicia, & seruat aliquos doctrinæ  
 testes. Primum autem precamur Filium  
 Dei, dominum nostrum Iesum Christum, qui in  
 agone utrumq; petiuit, & ut sanctificet eter=

nus aeternus Pater Ecclesiam ueritate sua, & ut  
 faciat, ut unum simus in ipso, ut & nostra iudi=

cia regat, & flectat nostra pectora, & Matthi=

am ad piam concordiam. Ac scit Matthias sepe  
 nos ualde orasse ipsum, ut se ad consensum Eccle=

siarum in Pannonia adiungeret, sed natura est

nimis amans argutiarum, & plus periculi est in=

dicantibus, quando homines arguti sine fine que=

runt

sunt disputationum præstigias. Sed simplici  
 & candido animo, & piè respondemus, Proba-  
 re nos sententiam Bartphensis Ecclesiæ, quæ re-  
 tinet natuum intellectum propositionis, SOLA  
 FIDE IVSTIFICATAMVR, sicut to-  
 ta Prophetica & Apostolica scriptura affirmat,  
 Sola misericordia propter Mediatorem recipi,  
 reconciliari, & iuificari spiritu sancto uere  
 credentes, id est, fiducia filij Dei sece consolantes,  
 sicut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habe-  
 mus. Etsi autem hec fides seu fiducia non est in  
 his, qui securi perseverant in sceleribus, & sunt  
 sine contritione, tamen contritio, & noua obedi-  
 entia non sunt res applicantes promissionem  
 gratiæ, ut dicit Matthias Lauterwaldt, & satis  
 respondet Cadashimus, contritionem esse quid-  
 dam antecedens necessariò. Cumq; interrogat  
 Matthias, utrum antecedat ut causa, an ut mediū,  
 Respondemus, nequaquam antecedere contritio-  
 nem, ut causam remissionis, seu meritum, nec ut  
 medium adplicans promissionem, sed sicut uul-  
 nus, aut uulteris sensus antecedit curationem.  
 Totum genus humanum reum est horrendæ iræ  
 Dei, Et sensu diuini iudicij per ministerium uo-  
 cis diuinæ arguens peccata, & per poenas, &  
 alias aliter commonefit. In his terroribus multi  
 pereunt irascentes Deo, aut Epicureo contem-  
 tu magis ruentes contra Deum. Alij non repu-

Ec 5 gnantes

gnantes Deo, sed quærentes consolationem in  
uoce Euangeli⁹ accipiunt remissionem peccato-  
rum, reconciliationem, ac iustificationem, & uis-  
uificationem per Spiritum sanctum, ac sit ap-  
prehensio promissionis, & applicatio sola fide,  
id est, fiducia Mediatoris, non propter contri-  
tionem, neq; propter sequentes uirtutes, sed ni-  
titur fides solo Mediatore, seu misericordia pro-  
pter mediatorem promissa, & acquiescit cor,  
quia scit promissionem ratam esse propter Me-  
diatorem. Hanc esse doctrinam simplicem &  
incorruptam, traditam in Propheticis & Apo-  
stolicis scriptis manifestum est, ut in Psalmo di-  
citur : Saluum me fac propter misericordiam  
tuam. Et Daniel inquit : Non in iusticia nostra,  
sed in misericordia tua, propter Dominum exau-  
di nos. Et Paulus inquit : Ideo ex fide gratis, ut  
sit firma promissio. Hæc ut intelligantur, non  
ociosas speculationes, sed ueros pauores, & ue-  
ram consolationem in conuersione, & quotidiana  
inuocatione consideremus. Docemus non  
inanis λεπτολογίας, sed uocem diuinam, & res  
in uita maximè necessarias, & que à pijs intelli-  
gi possunt. Dicimus uoce diuina argui pecca-  
tum, & omnes homines debere expauescere  
agnitione iræ Dei, & expauescentes fide ad me-  
diatorem configere. Eaq; fide gratis, non pro-  
pter antecedentia, aut sequentia opera accipi re-  
misio⁹

missionē peccatorū, reconciliationē & iustificationē, ac utuificari credentes per ipsum filium Dei dicentem consolationem in corde, & liberantem eorū ex doloribus inferorum, dato Spiritu sancto, atq; ita inchoari nouam obedientiam. Hæc sic fieri in uera conuersione omnes pijs experuntur, Nunquam dicet David se habere remissionem peccatorum propter sua bona opera in presenti facta partialiter, uel totaliter. Removcamus has corruptelas, nec sinamus ueram consolationem pijs mentibus eripi. In ueris doloribus experimur, nullam esse firmam consolationem, nisi hanc, de qua Paulus inquit, Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Quia igitur Matthias Lauterwaldt damnat doctrinam Ecclesiæ nostræ, et contendit non sola fide, sed contritione, & alijs operibus fieri adplicationem remissionis peccatorum, & iustificationis, Iudicamus cum docere corruptelas uerae doctrinæ. Nec re ipsa differt hæc corruptela à Synecdoche Monachorum, qui dicunt, Fide iustificamur, quia inchoat dilectionem & alia bona opera. Verbum seu promissio sola fide apprehenditur. Nam hac re differunt fides & cætera opera, quod fides apprehendit promissionem, & accipit non ut meritum. Cætera uero opera Deo aliquid offerunt. Nec ad applicatio per opera intelligi alia potest, nisi ratione meriti.

Nomen

Nomen igitur meriti abiecit Matthias, rem retinet, & sibi blanditur ociosis speculationibus. Quod autem clamat, toti pœnitentiae promitti gratiam, id si ita intelligit, ut non seruet distinctionem partium, & suam cuiusq; proprietatem, non recipimus ipsius dictum. Contritioni prominitur, ut uulncri curatio. Deinde fide fit applicatio remedij, & nullo modo potest dici, quod propter sequentia opera detur remissio. Etiam cum sic breuiter dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, tamen partibus sue proprietates tribuenda sunt. Veterem cantilenam, inquiet, repetitis. uerum est nos eandem sententiam repetere, quia hec unica sententia in hac questione uera est, & existimamus totam causam alibi sœpè & perspicue declarata esse, non à nobis tantum, sed etiam ab alijs, qui hoc ipso quadriennio refutarunt Interim, & Osiandrum.

Cognouimus autem ex eius disputatione, planè dissentire eum à toto genere doctrine. Fidem intelligit de noticia historiæ, & legis. Deinde addit, Fidem posse esse sine dilectione. Dicit, falso nos docere has Propositiones æquipollentes esse, Sola gratia iustificamur, & Sola fide iustificamur. Aliud igitur intelligit gratiam, quam nos.

Cum igitur iudicemus Matthiam Lauter<sup>waldt</sup>

waldt corruptelas uerae doctrinæ in sua disputa-  
tione proponere, hac nostra commonefactione  
hortamur eum, ne se à consensu piè docentium  
in Ecclesijs Germanicis & Pannonicis disjun-  
gat, ac si hoc nostro iudicio non est contentus,  
placet nobis ipsius disputationem, & alia scri-  
pta, & hanc nostram resppnsonem ad plures  
mitti Ecclesijs instauratas. Nihil in hac tota re  
fit à nobis priuato affectu ullo. Scit ipse Mat-  
thias, fuisse nobis dulcem cum eo amicitiam,  
quām nunc distrahi dolcimus, sed magis dolemus  
Ecclesijs turbari ipsius & I.lovean'io.

Audimus etiam cum contumelioso loqui de  
Propositione usitata, Sola fide iustificamur, &  
nuncupari eam ab ipso cloacam Antichristi. Ex-  
tant nostræ declarationes, ideo nunc breuius re-  
spondemus, sed si nec nostro iudicio, nec aliarum  
Ecclesiarum sententijs flecti uolet ad communem  
consensum, hortamur Senatum Eperiensem, ut  
eum à ministerio Euangelico remoueat.

VIRO OPTIMO D. GE-  
ORGIO SPALATINO,  
amico suo carissimo.

**Q**uod inspiciendum mihi dedisti Histori-  
cum Mersburgensem, gratiam tibi habeo.  
Nam humanitate tua delector. Historicus ipse  
minus

minus me delectauit, miror homines aulicos ne  
uidisse quidem, quæ res essent mandandæ litteris.  
Nugas ceremoniarum recenset, res grauiores  
prætermittit. Eram tibi codicem nuper h̄ic redi-  
turus, ac mane iusseram ut tibi portaretur. Sed  
tu iam abieras. Expectabimus ergo tuum redi-  
tum. Hic Vitus sic satis intelligit doctrinam  
Christianam & facundus est: Poterit etiam usū  
proficere. Quare optarim ei aliquam maiorem  
& fructuosiorem Ecclesiam commendari. Scio  
desiderari Diaconum in oppido uicino Friburz-  
gæ, Aldenburg, & opinor alijs locis pluribus in  
uicinia Dresdæ, ei posse consuli: sed si in uestra  
uicinia ei locus esse potest, quæso ut cius ratio-  
nem habeas. Videtur mihi idoneus esse, quia &  
doctrina & facundia instructus est. Posset ho-  
nestè tueri locum in oppido aliquo. Bene uale.

2. Decemb: 1539.

GEORGIO SPA<sup>A</sup>  
LATINO, S. D.

DE libris scribam cum à compactoribus non  
bis exhibiti erunt, & curabo rem ita, non  
ut tuam diligentiam assequar, quæ est incompara-  
rabilis, sed ut in contractibus bone fidei requi-  
ritur, ne quid dolo fiat, aut affectata negligentia.  
Noni

Noni nihil habebam, præter fabulas, de his, qui supplicio affecti sunt à Cæsare, quod dicuntur cum Venetis prodituri fuisse. Puto tibi omnia nota esse. De loco Pauli, Sermo sapientie, est spiritualis doctrina, de noticia DEI, de fide ac spe, qualia sunt que Lutherus tractat plerumq; Huic enim propriè datus est sermo sapientie. Sermo scientie est gradus inferioris, de usu rerum exteriorum, de politicis rebus, propemodum ut Philosophi prudentiam appellant, dijudicationem τὸν πραγμάτων, agendorum, ut vocant, ut cum docet Lutherus de varijs Vitæ generibus, de Magistratibus, de cauendis technis fanaticorum spirituum &c. Genera linguarum significant noticiam multarum linguarum. ἐπιλογία γλωσσῶν, significat eloquentiam ueram, qualis est Pontani aut Lutheri. Librum recens à te missum perlegi totum, neq; quidquam inueni, quod ad hæc tempora propriè pertineat. Habet imagines quasdam nascentis Ecclesie, & quòd gentium Ecclesia iterum dispendia fuerit, siue per hereticos, siue per alias pestes. Hæc est summa operis.

Puerile scriptum est & inane. Bene uale.

GEORGIO SPA<sup>E</sup>  
LATINO, S. D.

Multa

**M**ulta Dircaeum leuat aura Cygnum, inquit Horatius de Pindari carmine. Habet enim amplificationes & interspersas sententias iucundissimas. Dicatum de quo interrogas, est in penultima Oda in Pythijs, ubi de Clytemnestra adulterio loquitur: Versiculi hi sunt.

Τὸ δὴ νέας ἀλόχοις  
ἔχθισορ ἀμπλάκιορ  
ναλύται περιμήχανορ  
ἀλλοτρίουσι γλώσσαις,  
νανολόγοι δὲ πολίται.

*Id est:*

*Inuenculis nuptis  
Turpisimum crimen  
Et quod celari nequit  
Alienas linguas,  
Maledici autem sunt ciues. Id est, Populus  
Ius delectatur fabellis, quæ aliorum famā ledunt.*

*Affinem sententiam continet in Nemeis de  
talibus fabellis,*

Ὥφορ λόγοι φθονορροῖσιν,  
ωπτονται εστλῶρ δει,  
χερόνεοι δὲ οὐκ ερίζει.

*Obsonium sunt fabellæ inuidis,  
Attingunt autem bonos semper,  
Cum malis autem non certant.*

*Vide*

Vide quām sit lepida figura, quod dicit, inuidis pro cibo ac pro obsonio esse tales fabulas, quibus detrahunt de aliorum existimatione. Mihi crede, nihil dulcius est Lyricis illis uersiculis Pindari. Et quanquam non sum in scribendo carmine felix, tamen si mihi plus esset ocij, interdum Odas aliquas uerterem, uel oblectandorum amicorum causa. Nequaquam enim putas esse horridum, ut est Horatius. Sed desino. Plinij editionem Basiliensem scito longè emendatiorem esse Coloniensi. Bene uale.

## GEORGIO SPA=

### LATINO.

**M**Agnum à te munus mihi iudico missum esse, cum proximam epistolam misisti. Nam & de tua beuevolentia amantissime scripta est, & de coercenda iuuentutis petulantia grauiissime. Et additæ sunt Ambrosij sententiae memorabiles, tanquam auctorium. Quare tibi & habeo gratiam, & referam & utq; τῷ μέτρῳ, uiciissimum aliquid scriptorum mittam, cum habebimus editiones, quas arbitrabor tibi uoluptati fore. De iuuentutis petulantia, & uitijs Reipub: non quidem omittendæ sunt querelæ, sed dolor animi moderandus est. Si adiuuarentur concionatores & gubernatores scholarum à principibus, fre-

Ff nari

nari iuuentus melius posset. Sed sēpē sensi, uos  
luptati esse aulis hoc spectaculum, cum uident  
nos, tanquam in arena laniari. Feramus igitur  
ingenti Philosophico & Christiano animo mihi-  
rias, nec propterea nos abduci ab officio nostro  
finamus, repugnemus mediocriter furori homi-  
num, & si quos possumus, flectamus ad uirtutem.  
Hic mihi scopus propositus est, hic finis  
meorum consiliorum & meæ Philosophiæ. Me  
ministi dictum sapientissimum Friderici Dicis,  
Tantum, quantum possum. Idem nos in no-  
stro munere sequamur. Prosimus Reipub. &  
posteritati, quantum possumus, præsidia, gratia  
am, præmia à Deo expectemus: Humana nulla  
sunt. Hic scholasticus Lisenensis scribit solu-  
tam orationem, & uersus satis eruditè. Nunc  
orat, ut præficiatur scholæ Bornensi. Nam is qui  
fuerat accersitus mortuus est. Videtur autem  
hic Chilianus modesto & bono ingenio predi-  
tus. Et pollicetur se non fore contumacem ad-  
uersus te & concionatores: Ideo eum tibi com-  
mendo. Ad Episcopum Cicensem alias scri-  
bam. Bene uale. Die 28 Septemb:

Phil: Melanth:

AD AMICVM QVEN-  
DAM INITIO BELLI  
Germanici.

Euntes

Vntes ibant et flebant mittentes semina sua,  
 Inquit Psalmus, Significans pios Doctores  
 in magnis & uarijs periculis circumferre Eu= angelum sèpè lacrimantes. Sed fontes nostri, unde uera remedia haurienda sunt. Ex ijs consolatiōnem petito. Ferendæ sunt omnino aliquæ iniuriæ, & hac sfe ferendæ, quia exitum Deus gubernaturus est, & de causa & uoluntate nostra aliquanto post testificaturus, qua de re etiam mea aliqua exempla recitare possem. Sed nunc magis à me consilium, quam consolationem, expectas. Primum igitur hoc rectum esse iudico, non deseriri à te Ecclesiam, ad quam rite uocatus es. Eius uocationis sanctitate plus moueri te uelim, quam dolore iniuriarum, quæ ab ijs oriuntur, qui hoc ipsum agunt, ut te extruso aliquem inueniant astutè sc̄ inflecentem ad doctrinæ corruptelas. Deinde censeo te, Principi tuo adsentientem, qui toties adseuerat à Carolo Imp: non queri oppressionem doctrine, in Ecclesia tua receptæ, posse tacere de Imp. uoluntate. Etsi enim exitus monstrabit, quid agatur: tamen interea dum tali teste probatur uoluntas Imperatoris, non repugnes. Nihil enim opus est iudicare de ignota cuiusquam uoluntate &c. Nos iustam causam habuimus querendi de uoluntate Imperatoris: nobis enim bellum denunciauit, ac nominatim mentionem fecit quorundam negotio-

rum, quæ uerè ad doctrinam pertinent, nec inter-  
terea ostendit nostris, se toleraturum esse senten-  
tias pub: receptas apud nos, ut uero ostendit.  
Et si autem video quarundam maximarum re-  
rum oppressionem quæri, tamen nunc quidem te  
de illis pugnare non uelim. Mihi ipsi magna  
contentio fuit Augustæ, cum multis, ne inscrere=   
tur confessioni, quæstio, An Romanus Episcopus  
antecellat alijs, displaceat enim mihi in Ecclesia  
omnes de principatu rixæ. Et magno cum do-  
lore uidi, aliquos sibi sumere potestatem maios-  
rem, quam ipse Romanus Episcopus sibi sumit.  
Verum hoc agi uolui, ut extaret doctrina neces-  
saria rectè explicata, quod ipsum impediabant  
aliqui, qui sibi Principes deuinciebant illeccbris  
disputationum de potentia. Potes igitur de Imp:  
uoluntate, ut de re obscura, & politica, & alie-  
na à tuo munere, tantisper silere, donec tempus  
ueritatem in lucem proferet. Sæpè speciosis in-  
uolucris aliquandiu ueritas tegitur, quæ tamen  
Deus postea retegit. Omissa igitur mentione  
harum rerum ambiguarum aliquantisper, inter-  
rea tamen stationem tuebere, in qua te Deus col-  
locauit, & in eodem uestigio propugnabis neces-  
sariam & salutarem doctrinam. Expones cau-  
sas harum miseriuarum esse non tantum Principi-  
um affectus, sed potius populi & Principum  
multiplicia delicta, ut omnium politiarum con-  
uersio-

ueriones calamitosæ pœna fuerunt, & sunt, &  
erunt cōmuniū scelerum. Dices de pœnitentia,  
de fide, de petenda mitigatione misericordiarum. Ob=  
iurgabis maledicos, qui odia in utraq; parte ir=  
ritant. Flectes animos auditorum ad misericor=br/>diam erga calamitosos, hortaberis eos qui ualent  
autoritate, ut consilia restituendæ pacis in pa=br/>tria inter cognatos querant. Deniq; donec  
possimus, Ecclesiarum concordiam & mutuam  
benevolentiam alamus, quæ etiam aliquando pro=br/>futura est ad pacem inter Principes restituendam.  
Et Deo grata est, etiamsi lacerantur Impre=br/>ria, quod fit multis de causis, quarum series tota  
nunc non perspicitur. Interim tamen etiam ru=br/>entibus Imperijs, uult Deus manere Ecclesiā.  
Hanc igitur omnibus officijs pietatis soueamus,  
& oremus Deum, ut ipse inter nos Filio suo do=br/>mino nostro Iesu Christo hereditatem æternam  
colligat, nec sinat extingui studia doctrinæ.  
Sed concedat mediocria hospitia Ecclesijs, &  
disciplinam & pacem tueatur. Bene ualc. Die 23  
Nouemb: Anno 1546. P. M.

CASPARO CRVCIGE=RO,  
DOCTORI THEOLO=giæ, amico & fratri suo  
carissimo S. D.

Ff 3 In Traç

IN Tragœdia Aeschyli seruus, cū monens Eteo<sup>a</sup>  
Iclēm obiurgatur, reprimit sese, inquiens, οὐ γὰρ  
τὸν ἄλλον πεισομένον τὸ μόδον μοι. Id non  
nunc primum cogito. Sed tamen sæpè dolor uis-  
cit, ut pro meo captu duxerim, quod uidebatur  
illis ipsis qui dominantur utilius. Nunc magnis-  
tudo periculi communis, tanquam in incendio  
magis nos hortatur, ut si quid quisquam potest,  
moneat. Sed omnia ignoramus. Ego nec qua spe  
ducant bellum, nec qua habent auxilia ac σύμμα-  
χοι scio. Illud video, cum antea uidere-  
tur non contemnenda potentia foederis esse, tam  
men nostros expertos esse sociorum infidelita-  
tem. Sed omitto querelas. Nos, quieunq; erunt  
exitus, consolemur nos hac uera & firma conso-  
latione diuinitus tradita, quod non sit à Deo de-  
ficiendum, etiam inter has ærumnas: deinde le-  
uationem doloris adsert conscientia recte uo-  
luntatis. Nam ueritatem simplici studio quaesi-  
uimus, & multa utiliter patefacta sunt. Si pro-  
pter hoc studium interficimur, sumus in numero  
istorum, qui in Psalmo dicunt. Propter te morti-  
ficamur tota die. Seruabit tamen Deus cætum  
aliquem harum Ecclesiarum, et aliqua domicilia.  
Pagellam mitto Narrationis exhibendam D. Pon-  
tano. Nam me reuersum statim accersiuit Asca-  
nius, & dolorem suum commemorans, & peris-  
cula nostra deplorans: Eratq; finis orationis, ut  
de paa

de pace petenda cogitaretur. Posse flecti Imperatorem, si noster fieret supplex. Et haec me significare aule uoluit. Fuerunt antea supplices Othoni frater & deinde filius. Henrico Quinto Lotharius, qui postea factus est Imperator. Sigismudo, Fridericus Austriacus. Maximiliano, Philippus Palatinus. Carolo, Veneti, Iuliacensis, & nunc alij. Sed inenarratae arbitrantur permittere, ut Imperator mutet Ecclesiarum doctrinam. Si sic sentiunt, nimis segniter gerunt bellum. Deus pater domini nostri Iesu Christi seruet & defendat Ducem Electorem Saxoniam, propterea quod primus & præ ceteris studia doctrinæ fouit, & nostros gemitus propter suam gloriam exaudiat. Bene uale. Dic 3. Martij. Phil. Melanth:

CASPARO CRVCIGERO,  
THEOLOGIÆ  
Doctori.

Vm in schola sine mediocrei animi tranquilitate, uel sine hilaritate potius nihil decenter fieri posset, totum consilium eorum, qui nos in vicinam Parthenopen ablegarunt, reprehendo. Vobiscum esse malim, ubi et si mei usus exiguis esset, tamen quia turpe mihi duco, ab illis uestris aris tali tempore discessisse, minor esset do-

Ior, & expecto reditum tabellarij, quem heri ad uos misi. D. Ioachimus adest, qui doloris socieitate optimam & sanctissimam uoluntatem suam erga nos perspicue declarat. Si consilio aut officio aliquo etiam iuuare illam uerè patriam possemus, non defugeremus & labores & pericula. Impedimur, ut scis, suspicionibus,  $\text{H} \in \text{eu} \text{u} \text{s} \theta \text{e} \text{i} \text{o}$ ,  $\text{t} \in \text{w} \mu \text{ q} \in \text{v} \text{ t} \in \text{e} \text{a} \text{e}$ ,  $\text{o} \in \text{y} \text{e} \text{m} \text{o} \text{n} \text{t} \in \text{e} \text{g}$   $\text{e} \in \text{l} \text{a} \text{p} \text{i} \text{d} \text{w} \mu$ : consilia omnias in aula proponunt, quæ utimam sint salutaria. Bene uale. Die 17 Nouemb: 1546.

Phil. Melanth.

CASPARO CRVCIA  
GERO, THEOLO-  
giae Doctori, S. D.

**Q**vicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est, inquit ille satis gloriose, nos addamus,  $\text{R} \in \text{oh} \theta \text{S} \in \text{v} \text{t} \in \text{Q} \in \text{y} \text{e} \text{b} \in \text{e} \text{d}$ ; Nam sine diuina ope, ne quidem sustineri tanti fluctus possunt, quantis iam cymba nostra concutitur. Ideo consolationem hanc Deus toties tradidit, dominum suum afflictos esse, qui ipsum inuocant. Tria certè signa propria Ecclesiæ Dei conspicuntur in nostro cœtu, Sonat apud nos vox Euangelij. Inuocamus ueris gemitibus, & hostium rabies extrema minitatur. Econtra hostes manifestè conantur extinguere lucem Euangelijs, perfia

perfidiosi amici arte opprimunt. Inuocatio ho-  
rum quæ esse potest? Postremò securi trium-  
phant, aut ex periculis se extricant, ut λάσπαξ  
ruptis maxillis hamo se eripit. Oremus igitur  
Deum, ut adsit nobis, & seruēt Ecclesiae reliqui-  
as. Mitto tibi Epistolas, partim Reuerendo D. Pa-  
stori, partim mihi inscriptas. Exhibebis igitur  
Pastori suas & cæteras ei leges. Bene & felici-  
ter uale. Die, qua memoria celebratur pompæ  
triumphalis, qua Filius Dei Ierosolymam ingres-  
sus est, uetus mula, ubi multi eum excipientes  
magnificas spes habuerunt, qui postea eo pen-  
dente in cruce defecerunt: similia nunc fiunt.

Phil: Melanth:

CASPARO CRVCI-  
GERO, THEOL O-  
giæ Doctori,  
S. D.

**V**Tinam, ut anni initio aliquid laxamenti uo-  
bis contingit, auocato hostili exercitu ex-  
uestra uicinia, ita hic annus ueniens totus sit fau-  
stus & felix nostro oppido, quod fuit hospitium  
optimorum studiorum, & adhuc est Ecclesie  
Dei alueolus. Flectere animum Caroli Imp: ad pa-  
cem nonnulli conantur. Sed humana sapientia,

Ff 5 quam

quam certa habeat consilia, sœpè iam experti sumus. Nec de nihilo est, quod inquit Xenophon, ἡγε ἀνθρωπίνη σοφία, οὐδὲ μάκρη διδεῖ δέσμον ἀπόδεις ή εἰ κληρόδουλος οὐτι λέχοι τότο τις πράγμα, quod certè uerum est de iis consilijs, in quibus non necessaria suscipiuntur, quod utinam aulæ considerarent. Sed hæc alias. Mitto reliquias paginas Meniani scripti, quorum censores uos esse uolo, sunt πάσι γραφα ut uidebis. Reuerendo D. Pastori & collegis salutem opto. Die 29 Decemb. Phil Melanthi:

IOHANNI OBERBVR<sup>o</sup>  
GIO, SECRETARIO  
Caroli V. Imperatoris Ro= mani, S. D.

Et si exempla moderationis & clementie in uictoria recitari ex ueteribus historijs multa possunt: Tamen ingrati essemus, si aliorum potius, quam Imperatoris Caroli Augusti manuetudinem ac lenitatem commemoraremus, qui cum antea captis Regibus & domitis Principibus magna cum laude pepercit: tunc uero iam insigni exemplo, uictoriam moderatus est, collocatis captiui Ducis Saxoniae filijs, in amissa hæredis

hereditate. Hec bonitas DEO grata est, & maximè conueniens summo fastigio. Existimo autem præcipuos viros in aula, intueri in Domini exempla, & consilia ad salutem generis humani referre. Te certè & natura placidum ac beneficum esse animaduerti, & sapientia doctrinæq; studijs ita confirmatum, ut & ad iusticie normam omnia consilia dirigas, ac hanc lenire æquitate & misericordia studeas, ut serues homines non malos, quorum in Repub: usus esse potest. Quare ad te scribere ausus sum, mansuetudine & sapientia fretus tua. Etsi enim in Academia oppidi Saxonici, quod op: pugnasti, fuisse me confiteor, tamen cum arma non gesserim, & doctrinam necessariam uitæ, quæcunq; erunt in Repub: imperiorum conuersiones, iuuentuti bona fide tradiderim, aliqua me spe ueniae sustento. ac minus mihi irascerentur boni & sapientes, si noscent, qui do: lores, qui sensus, quæ uoluntas semper fuerit, & initio belli, & multò ante, cum semina belli spargi uiderem. Nunquam opes aut potentiam ullam uel sperauit uel captauit.

Nunc igitur supplex ad te uenio, teq; propter religionem & ius supplicum, quod quale fuerit in illa meliore antiquitate, cum scripsum est;

M& d' & d' in ep' in etag, in etoll' iepoi te h̄ dyvois,  
non ignoras, Oro ut bonis & doctis uiris, qui  
semper alieni fuerunt ab omnibus contentione-  
bus publicis, & arteis uitæ utiles docuerunt,  
Mathemata, ac Physicen, aut enarrarunt scri-  
ptores Grece & Latinæ linguae, opem feras, ut  
redire eis in oppidum, unde initio belli exire ius-  
si sunt, & suas ædes tenere concedatur. Aequissi-  
mum est horum causam sciungi à ceteris, qui in  
odio sunt propter dogmatum certamina: non  
enim opinor uos bellum gerere cum artibus. Rex  
Demetrius cum Rhodum ob sideret, murumq; eo  
in loco, ubi tabula erat Protagonis magna arte  
picta, quassaturus esset, cum rogaretur à Rho-  
dijs, ut monumēto illi Protagonis parceret, reu-  
cauit inde milites, inquiens, Se non gerere bellum  
cum artibus, eaq; initia fuerunt facienda pacis  
cum Rhodijs. Quantò erit glorioius Imperato-  
ri Carolo, seruare tot bonos & doctos uiros,  
quorum eruditio Reipub: utilis esse poterit,  
quam Demetrio fuit seruasse mutam tabulam?  
De me non audeo scribere, et si sapientibus &  
non duris iudicibus de mea uoluntate & de meis  
actionibus satisfacere me posse arbitror, sed ami-  
corum causam tibi commendando, quorum eruditio  
& uirtus tanta est, ut non dubitem ultrò te eos  
defensurum esse, si tibi noti essent. Scripsi bre-  
uius propter tuas occupationes, teq; oro, ut mea  
am epia

an epistolam boni consulas, ac mihi per hunc integrum conterraneum tuum, Dominum Michaelm significes, quid spei nostris amicis esse possit. Nomina eorum perscripsi in charta, quam huic epistole addidi. Bene uale. Embacæ, 24 Maij. 1547.

AD FRANCISCUM  
BURCHARDVM  
Vinariensem.

S. D. Gratum mihi fuit, quod uir doctus & honestus Doctor Plicardus ad me accessit. Gratus etiam est, quod mea mandata tibi officiose exposuit. Nam cum te iam olim singulari benevolentia, non solum propter ingenij tui & uirtutis præstantiam, sed etiam propter obseruantiam erga nostram familiam, complexus sim, non mutarunt meam erga te uoluntatem tempora, ac sicubi potero, re ipsa declarabo, me de te amanter sentire, ac tibi bene uelle. Quod uero deploras Ecclesiæ calamitatem, quæ nunc edita noua doctrinæ forma multipliciter turbantur, communis hic est dolor multorum pectorum. Videmus tenebras induci ueritati, pelli multos bonos & doctos Pastores ex suis Ecclesijs, uagari exules cum familijs, quæ ærumnis exilio & fame contabescunt, distrahi uoluntates, accendi no-

di nouas discordias, dissipari cœtus dissentium,  
ubi uox doctrinæ uera sonabat. Hæc omnia  
per se sunt tristissima, & ad posteros Ethnici  
cam barbariem & dissipationem infinitam ef-  
ficient, nisi Filius DEI sedens ad dextram  
æterni Patris, custos Ecclesiæ suæ, nobis opem  
feret, quem quidem tecum, & cum omnibus  
pijs toto peccore oro, ut seruet ipse Ecclesiæ,  
eum rectè inuocantes, & earum hospitia. Quod  
uerò etiam de nostris deliberationibus aliquid  
significari petis, et si unum est consilium pre-  
cipuum, ne doctrinam cœlestem, quæ est immo-  
tum Dei decretum, mutemus, & diuinum auxi-  
lium expectemus, tamen si hæ miserie aliqua ex  
parte consilio lentri possunt, optarim nos una  
colloqui posse. Nam hæc tanta rerum magnitu-  
do non potest Epistola comprehendendi. Sed ut tibi  
petenti mos geratur, quid mihi & alijs quibus-  
dam docentibus Ecclesiæ in hac uicinia uideat-  
tur scribam. Alia deliberatio est de nobis singu-  
lis, si nostro periculo confessio edenda sit, ut for-  
taassis aliquantò pōst inquisitio in singulos insti-  
tuetur. Hic optandum est, ut eruditæ testimoniæ  
doctrinæ relinquant plana & perspicua, in  
omnibus articulis, & non frangantur metu  
suppliciorum. Alia uerò deliberatio est, cum  
adhibemur, ut alijs infirmis & dissimilibus con-  
siliū nostrum ostendamus. Interdum etiam ad-  
iungunt

iunguntur alij, quorum uoluntates à causa alienæ sunt. Hic proponitur nobis hæc terribilis Oratio, ne sine necessarijs causis præbeamus occasionem uastandæ patriæ. Patiendum esse ubi opus est, ut Petrus inquit: & sperant posse declinari pericula, si recipiamus ritus aliquos, qui per se non sunt uiciosi: & accusatur iniustæ pertinacia, si in talibus rebus nolimus pub: tranquillitati seruire. In hac Oratione etiamsi errant, cum declinari pericula posse existimant, nos tamen non horridè pugnamus de talibus ritibus, quia aliæ sunt controuersiæ maiores, de quibus accerrima sunt certamina. Ut igitur res necessarias retineamus, sumus in non necessarijs minus duri, præsertim cum ritus illi magna ex parte antea manserint in harum Regionum Ecclesijs. Et similitudinem institui iam olim optatumus, ut meministi. Sed aditus fit, inquietus, ad mutationem maiorem, & spes defectionis ostenditur, confirmatur audacia aduersariorum. Scimus multa contra hanc moderationem dici: sed maius scandalum esset, uastatio Ecclesiarum, qualis fit in Suevia. Si hac moderatione obtineri potest, ne mutentur doctrina & liturgia, nec pellantur Pastores, iniuste reprehendi-  
mur.

In Francia Marchio Albertus proposuit formam Ceremoniarum, talem, quæ non mutant res

tat res necessarias. Ibi cum Pastores dubitarent, an deserendæ potius essent Ecclesiæ, consilium dedimus, potius ut seruitutem acciperent. Tali moderatione uos quoq; potius uti optarim, quam occasionem præbere, prorsus expellendi Pastores ex Ecclesijs, aut Principes ipsos onerare maioribus periculis, quorum ætati & infirmitati etiam parcendum est. Nec illis clausoribus moueor, facta inclinatione, postea peti- tuos esse aduersarios reliquarum rerum mutationem. Nunc confessio nostra de rebus necessarijs auditur. In hac, iuuante Deo, & posse stea constantiam præstabimus eò alacrius, quia nobis obijcere non poterunt, nos in rebus paruis, non necessarijs, pertinaces esse. Res ostendet nos de magnis causis pugnare. Fortassis & mora, dum hæc disputantur, Ecclesijs proderit. Sed etiamsi mora non est profutura, tamen hæc consolatio non inutilis est, quod tamdiu infirmis pepercimus, & quod non statim initio solitudine in Ecclesijs fecimus, quæ fieret, si nulla in re potestib; cederemus. Et hæc ipsa rituum ordinatio, de qua multi cupidiores libertatis queruntur, per se non est uiciosa, & ad disciplinam prodesse iuuentuti potest. Atq; utinam non tantum umbra disciplinæ, sed etiam seuerior gubernatio morum, & uera temperantiae exercitia restitui possent. Habet breuem expositionem nostras

nostrorum consiliorum, de quibus tamen eoram  
tecum loqui malim. Nos, Deo iuuante, uocem  
doctrinæ, que in uestris & nostris Ecclesijs so-  
nat, incorruptam semper tuebimur, nec uel do-  
ctrinæ corruptelas uel impios ritus recipiemus.  
Nec dubitamus Ecclesiæ filium Dei opitulatu-  
rum esse. Sed hac uti moderatione, & seruitu-  
tem aliquam ferre malumus, quam deserere Ec-  
clesias, priusquam cause dissipationum grauior-  
es erunt. Bene uale.

## D. CASPARO AQVI,

LÆ, PASTORI ECCLE-  
sie Dei in oppido Sal-  
feld, S. D.

Cum spes ostensa esset instaurationis Academ-  
iae, meq[ue] uehementer obtestarentur colle-  
gæ, ut redirem, mouerunt me Academie nomen,  
coniunctio collegarum, solitudo & mœsticia hu-  
ius Ecclesiæ, in quam antea multæ gentes intue-  
bantur, ut huc accederem. Videbantur etiam  
singulare beneficium Dei esse, quod oppidulum  
nostrum non funditus deletum esset, iudicabant  
que alterum Dei beneficium fore, si etiam alueo-  
li scholæ restituerentur. Cum autem sciām, mihi  
atrociter maledici à multis, propter hunc  
meum redditum, nihil respondeo, nisi precari me,

G g      ut meo

ut meo dolori uenia detur. Aeger animus semper errat, inquit Ennius. Fuit igitur in hac tanta modestia mea, sortassis animus meus auditor coniunctionis veterum amicorum, quibus cum in societate honestissimi laboris tamdiu uixi. Fieri etiam potuit, ut spes plus habuerim, quam pro temporum conditione sperandum erat, de instauratione Academie, que an processura sit, abhuc dubium est. Certe nec uoluptates nec opes quiesciui. Viuo hic meo sumtu, & uersor in communii luctu & precatione. Nec mihi dies ulla sine latratis abit. Si procedet instauratio, spero profuturam Ecclesijs harum regionum. Si non procedet, tum demum in noua exilia distrahemur. Nec mirum est nos, ut amantes, huic distractioni moram aliquam quæsiuisse. Qui hoc meum erratum sic exaggerant, tanquam doctrinam abicerim, suo more calumnijs delectantur. Qui uitatem oro, ut uel propter amicitiam iudices sint mitiores, præsertim cum hoc iter meum nihil nocuerit Reipub. Edo hic libellum puerilem, sed ut spero, profuturum discentibus. Nam ita retexi Dialecticen, ut penè integrum complexus sim, & illustravi exemplis, que in Ecclesia extare utile est: Nunc ad tuam Epistolam uenio, quam ad Reuerendum uirum D. Pomeranum scripsisti: Pindarus inquit: Maledicta obsonium esse

esse in conuiuijs. Adeò uetus cōsuetudo est male dicēdi Sed nec spargere calūrias, nec eis credere, re nō explorata iustum est. Deinde multò tristius est, totam Ecclesiam contumelia afficere, quām paucos. Quod autem illi, de quibus scribis, aiunt, hīc dissentire concionatores, hanc Ecclesiam, quę alioqui in magno luctu est, manifesta iniuria afficiunt. Vna & consentiens uox Euangelij in hac Ecclesia, in oppido VViteberga, Dei beneficio, sonat, ut sonabat ante bellum. Et fere singulis septimanis ministri Euangeli hīc publica ordinatione confirmati mittuntur ad uicinas regiones: Hac septimana sex pīj & docti uiri hīc ad uicinas regiones missi sunt, qui omnes, ut olim, profitentur, se uocem Euangeli puram tradituros esse suis auditoribus. Et antē ex ploratur eorum eruditio, ut antea. Res ipsa ostendit, in nobis nec mentem, nec sententiam de doctrina mutatam esse. Publicè etiam & pri uatim sunt precationes pro captiuo Principe. Nec audimus hīc quenquam male loqui de captiuo Principe, nec paterentur id huius oppidi Magistratus. Valde igitur te oro, ne credas ijs, qui nos aut Ecclesiam huius oppidi, calumnijs deformare student, quarum quidem spero refutatorem etiam Deum fore, qui liberabit nos a uenenatis linguis. Constanter docet Ionas in Ecclesia Hallensi, & nihil ad quenquam scripsit in ho-

Ego uero pietate & reuerentia colo Principem captiuum, & quotidianis lacrimis & precibus eum Deo commendabo, ac Deum oro, ut liberetur ac regatur. Hæc cum sint uerissima, miratus sum uanitatem illius, quisquis fuit, qui mihi tantam crudelitatem tribuit, ut dixerit, me etiam precationem prohibere: Sed Deum oro, ut Ecclesiam suam seruet ubiq; & nos alioqui afflittiſſimos liberet a talibus calumnijs. Bene uale. Die 29 Auguſti, quo die celebratur memoria necis Iohannis Baptiste, quæ nos commoneſacit de docentium ærumnis. Feramus, ut ille tulit miseras, & Deo nos commendemus. Noui à quibus oriantur hæ fabellæ. Hæc ſcripsi meo & D. Paſtoris & Crucigeri nomine, qui tibi ſalutem operant.

Phil: Melanth:

PHILIPPVS MELAN<sup>N</sup>  
THON PIO LE=  
ctori S. D.

**V**T præcipua cura omnium hominum esse debet, ut rectè agnoscere & inuocare Deum dicant: ita cum in Ecclesia se Deus patet ferit, & uelit ibi suam uocem audiri, ac uelit singulos fieri ciues eius coetus, & ad uexillum Domini nostri Iesu Christi concurrere, ut apud Esaiam dicitur: Erit signum populis: omnino neceſſa

necessaria est & hæc cura, circumspicere mente,  
& in tanta confusione generis humani sapien-  
ter querere, quæ & ubi sit uera Ecclesia, ut in  
eam nos fidei societate, inuocatione & confessi-  
one includamus, ubi cunq; sumus. Sparsa est enim  
in diuersa imperia. Sed à prophana & impia  
parte generis humani distincta est signis non  
fallentibus, ut sciamus uerè Dei Ecclesiam esse  
coetum, ubi cunq; est, qui uocem Euangeliū sonat  
incorruptam, & legitimū Sacramentorum  
usum retinet, nec Idola pertinaciter defendit.  
Hæc cùm ab ijs, qui doctrinam Propheticam &  
Apostolicam didicerunt, & non fabulosam esse  
sentiunt, mente, oculis atq; auribus iudicari pos-  
sint, agnosci certè Ecclesia potest.

Et in tantis imperiorum ruinis, ac hominum  
diſipationibus, hanc consolationem bonæ mentes  
teneant, ubi uocem ueræ doctrinæ incorruptam  
audiunt, & legitimū Sacramentorum usum  
cernunt, et uident non defendi pertinaciter Ido-  
la, & errores pugnantes cum uoce filij Dei, ibi se  
in societate Ecclesie esse certissime sciant, nec  
dubitent, tales coetus Dei domicilia esse, ibi mini-  
sterio Euangeliū adesse Deum, ibi exaudiri inuo-  
cantes, ibi recte colti Deū, ex eo coetu colligi ater  
nam hæreditatem filio Dei, iuxta illud: Vbi cunq;  
sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi  
sum in medio eorum.

Hac consolatione sœpè in dissensionibus publicis opus est, quam quidem eò recito, quia nunc quoq; clamorib. quorundam non leuiter perturbantur nostræ Ecclesiæ, quæ hanc ueram et firmam consolationem teneant, de qua suos oculos et suas aures singuli testes faciant. Sonat eadem vox doctrinæ uniuersæ, quam in libris nostris, qui extant, sonamus. Vsus Sacramentorum manet idem, qui fuit ante proximum bellum. Taxantur errores, & idola, ut libri à nobis scripti, ostendunt.

Quod uero clamitat Flacius Illyricus, & doctrinam mutari, & restitui ceremonias quasdam antea abolitas, primum de doctrina respondebo. Palam refutat hanc calumniam vox omnium doctrinum in Ecclesijs nostris & in Scholis. Ac ne longa aut obscura sit responsio. De uniuersa doctrina sentio quod scripsi in eo libro, qui in mulierum manibus est, titulo Locorum Theologorum, in quo non uolui nouum doctrinæ genus constituere, sed fideliter collegi doctrinam communem harum Ecclesiarum, quæ amplexæ sunt confessionem exhibitam Imperatori anno 1530. quam sententiam iudico esse perpetuum Ecclesiæ Catholice doctrinare, ac uolo dextrè & sine Sophistica & sine calumnijs intelligi id scriptum.

Et

Et quantum mihi conscius sum, non studio  
dissentienti ab alijs, non amore nouitatis, non  
*ειλογανείο*, aut alia ulla prava cupiditate im-  
pulsus sum, ut illam Epitomen colligerem. Sed  
tempora occasionem præbuerunt. Cum in prima  
inspectione Ecclesiarum comperissimus admo-  
dum dissonos clamores esse incruditorum de mul-  
tis rebus, Summam doctrinæ, quam Lutherus in  
diuersis & interpretationum et concionum uo-  
luminibus tradiderat, tanquam in unum corpus  
redactam edidi, & quæsiui genus uerborum, quo  
ad proprietatem, quæ ad perspicuitatem & con-  
cordiam utilis est, discentes adsuefierent, ac sem-  
per omnia scripta iudicio Ecclesiæ nostræ &  
ipsius Lutheri permisi: de multis quæstionibus  
etiam disertè sciscitatus sum Lutherum, quid sen-  
tiret, ac multi pagellarum illarum exempla ad-  
huc habent. In eius doctrinæ professione, quam,  
ut dixi, scio perpetuum esse consensum Ecclesia  
Catholicæ Domini nostri I E S V C H R I S T I,  
& nunc D E V M inuoco, & iuante ipso hanc  
confessionem ad æternæ Ecclesiæ consuetudi-  
nem adferam. Hæc recito, ne quis criminetur,  
me aliorum fidem dubitatione aliqua mea lan-  
guefacere.

Iam de rituum mutatione, quæ alicubi facta  
est, pauca respondebo. Optarim certè in hac

G g 4 præser-

præsertim tanta mœsticia nulla prorsus mutatione has Ecclesiæ turbari, ac si quæ factæ sunt, non sunt à me ortæ. Sed fateor me suafisse & Francis & alijs, ne desererent Ecclesiæ propter seruitutem, quæ sine impietate sustineri posset. Nam quod Illyricus uociferatur, potius uasitatem fuisse faciendam in templis, & metu seditionum terrendos Principes, ego ne nunc quidem tam tristis sententie autor esse uelim. Alia onera multò duriora quam linea uestis est, sustinere nos studiorum & Ecclesiæ causa manifestum est, odia potentum, contumaciam populi, malevolentiam in fucatis amicis, discordias docentium, inopiam, iniurias, & alia multa mala, que etiam tranquillam gubernationem comitantur. Nunc uero turbulentis temporibus multa accedunt atrociora.

Cum autem propter tales miseras non discedendum sit à statione, toleretur etiam seruitus in re leuiore, que tamen sine impietate est. Mihi quidem ingens mœsticia huius temporis, in tanta distractione uoluntatum et opinionum posse re uidetur, ut adflictas Ecclesiæ consolemur & foueamus, quantum piè fieri potest, & curemus, ut rerum necessiarum omnium doctrina fideliter explicata, ad posteritatem propagetur, & Scholæ conseruentur, que custodes sunt omnium honestarum artium.

Quod

Quod autem narrat Flacius, alium nescio quem, dixisse, me dixisse, Non discedendum esse ab Ecclesijs, etiam si omnes ueteres abusus restituentur, manifestum mendacium est.

Ac uidete artificem, ut odia accendat, & suspiciones cumulet, multa profert ex familiaribus colloquijs, quæ etiam calumniosè interpretatur, alicubi personis alijs sermones falsos attribuit, ut habere non solum testes, sed etiam adstipulatores uideatur. Neq; sensi, neq; dixi unquam, quod ille in me falso confert, manendum esse in ijs Ecclesijs, in quibus restituuntur errores, & oblatio Missarum, & inuocatio sanctorum, & similes impij cultus, qui nostris scriptis taxati sunt. Imò palam profiteor, nec recipiendos esse illos Idolorum cultus, nec tolerandos. Et ut discentes in singulis materijs essent instructiores, magna cura & magno labore fontes controuersiarum exposui.

Hic si dolori meo indulgere uellem, possem et de Flacio iuste queri, qui aduersus me talia mendacia spargit, & commemorare ex alto repetitas causas harum eruminarum, quibus nunc Ecclesia totius orbis terrarum oppressa est, & exponere, quæ res armaverit audaciam aduersariorum contra ueritatem, & confirmauerit potentiam. Sed hæc uulnera nunc attingere nolo, & istos libertatis uindices oro, ut finant me &

halos multos tacitos circumferre nostros dolores, nec accendant atrociora disïdia.

Gloriatur se defensorem fore pristini statutus. Si statum imperia certa & politias intelligit, & Ecclesiam suis tantum mœnibus includit, non recte sentit. Sparsa est etiam in aliis politias Ecclesia sonans uocem Euangelij corruptam, & uera inuocatione, ueris gemitis & lacrimis Deum inuocans. Cumq[ue] tanta fuerit familiaritas ei mecum, quantam significat, testis esse potest ipse meorum dolorum, gemituum, & assiduitatis. Nos imperiorum & statut publici concussionem deploramus, nec querimus arcas aut præsidia, Sed in his ipsis Ecclesijs, in quibus sumus, eandem uocem Euangelij sonamus, inuocantes Deum in uera agnitione & fide Filij Dei, & medioeri labore studia literarum, institutionem iuuentutis & disciplinæ conseruationem adiuuamus. Si potest Ecclesijs ille defensor status aureum seculum restituere, triumphet ut solet.

Cur me delegerit, cum nulla in re unquam a me lœsus sit, quem in ista defensione status, ut uocat, primum opprimat, ut Marius Antonium, nescio, cum sciat mihi semper displicuisse corruptelas doctrinae, & à me errores præcipuos taxatos esse. Nunc scribit me promouere, hoc enim uitetur

utitur uocabulo, quia suasi, ne in templis fieret  
solitudo, propter lineam uestem, aut res similes.

Etiam si qua esset dissensio de re tali, non ob-  
liuiscenda erant in Ecclesia præcepta de dilec-  
tione, præsertim cum sciat nos in magno luctu  
esse, & nec regna, nec opes querere: non erant  
imitanda exempla ciuilium dissensionum, in qua-  
bus, qui sunt animorum impetus, prouerbio signi-  
ficatum est: Ὅτις δέ ποιός φάγεται δέποιτε  
Ὕπαρχον δράκων. Ille uero mihi non tantum  
stylum, sed alia minatur atrociora. Optarim nos  
conferre operas potius ad illustrandas res neces-  
sarias, satis enim certaminum restat, propter quæ  
inter nos pacisci indutias et uelut syncretismum  
non modo nobis, sed toti Ecclesiæ utilius esset, ne  
accideret illud, quod Paulus inquit: Βλέπετε μή  
ὑπὸ δικαιώματος ἀναλογίαν. Ego responsiones mo-  
derabor ex utilitate, ac spero me & scriptis, &  
multorum honestorū iudicij aduersus calumnias  
satis defendi. Nam & alijs pīj & docti uiri in  
multis regionibus non leuiter dolent, has Eccle-  
sias condemnari.

Sed et Flacium et alios adhortor, ut cogitent,  
quid futurum sit, si utring; accēsi historiam an-  
norum triginta repetemus, Qualis hæc erit telas

Quod toties profert cbiter dicta in familia-  
ribus colloquijs, imò & somnia recitat, ostendit,  
qua fide amicitie et familiaritatis iura colat. Sæ-  
pe in

pè in dolore familiares querclæ liberiores sunt,  
sæpè disputandi causa ego ipse uehementius sensa-  
tentiam, quam amplectior, oppugno, non ludens,  
sed discendi causa, ut aliorum cogitationibus eru-  
diar.

Postremò natura mea multis nota est, non ad-  
peto laudem toruitatis, Sed mediocris est comita-  
tas, qua iocor interdum etiam in doloribus. Ta-  
ta dicta postea calumniose spargere, ut iste fa-  
cit, Nam op̄ est, non officiosum, ut nihil dicam  
asperius. Sin autem, ut in quadam parte sua Epis-  
tole significat, ubi mihi gladios etiam minatur,  
casus aliquis me oppresserit, quorumcūq; gladijs  
præbenda erit haec misera ceruix, commendabo  
me filio Dei domino nostro Iesu Christo, crucifi-  
xo pro nobis et resuscitato, qui inspecto est cora-  
dium, et scit me simplici studio quæsiuisse uerita-  
tem, non factiones aut regna constituere, non la-  
xare frenos curiositati uoluuisse, nec sine magna  
difficultate diligenter considerata uniuersa ana-  
tiquitate, multas intricatas quæstiones euoluuisse,  
meq; iuuentuti ad disciplinam & ad colenda rea-  
ctissima studia hortatorem fuisse.

Sed de me iam nihil dicam. Scio in dissensio-  
nibus ciuilibus, omnes casus omnibus expectan-  
dos esse, scio rabiem animorum uarijs modis ac-  
cendi. Et habere Flacium suas quasdam faces  
animaduerto, Sed & uitam meam Deo commen-  
do, &

do, & Ecclesiam Dei ueram in his regionibus &  
alibi, de qua multò magis, quam de mea uita solli-  
citus sum. Sed hac me consolatione sustento,  
quod promisit Deus, se etiam senescenti Ecclesiæ  
ad futurum esse. Et filius Dei inquit: Ecce ego  
uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consum-  
mationem seculi. Seruabit Deus aliquos cœtus  
custodes doctrinæ Euangelij, & rectè ipsum in-  
uocantes, & ut in his regionibus etiam seruet,  
toto cum pectore, & ueris gemitibus oro.

Hanc breuem responcionem opposui clamor-  
ibus Flacij, non tam mea causa, quam earum Ec-  
clesiarum causa, ubi unq; sunt, in quibus multo-  
rum piorum animi scriptis Flacij uulnerantur.  
Hi teneant hanc consolationem, quod certū est,  
fundamentum in his Ecclesijs fideliter retineri,  
uidelicet incorruptam uocem Euangelij, omnes  
articulos fidei, & usum Sacramentorum sine  
corruptelis. Tali ministerio adesse Filium Dei,  
& in tali cœtu exaudire inuocantes certissimum  
est, ut supra quoq; dixi. Bene uale candide Le-  
ctor. Calend. Octobris. 1549.

PASTORIBVS ECCLE-  
SIAE HAMBVRGENSIS,  
Philip: Melanth:  
S. D.

RE:

**R**ecerendi uiri & amici cariss. Non a grē  
ferimus, nos amanter à uobis uel moneri  
uel reprehendi. Sunt enim & hæc officia in  
amicitia, præsertim in Ecclesia, necessaria. Sed  
tamen oramus uos, ut in iudicando, pro uestra  
prudentia, grauitate, & erga nos benevolentia,  
candorem adhibeatis, nec ueteres amicos, qui  
amplius uiginti annis magnos libores & uaria  
certamina sustinuimus, & adhuc sustinemus,  
damnetis, sicut alij quidam, qui falsis crimina-  
tionibus rabiosè nos insectantur: quibus ideo  
nondum respondemus, ne tam tristi tempore odia  
& diſidia magis inflamentur. Primum au-  
tem uobis significamus, Dei beneficio, uocem do-  
ctrinæ eandem in Ecclesijs nostris & Academijs  
sonare, quam tot annorum consensu uobis cum  
profitemur, & quam nunc in uestra confessione  
propugnatis. Cumq; sciamus hanc doctrinam  
æternum Dei decretum esse, & perpetuam uera  
Ecclesie sententiam, nihil in ea unquam mutatu-  
ri sumus, ac ne quid mutaretur in doctrina &  
Liturgia, acerrimæ contentiones nobis hoc ipso  
anno cum aliquibus fuerunt, qui ingeniss, erudi-  
tione & autoritate in his regionibus excellunt.  
Quod cum ita sit, extant non obseura testimonia  
nostræ confessionis, ac aliquantò maiora odia &  
pericula subimus in tali confessione, quam illi,  
qui inter adplausores suos in tuto nobis conuici-  
antur,

Antur, quos optaremus interesse ijs disputationibus, in quibus argumenta astutissime excogitata, magno labore refutamus. Eduntur apud nos & libri ijdem, qui ante bellum editi sunt, Nec ritus alij sunt in Ecclesijs nostris, quam quos uidistis. Et quanquam non magna dissimilitudo est, tamen alibi plures, alibi pauciores sunt, de qua dissimilitudine neq; antea rixati sumus, nec nūc rixamur. Nam & esse publicos congressus honestos, & ritus non barbaricos in illis congressibus, imo & quedam disciplinæ signa esse necesse est, in quibus si nihil contra mandata Dei institutum est, de gestibus ipsis non esse pugnandum uos ipsi scitis. Sed metuitis in generali uerbo insidias, cum dicimus nos de Adiaphoris non pugnare. Venient eadem nobis in mentem, que uos prudenter prospicitis. Et uoluntates multorum cōspectant, ut inclinationem ad totam politiam Pontificiam faciant. Sed tamen cum occupati maioribus certaminibus de rebus necessarijs, omittimus rixas de Adiaphoris, decet bonos uiros, qui talia legunt, adhibere dexteritatem in iudicando. Vocabimus Adiaphora non magicas consecrationes, non statuarum adorationes, non circumgestationes panis aut similia, que aperte damnantur uoce nostra & scriptis, imo ne ineptias quidem, ut execubias ad sepulcrum. Talia qui uel odiosè coactuant, ut nos exigitent, uel astutè colligunt,

ut Pa-

ut Pastoribus duriora onera imponant, iniuriam  
nobis faciunt, & suis affectibus morem gerunt.  
Alia multa sunt Adiaphora, quæ & antiquissima  
Ecclesia instituit, & ad concinnum ordinem, &  
ad docendos seu commonefaciendos rudiores  
conducunt, ut ordo Festorum, lectionum, publici  
congressus, Examen & Absolutio ante sumptio-  
nem Sacramenti, ritus aliquis publicæ pœnitен-  
tiæ, examen in confirmatione, publica ordinatio  
ad ministerium Euangelicum, publicæ despensa-  
tiones, & precatio[n]es in nuptijs, honesti comitas  
aut etiam conciones in funeribus.

Hæc cum pleraq[ue] in usu sint apud nos, & bona  
no consilio retenta sint, qua fronte dicere potes-  
ramus, nos nulla Adiaphora, nihil usuratum ad-  
missuros esse? An ut fit in factionibus & studijs  
partium, odio aduersariorum etiam istos uetus  
mores congruentes cum Ecclesia Dei inde usq[ue] a  
primis parentibus abiiceremus? Sicut Cinesias  
quidam Athenis festos dies contrarios populi  
consuetudini celebrabat. Et Asiani sues macta-  
runt, et contrarium anni initium constituerunt,  
ut ostenderent se prorsus alienos esse ab Israëli-  
tis. Scimus ne uos quidem probare talem noui-  
tatem. Et reverenter tueri uetus Ecclesiæ ora-  
dinem, qui bono consilio institutus est. Ac precia-  
pui ritus in uestris & nostris Ecclesijs congru-  
unt

unt ad ueterem formam, quæ extat in scriptoribus, qui ante Gregorium fuerunt. Discipline seueritas aliquanto maior fuit, & exercitia temperantiæ maiora fuerunt, quas duas res nunc quoq; optamus curæ esse gubernatoribus, qui Ceremonias, & umbras discipline in speciem restituere conantur, non res ipsas.

Sed reprehensio uestra, non de hac honesta consuetudine Ecclesiarum nostrarum loquitur, sed de quorundam inceptorum rituum instaurazione, quæ fieri à potentibus uidetur, ut paulatim restituantur omnes abusus Pontificij. Hic molitiae nostra accusatur, quod non uehementius aduersamur, quod alicubi damus consilium Pastoribus, ne deserant Ecclesias propter hanc nuan seruitutem.

In ditione Marchionis Alberti aula primum petiuit, ut Pastores totum librum Augustanum amplecterentur ac sequerentur. Pio consensu nobilitatis, Ciuium & Pastorum modestè facta est recusatio. Decurrit ergo aula ad aliud consilium, proponit articulos, qui doctrinam et Liturgiam non mutant, sed plus rituum imponunt, qui utcunq; tolerari possunt. Additur comminatio, ut qui hanc normam sequi nolint, discedant. Etsi multi Pastores discedere malebant, tamen Ecclesie petebant, ne desererentur. Tali tempore quid consilij dandum fuit? Respondent aliqui uehementio-

mentiores, atroci scripto perterrefaciendam sua  
 issē aulam metu seditionis, & hac Gorgone re-  
 primendam, ne quid in Ecclesijs mutaretur. Id  
 cur facere nolimus multæ cause sunt. Et fortassis  
 magis irritarentur inimici, qui nolunt sibi leges  
 à nobis ferri: dicent etiam attrahī exercitus  
 Cæsarī: talia scripta esse classica bellorum  
 exitialium patriæ. Nec uoluimus deserī Ec-  
 clesiā, ut in Suevia accidit, ubi in multis templis  
 iam prorsus solitudo est, aut lupi iam præsunt,  
 qui doctrinam impiam et falsas invocationes re-  
 flituunt. Si tali tempore hoc nostrum consilium  
 reprehenditis, ignosci nobis petimus, nec propte-  
 rea nos damnari, qui uocem Euangeliū candent  
 uobiscum sonamus, & aliquantò propiores pe-  
 riculo sumus, quam uos, qui habetis auditores  
 æquiores. Et corām plures graues causas dice-  
 re possemus, cur hoc moderatius consilium uti-  
 lius esse iudicemus.

Quæ res aduersarios armauerit contra nos  
 & audaciam ac potentiam eorum confirmau-  
 rit, longum esset dicere, & non est ἐπισολικόν,  
 ut Aristoteles dicere solebat, sed tamen dissensio-  
 nes & dissimilitudo Ecclesiarum nostrarum ui-  
 deretur ἀφορᾶ fuisse gubernatoribus, ut no-  
 uam normam proponerent.

vt igitur clare cerni posset, nos non cupidis  
 tate libertatis, non studio nouitatis, non odio dis-  
 fidere

fidere ab aduersariis, de magnis rebus pugnamus,  
in quibus evidentia ueritatis conuincit saniores  
etiam inter inimicos. Id iudicamus utilius esse,  
quam de uestitu aut re simili rixari, ubi sapientes  
clamitant, nos tantum stulta morositate ac con-  
tumacia aduersari gubernatoribus, alere dissi-  
dia, attrahere peregrinas gentes. Talia multa  
cum audiamus, opponi non leues causas necesse  
est. Vobis in auditorio uestro omnia faciliora  
sunt, & uestram libertatem uobis gratulamur.  
Semper autem aliqua est Ecclesiæ seruitus, alibi mitior, alibi durior, ac leniri ærumnas seruitutis  
consolatione uestra decet, non augeri condemna-  
tione, dum fundamentum tenemus.

Concordiam igitur inter nos, & mutuam be-  
nevolentiam tueamur, ne inuocatio in nobis, aut  
in populo turbetur, neue tristes et perniciose du-  
bitationes oriantur ex questionibus non necessa-  
rijs, ut olim de Paschate accidit. Illi quibus ea li-  
bertas minus impedita est, agant Deo gratias, &  
piè utantur ea ad illustrandam doctrinam, nec di-  
sciplinae frenos propterea magis laxent. Alij in  
seruitute agnoscant castigari nos diuinitus, &  
ueram Dei inuocationem corrumpi non sinant,  
sicut scriptū est: Hæc omnia uenerunt super nos,  
nec oblii sumus te. Nos non sumus suafores, ut Ec-  
clesiæ turbulentur, nec in minore dolore & peri-  
culo sumus quam uos, sed ubi noua onera impo-

nuntur, prudenter iudicandum esse sentimus, an  
relinquendæ sint Ecclesiæ lupis, aut facienda so=   
litudo, an uero seruitus toleranda sit. Nam neq;  
nos impias Ceremonias recipi uolumus, neq; sine  
grauißimis causis deserit Ecclesiæ, sicut scri=   
ptum est: Non deserentes congregationem ue=   
stram.

Hanc responsonem uobis satisfacturam esse  
speramus, & optamus, ut æterna sit inter nos  
concordia, & animorum coniunctio in Deo, si=   
cūt Filius Dei in agone suo precatur, ut Pater  
mentes omnium in Ecclesia copulet, ut unum  
sint in Deo. Bene ualete, 16 Aprilis, Anno 1549.

## AD PASTORES ECCLÆ SIÆ DEI IN MARCHIA.

**V**enerandi uiri, sicut ipse Filius Dei ante  
agonem orauit, ut Ecclesia sit unū in Deo,  
ita maximè oremus ipsum, ut consensum harum  
Ecclesiarum, in quibus sonat uox Euangeliū in=   
corrupta, & in quibus uera fit inuocatio Dei,  
tueatur. Principes etiam Electores cùm unā es=   
sent, longa commemoratione exponens, qualis sit  
dissipatio in alijs regionibus, hortatus est Anhal=   
tinus, ne sinant distrahi harum regionum Eccle=   
sias, iam recte sentientes. Ac nos quidem doctri=   
nam in Ecclesia nostra sonantem, quæ quidem &  
cum

cum Marchionis Electoris scripto congruit,  
quod ante annos 8. suis Ecclesijs proposuit, non  
mutabimus, nec restituemus uiciosos cultus, quos  
haec tenus improbauimus.

Quod uero de articulis factis in Lutherboch  
interrogatis, scitote nos non interfuisse illi ar-  
canæ deliberationi, in qua Principum facta est  
subscriptio, nec exempla illorum articulorum  
habemus, nec consecrations oleorum aut salis  
inter adiaphora recensemus, ac semper improba-  
uimus illas oleorum consecrations, et adhuc im-  
probabimus, si qua in illis articulis mentio facta  
est unctionis: illud etiam additum fuit, restare  
Articulos non conciliatos, de quibus necesse sit  
ab Episcopis iudicari quid desideretur. Postremo  
quod interrogatis, si liber Augustanus uobis si-  
mul cum Articulis proponeretur, quid sit re-  
spondendum; Simplex est ueritatis oratio. Re-  
spondete uos normam doctrinæ, quam Elector  
ante annos aliquot publico scripto Ecclesijs  
Marchicis commendauit, fideliter seruaturos es-  
se, nec eam normam mutatueros. Si autem Prim-  
ceps sic interpretetur librum Augustanum aut  
alios articulos, quasi cum hac doctrina sui scri-  
pti congruant, ac uelit ita respondere Imperato-  
ri, de ea interpretatione aut responsione ad Impe-  
ratorē, dicite, Vos Principi nihil prescribere, sed  
uos testari, quod normam haec tenus seruatam se-

cuturi sitis, Hac responſione fortassis Elector contentus erit. Scimus fieri solitudinem in multis Ecclesijs, pulsi sunt Pastores plures quadringentis in Suevia, & ad Rhenum. Tubingæ nunc pulsis Pastoribus et Concionatoribus, unicus est Sacrificus, qui, ut libro Augustano satisfiat, oblationem restituit. Mirum est igitur, cur adhuc etiam auricam promittat Islebius, cum manifeste videat uastari tam multas Ecclesijs, pios & doctos viros exulare cum totis familijs. Tantæ calamitates cum alibi fiant, nos etiam duram seruitutem, modo sit sine impietate, tolerandam potius esse existimamus, quam discedendum ab Ecclesijs.

Phil: Melanth:

## PASTORIBVS ECCLES SIAE DEI IN COMITA= tu Mansfeldensi.

**R**Euerendi uiri et amici cariss. Orat filius Dei in agone suo, ut æternus Pater consensum Ecclesiæ tueatur, ut simus unum in ipso, ut uerba que extant in ea narratione, recitem. Nec est irrita illa Filij Dei precatio, Semper erit aliquis cœtus custos ueræ doctrinæ cōsentiens. Legi uerstram deliberationem, quam iudico & piam esse, & cum nostris sententijs congruere. Etsi autem multa Ecclesijs nostris minutantur, & profecto horribilis crudelitas in Suevia exercetur, tamen nec

nec uere doctrine corruptelas unquam recipiemus, nec uiciosos cultus adprobabimus. In alijs rebus Adiaphoris seruitutem quamlibet duram tolerabimus, Nec propter leues causas occasionem præbendam censemus ijs, qui pellere Pastores co-  
nantur: qua de re, cum a multis interrogati si-  
mus, scripsi quid mihi uideretur. Quanquam au-  
tem scio quibusdam horridiores sententias magis  
probari, tamen hæc magna causa est, cur seruitu-  
tem toleremus, ne fiat in Ecclesijs solitudo, qualis  
iam in multis locis est ad Rhenum & in Suevia.  
Nulli sunt congressus, templa clausa sunt, nec  
Baptismus quidem in templis administratur, pel-  
luntur Pastores, aliqui etiam trucidantur, rapi-  
untur aliquorum coniuges & filiæ. Nec Magis-  
tratus ulli opem ferunt suis Pastoribus, quidam  
etiam gaudent eos excuti. Cum igitur uideamus,  
quomodo in periculo sint non tantum docentes,  
sed etiam ipsæ Ecclesiæ, hoc est, pijs cœtus, tanti-  
ssper donec piè possumus, manere apud Ecclesiæ  
studeamus, etiamsi toleranda sit aliqua seruitus,  
que tamen sit sine impietate. Oramus autem Fi-  
hum Dei, ut ipse nos gubernet et poenæ mitiget.  
Non humanis consilijs aut viribus retineri lux  
Euangelij in humano genere potest, sed Dei opus  
& beneficium est tanti boni conseruatio. Ab ipso  
igitur petamus & expectemus auxilium.

Bene ualete, die 23. Ianuarij. 1549.

EPISTOLA SCRIPTA  
ECCLESIAE DEI IN VR-  
be Francofurto ad ripas  
Meni.

IN tanta Ecclesiarum dissipatione & mœsticia  
optarim quam minimum fieri mutationum.  
Semper enim etiam tranquillis temporibus ali-  
quid est in mutatione incommodi. Nunc multo  
magis dolore afficiuntur bonæ mentes, cum ui-  
dent tales mutationes institui, quæ significant  
inclinationem ad inimicos nostros, quos certum  
est defendere uiciosos cultus. Propter hanc in-  
clinationis opinionem triumphant & confir-  
mantur inimici, & inter nos multi languefiunt,  
& in dubitationem adducuntur. Quare suaso-  
res mutationis grauiter accusantur, & iudican-  
tur scandalorum insignium autores esse, uideli-  
cet languefactionis in ea parte, quæ rectè sentit,  
& confirmationis errantium, deniq; & obscu-  
rationis ueritatis & gloriæ Dei. Hæc non sunt  
exigua mala, de quibus postea rursus dicendum  
est, cum fiet collatio scandalorum, quæ ex durio-  
ribus & mollioribus sententijs sequuntur. Prius  
autem discernenda est priuata confessio à consi-  
lio, quod alijs infirmis & dissimilibus datur.

Laurentius rectè fecit, quòd mortem prætu-  
lit editio Decij de pecunia. Fuit enim in ea occa-  
sione

sione confessio eius illustrior, & talis celsitudo  
animi singulari motu spiritus sancti iuuabatur.  
Altus timidior censuisset pecuniam potius amit-  
tendam esse, quam uitam, & fuisse huius infir-  
mitas excusabilis. Nihil igitur hic præscribam  
fortibus, qui etiam leui occasione confessionem  
illustrem suo periculo edere uolunt. Sed uideant  
ut ueras sententias profiteantur, earum fontes  
norint, & non sint θρασύδελοι, audaces ante  
pugnam, postea in pugna dubitare, trepidare &  
deficere incipient, quales uidimus multos usque  
ad ancillæ uocem fortis, ut in Petri historia ex-  
emplum propositum est.

Nunc autem non de priuata confessione di-  
sputo, sed de consilio dando alijs dissimilibus &  
infirmis, ut hoc tempore multi gubernatores pe-  
tunt, ut pastores restituant aliquos ueteres ritus  
Ἄδιαφόρος, eamq; moderationem sperant profu-  
turam, ut plus non postuletur, nec turbentur Ec-  
clesiae propter alias res maiores. Fortassis autem  
haec spes uana est. Hic tamen sentio potentibus  
tali moderatione gratificandum esse. Nec ignoro  
multa stoicè & horridè dici contra hanc senten-  
tiam seu timidiorem seu æquiorum, cum initia  
mutationis confirment aduersarios, ne quidem  
hec parua ducenda esse ἀδιάφορα. Hanc durio-  
rem opinionem si qui amplectuntur, amplectan-  
tur suo, non alieno periculo.

Hb 5 Cūm

Cum Petrus dicit, patiendum esse ubi opus est, Præcipit ut confessio sit de rebus ueris & necessarijs, et occasio sit honesta adeundi periculi, ut cum Magistratus interrogant de doctrina, uel præcipiunt, ut facto ipso abijciamus doctrinam, sicut Ethnici præcipiebant, ut milites sacrificarent Idolis. Itaq; non solum priuatim doctri-  
ni & fortis, sed etiam populus anteferre debet  
ueritatis confessionem uitæ, & paci in rebus ue-  
ris, quarum cognitio omnibus necessaria est: ut  
cum precipitur de corruptelis doctrinæ recipi-  
endis, aut de manifesto abusu Missarum, aut de  
Inuocatione mortuorum. Et eruditendus est po-  
pulus, ut disserimen intelligat inter necessaria, &  
non necessaria. Sed cum petitur, ut seruetur or-  
do ueterum cantionum, Feriarum & uestitus,  
hic non iudico populum onerandum esse pericu-  
lis, Cum Petri regula dicat, Patientes ubi opus  
est. Ut meminimus in loco uicino Basileæ igne  
crematum esse quendam propter esum carnium.  
Et si crudelitatem iudicum iustissime execramur,  
& constantiam boni hominis in confessione lau-  
damus, tamen & ipse nequaquam male fecisset, si  
hoc periculum uitasset, & certè alios onerare  
nemo debet, ut tali occasione pericula sibi accer-  
sant. Secundò, Non tantum metu moucor, ut  
pias, elegantes & similes ceremonias optem in  
Ecclesijs nostris esse, Sepè ante multos annos non  
ego

ego tantum, sed etiam alij multi gubernatores Ecclesiarum hortatores fuerunt, ut in Ecclesijs pia & similis forma rituum institueretur. Nec propterea doctrinam de libertate Euangelica abolemus, quæ de rebus multò maioribus concionatur. Sed omnes sani intelligunt, naturæ hominis conuenire ordinis elegantiam in publicis congregatis, sicut & Paulus dicit: Fiant omnia decorè & bono ordine. Ac dolemus in multis locis etiam utiles ceremonias, absolutionis, cantionum, à cæteris abolitas esse.

Sed scandalum est confirmare aduersarios hac specie inclinationis. Ad hoc respondeo: Si constantia erit confessionis in rebus necessarijs, ut esse debet, non poterit defectio nobis uerè obici. Volo enim & deinceps semper eandem uocem uerae doctrine seruari, & nullos recipi impios cultus. In cæteris autem rebus ostendamus modestiam & tolerantiam nostram in seruitute. Hæc ipsa submissio si fieret retinendi Euangelij causa, honestior esset, quam superbia in deserendis Ecclesijs. Præterea maius est scandalum deserere Ecclesijs propter causas non maximas, aut præbere causam iudicij populi, qui diceret, nos propter paruas res pertinacia nostra attrahere bella, quam præbere aduersarijs qualemcumq; occasionem calumniandi nostram moderationem. Et cogita, uter malè faciat, an ille

ille durus & horridus, qui ut retineat laudem  
constantiae, mauult Ecclesiam deserere, quam ue-  
stem mutare. An uero patientior seruitus, qui  
ut profit Ecclesiae, sustinet onera quamvis ingra-  
ta, sed sine impietate, ut interea maneat Ecclesia  
in rebus principalibus in eodem statu, & non  
tollatur ministerium Euangelij, & non turbe-  
tur inuocatio in populo. Sæpe fit etiam, ut illi  
ipſi duri & uehementes maiora negligant, imo  
etiam impediant, & interea de rebus minutis tu-  
multuentur, sicut scriptum est de colantibus cu-  
licem, & deuorantibus Camelum. Pugnant ali-  
qui de ueste, & interea prorsus tacent de disci-  
plina, imo magis cam laxant, tacent et de excom-  
municatione, & alijs neruis uiciosorum cultua-  
rum. Sed confirmas, inquiunt, aduersarios.

Si erit constantia in rebus necessarijs, non  
confirmamus aduersarios, sed declaramus mode-  
stiam nostram, & studium iuuandæ Ecclesie,  
quod etiam seruitutem duriorem toleramus, &  
quidem ideo toleramus, ne Ecclesiae deserantur,  
item ut intelligent omnes, nos non de nostra li-  
bertate, sed de necessarijs articulis discipline dia-  
micare. Ac seruitutem cō modestius feramus,  
quia pretextu libertatis nimium abusi sumus o-  
mnes. Fatendum est, non uulgarem fuisse petu-  
lantiam multorum in turbanda doctrina. Nec po-  
pulus

pulus tantum, sed etiam gubernatores & seniores nimium neglexerunt exercitia temperantiae, utilia inuocationi. Magna fuit in discendo, in inquisitione, & explicatione ueritatis negligentia, nemo curauit inspici Ecclesias & rudiores Pa-  
stores erudiri. Multi Doctores affectibus suis  
nimium indulserunt. Aliqui etiam misauerunt  
intempestive causam Ecclesiae & alia negotia.  
Hec nostra peccata & alia multa commonefacti  
iam præsentibus ærumnis deploremus, & ita fe-  
ramus seruitutem, ut donec possumus prodesse  
Ecclesijs, non discedamus.

Nec propter ea amittitur libertas Christiana, si rectè docebimus. Nam corda scient tales  
ritus non esse cultus Dei, sed alia maiora opera,  
ueram fidem, inuocationem, dilectionem, spem,  
patientiam, ueritatem, confessionem, castitatem,  
iusticiam erga proximos, & alias uirtutes ueros  
cultos Dei esse. Sine hac doctrina, & sine his  
uirtutibus, libertas externa in cibis, uestitu, &  
similibus Adiaphoris non est libertas Christiana,  
sed noua politia gravior fortasse populo, quia  
pauciora vincula habet. Obijcunt autem aliqui  
dictum Pauli: Si quæ destruxi, ea restituo, præ-  
uaricator sio. Non errauit Paulus in destruen-  
do. At in hac nostra infirmitate, cum primum  
ueteres ritus aboliti sunt, magna fuit & docen-  
tium,

tium, & opinionum & locorum dissimilitudo. Aliqui priuatam absolutionem prorsus aboleverant, quod cum non sit recte factum, etiam ante hoc tempus restitu eam optauit. Fateamur nos homines esse, & potuisse quedam temere & incircumspecte dicere & facere. Talia si qua sunt, non grauatum emendemus. Nec restitutio aliorum rituum mediorum prævaricatio est, cum doctrinæ puritas retinetur. Nam qui Paulo obijciebant restitutionem illam, uolebant cum doctrinæ genus mutare, & alijs imponere legem Mosaicam tanquam necessariam. Hic repugnat Paulus: alibi in usu attemperat se ad mores eorum, cum quibus uersatur, & propter Ecclesie utilitatem sua libertate non utitur.

Etsi autem scio multos de hac questione diuiniorem sententiam magis probare, tamen si profutura est seruitus ad hoc, ne amittant Ecclesie uocem doctrinæ, nec onerentur uitiosis cultibus, pia & grauis causa est, cur seruitutem quamvis duram anteferamus alijs consilijs, in qua tamen nec conscientiae uulnerentur, nec inuocatio piorum turbetur. Et quia non leuiter antea nobis dissidia nostra nocuerunt, non moucamus nunc inter nos ipsos certamina non necessaria, sed singuli in alijs quedam boni consulamus, et communione tranquillitati condonemus, et leniamus Ecclesie mœs-

PHILIP. MELANT: 479  
fie mœstiam nostra equitate, quantum possu-  
mus. Ac filiu Dei dominum nostrum Iesum Chri-  
stum oremus, ne sinat extingui lucem uerae do-  
ctrinae et ueram iuocationem. 29. Ianuarij. 1549.

AD AMICVM QVENDAM HÆRENTEM IN DISPU-  
tatione, mota ab Osiandro, in articulo de Iustificatione.

Tuam Epistolam longiusculam accepi, quæ  
fuit mihi iucundissima, teq; oro, ut sèpè &  
multum scribas. De fide teneo, quid te exerceat.  
Tu adhuc heres in Augustini imaginatione, qui  
eo peruenit, ut neget nostram iusticiam coram  
Deo reputari pro iusticia, & rectè sentit. Dein  
de imaginatur nos iustos reputari propter hanc  
impletionem Legis, quam efficit in nobis Spiri-  
tus sanctus. Sic tu imaginaris, fide iustificari  
homines, quia fide accipimus spiritum sanctum,  
ut postea iusti esse possimus impletione legis,  
quam efficit spiritus sanctus. Hæc imaginatio  
collocat nostram iusticiam in impletionem, in no-  
stram munditiem siue perfectionem, et si fidem  
sequi debet hæc renouatio. Sed tu reijsce oculos  
ab ista renouatione, & à lege in totum ad pro-  
missionem & Christum, quod propter ipsum iu-  
sti, hoc est, accepti Deo simus, & pacem consci-  
entia.

entie inueniamus, non propter illam renouationem. Nam hæc ipsa nouitas non sufficit. Imò sola fide sumus iusti, nō quia sit radix, ut tu scribis, sed quia apprehendit Christum, propter quē accepti sumus, qualis qualis fit illa nouitas, et si necessariò sequi debet, sed non pacificat conscientiam, Imò non dilectio, quæ est impletio legis, iustificat: sed sola fide, non quia est perfectio in nobis, sed tantum quia apprehendit Christum, iusti sumus, non propter dilectionem, non propter legis impletionem, non propter nouitatem nostram, et si sunt dona Spiritus sancti, Sed propter Christum, & hunc tantum fide apprehendimus. Augustinus non per omnia satis facit Pauli sententiae, et si proprius accedat quā scholastici. Crede mihi, magna & obscura controversia est de Iusticia fidei, quam tu ita recte intelliges, si in totum removaris oculos à lege et ab imaginatioē Augustini de impletione Legis, & defixeris animum prorsus in gratuitam promissionem, ut sentias quod ex promissione propter Christum iusti, hoc est, accepti sumus, & pacem inueniamus. Hæc sententia est uera, & illustrat gloriam Christi, & misericordie erigit conscientiam. Ego conatus sum eam in apologia explicare, sed ibi propter aduersariorum calumnias non sic loqui licet, ut nunc tecum loquor, et si recipsa idem dico. Quo modo haberent conscientiæ pacem & certam spem,

Si deberent sentire, quod tunc demum iusti reputemur, cum illa nouitas in nobis perfecta esset? Quid est hoc aliud, quam ex lege, & non ex promissione gratuita iustificari? In disputacione illa dixi, quod trahiere iustificationem dilectioni, sit trahiere iustificationem nostro opere. Ibi intelligo opus factum a spiritu sancto in nobis. Fides autem iustificat, non quia est nouum opus spiritus sancti in nobis, sed quia apprehendit Christum, propter quem sumus accepti, non propter dona spiritus sancti in nobis. Si cogitabis ante revocandam esse ab Augustino imaginationem, facile intelliges causam, et spero te ex Apologia nostra aliquo modo adiuuari, etsi de tantis reb. cautè loquor, que tamen non intelligentur, nisi in certaminibus conscientiæ. Populus omnino debet audire prædicationem legis et poenitentiae. Sed interim haec uera Euangelijs sententia non est prætereunda. Queso ut rescribas, an tibi satisfactum sit in hac epistola de tua questione. Phil: Melant:

## HISTORIA COLLOQVII VVORMACIÆ, INSTITV- ti Anno 1557.

**A**NNO 1557. mense Augusto, postquam in urbem Vangionum uenimus, antequam in-

I i coaren-

coarentur congressus cum Pontificijs, legati  
Principum nostrorum uocauerunt concionato-  
res missos ad doctrinæ explicationem, & uisse-  
runt paratos esse, cum à præside ad congressum  
cum Pontificijs uocarentur, & hortati sunt, ut  
perspicue & modestè doctrinam Ecclesiarum  
nostrarum exponerent. Hac communi adhorta-  
tione proposita, Legatus ducum Saxonie fra-  
trum Basilius, longam orationem habuit, cum  
multi post bellum doctrina corruptelas recepi-  
sent, Primum rursus constituendam esse concor-  
diam inter nostros congruentem ad confessio-  
nem Augustanam, & articulos Smalcaldicos.  
Deinde Sneppius prodijt dixit se mandata habe-  
re à suis Principibus, ut de articulis communi  
consensu condemnationes fiant.

{ Primum, damnados esse Cinglianos.

{ Secundo, Osiandri doctrinam.

{ Tertio, Propositionem, quæ dicit, Bona  
opera necessaria esse ad salutem.

{ Quartu, Lapsum eorum, qui Adiaphora  
recepissent.

Respondit PHILIPPVS, si condemna-  
tiones faciendæ essent, articulos scribendos esse,  
qui de tantis rebus explicatè dicant, quid assue-  
randum, quid improbandum sit. Nec in primo  
articulo Cinglianos damnados esse, sed etiam  
Pontificios, qui horribilia idola in Ecclesiam in-  
uexer-

uenerunt, & adhuc stabilium in depravatione Sacramenti. De secundo articulo extare nostra scripta, quibus perfficue refutatur Osiandri doctrina. De tertio, non refragari se ipsis, dixit, sed tamen articulum scribendum esse, ut scatur, quæ forma loquendi retinenda sit. Etsi enim placet, omitti formulam, Ad salutem: tamen retinendas esse has propositiones: Noua obedientia necessaria est eo ipso, quia creatori rationalis creatura debet obedientiam. Item, Clamores Antinomorum impios esse, qui uociferantur renatos retinere Spiritum sanctum, & iustos esse fide, etiam si perseverent in sceleribus contra conscientiam. De quarto dixit, crimen falsi ab Illyrico commissum esse in editione scripti Lipsici, & se iudicium præsentibus legatis de toto illo negotio permittere. Fateri se dedisse consilium, ne Ecclesiæ desererentur propter uestem lineam, & festorum & lectionum ordinem. Sed alia multa affingere falsa Illyricum. Libenter etiam se ab futurum esse dixit ab ipsorum congreßibus, si fuerit reiectus à Flacianis.

Deinde dixit etiam, cum uenissent ad faciendas condemnationes, articulos formatos fuissent adferendos, ut ceteri de eis deliberare possent. Addidit etiam nos paucos esse, & magnum periculum esse, si nos pauci conderemus articulos, cum tanta sit multorum rabies in reprehensione.

dendis alijs. Idem postea Sneppius dixit, nos paulo  
cos esse, nec sine periculo articulos scribi posse.

Brentius plura de Osiandri controuer-  
sia dixit, se de doctrina prorsus nobiscum sen-  
tire. Sed Osiandrum à se non condemnari,  
quia aliter intelligeretur, quam sensisset. His  
responsionibus auditis Legati re deliberata  
responderunt, Quia missi essemus ad defensio-  
nem Ecclesiarum nostrarum aduersus Pontifi-  
cios, nunc nos debere in communi causa con-  
iunctos esse, nec faciendam esse distractionem. Il-  
las igitur controuerfias inter nos differendas es-  
se ad Synodum nostrorum. Idem Elector Palati-  
nus scriptis literis ad omnes legatos petuit, ad  
quem tamen accesserant aliqui antea, ut cum  
contra nos incenderent. Hæc inter nos acta  
sunt, antequam Preses nos uocauit. Non multò  
post à Præside uocati sunt collocutores utriusq;  
partis. Hic rursus mota est contentio de con-  
demnationibus faciendis initio congressum.  
Petuerunt legati, ne initia communis colloquij  
hac re turbarent, quia postea in singulis articu-  
lis, & quidem rebus explicatis, liberum singulis  
futurum esset dicere suas sententias, & addere  
condemnationes ut uideretur. Post longam al-  
tercationem decursum est eò, ut condemnatio-  
nes isti exhiberent legatis nostrorum Princi-  
pum. Ita uideri satisfactum mandatis, que ha-  
berent.

berent. Dictum etiam fuit illustrissimum Ducem Iohannem Fridericum hac exhibitione contentum esse. Quia cum eo cæteri Principes ea de re locuti erant, cum esset in vicinia. Exhibitæ sunt igitur legatis nostrorum Principum illæ condemnationes. Deinde simul ad colloquium cum Pontificijs accessimus, & uidebatur inter nostros omnes dulcis concordia esse. In publicis congressibus exordia erant placida. Hortabatur nos Praeses, ut modestè conserremus sententias, & ad concordiam mentes & uoluntates flecteremus. Deinde promissio facta est, ne disputata spargerentur in publicum. Deinde de modo procedendi deliberatum est. Ibi nos proposuimus duas vias. Priorem, quæ inter doctos & bons utilissima & expeditissima esset, ut candidè & placidè conserremus uoce sententias, & argumenta, & cum de aliqua materia inter nos constitutus esset consensus, mox articulus unicus de ea re scriberetur, ubi non conueniret, duo articuli scriberentur. Ita Senatum Imperij facile posse agnoscere, de quibus rebus consensus esset, & de quibus reliquæ essent controuersiae. Hac uia si non uellent uti, sed mallent certare scriptis, nos non grauatum etiam scriptis acturos esse, etiam si tale certamen futurum esset multò longius collatione, quæ uoce fieret. Placuit & Præsidi uia prior. Sed Pontificijs contenderunt,

1 i 3      ut scri

ut scriptis certaretur. Non recusauimus & quidem beneficium nobis tribui diximus. Ventum est igitur ad certaminis initium, quod fuit splendidum & iucundum. Prima disputatio hec fuit. Cum necesse sit in Ecclesia iudicia esse, oportere & normam iudicii esse certam & non ambiguum. Hanc normam Pontificij constituebant perpetuum Ecclesiæ consensum. Nos in responsione primum repetivimus usitatam hanc commemorationem. Nos amplecti scripta Prophætica & Apostolica, & Symbola, & sentire eam doctrinam comprehensam esse in Confessio-  
ne nostra Augustæ exhibita Carolo V. Imperato-  
ri Anno 1530. & ab ea Confessione nos nec discedere, nec discessuros esse, & reiçere omnes  
seculas, & opiniones, pugnantes cum ea Confes-  
sione, & nominatim Anabaptisticas, Sacramen-  
torum depravatores, Seruetum, Stenckfeldium,  
& Thammerum. Reiçere etiam Synodi Tri-  
dentinæ decreta & Interim, deniq; omnes cor-  
ruptelas cum confessione illa pugnantes. Affir-  
mauimus nos Dei beneficio & esse Ecclesiæ  
membra, & Deo iuuante, semper Ecclesiæ cives  
mansuros esse. Deinde ad disputationem acces-  
simus. Sentimus nos quoq; oportere in Ecclesia  
iudicia esse. Sed non admittimus iudicem con-  
sensum illum, de quo ipsi loquuntur, qui non  
est perpetuus, sed est consuetudo Pontificia, in  
qua

qua multa contraria uetus statim recepta sunt. Volumus autem normam esse iudicij scripta Prophetica & Apostolica & Symbola. Illi contraria contendebant cum scripta Prophetica & Apostolica sint ambigua, anteferendum esse consensum illum, tanquam interpretem non ambiguë loquentem. His refutatio à nobis instituta est, & dictum de utraq; parte, de certitudine Prophetici & Apostolici sermonis. Deinde de hoc argumento, perpetuus consensus sit norma. Consuetudo Pontificia est perpetuus consensus. Igitur consuetudo, quām ipsi nominabant perpetuum consensum, sit norma. Plura hic de minore diximus, quia est magis perspicuum κριώματος. Certum est multas opiniones contra ueterem doctrinam, & multa decreta contraria ueteri Ecclesiae recepta esse à Pontificijs. Manifestum est igitur, consuetudinem Pontificiam non esse perpetuum consensum. Decretum de cælibatu, in uocatio mortuorum hominum, circumgestatio panis sunt ignota uetus statim. Si ueterem Ecclesiam sequerentur, statim abolituros esse multos uiciosos cultus. Anteferendam igitur normam certam, scilicet, scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. Sicut & in singulis pījs fides nūtitur, non consuetudine, aut Synodorum decretilis, sed nūtitur uerbo Dei, iuxta dictum: Lucea pedibus meis uerbum tuum. Idem fiat &

in dijudicatione doctrinarum. Cauillatio de  
ambiguitate Deum contumelia afficit, quasi do-  
ctrina ab eo tradita sit præstigatrix. Plerunq;  
to p̄trop exp̄s̄e dicit, quid sit sentiendum. St-  
cubi est obscuritas, sumitur ex collatione mem-  
brorum d̄iávoia firma & consentiens Decalo-  
go & Symbolis. Nec nos aspernamur ueteres  
scriptores, sed dicimus, Ecclesiam audiendam es-  
se ut doctrinem: Fidem uero niti uerbo Dei, &  
considerare, an Ecclesia docens retineat uerbum  
Dei. Citatū est etiam à nobis Epiphanij dictum:  
Tà θεῖα ρήματα οὐ πάντα δέρτου ἀλληγορίας,  
ἀλλα τὸ ὡς ἔχει, θεωρίας δὲ δέρτου οὐδέ  
σεως ἐις τὸ ξιδένου ἑκάστης ἵπθετεως δύνα-  
μαι. Deniq; manifestissimum est, anteferri oportet  
dicta diuina non ambigua & consuetudini  
& scriptis omnium hominum. Esse autem in  
Monachorum doctrina & Pontificijs decretis  
multa palam pugnantia cum dictis diuinis, in  
quibus nulla est ambiguitas. Cum autem iniquum  
sit aduersarium constituere iudicem, nos eo ipso  
consuetudinem Pontificiam nolle iudicem esse,  
quia eam tanquam aduersariam præcipue accusa-  
mus. Contrā illi ad conuicia delapsi sunt, nos  
arrogantes esse, quia anteferremus nostras sen-  
tentias uetusisti, & tamen inter nos quoq; dis-  
sensiones esse. Hæc fuit prima oīppæḡis. Postea  
incoata est disputatio de peccato originis, ubi  
cum

cum manifestè absurdā dixissent, excogitatum  
est ab eis consilium abrumpendi colloquij. Ut  
apud Xenophontem quidam de Lacedæmonijs  
dixit, sic cum eis bellum gerendum esse, ut domi  
dissipentur, sicut apes fumo facto sub alueolis  
facile & tutò dissipantur. Sic illi etiam si Xeno-  
phantem non legunt: tamen hoc consilium in-  
uenerunt, petunt fieri tunc statim multas con-  
demnationes, Cinglianorum, Osiandri, Illyrici.  
Respondi modestè, in his materijs opus esse ex-  
plicatione, & explicazione facta in singulis ar-  
ticulis, ordinè nos addituros esse condemnationes,  
quia nudæ futuræ essent ambiguæ. Hac ex-  
cusatione rejecta, illi non desinunt petere con-  
demnationes. Hic collegæ nostri, qui antea con-  
demnationes exhibuerant legatis nostrorum  
Principum, illas ipsas etiam uolunt aduersarijs  
publicè recitari. Dehortantur eos nostri. Scri-  
pseram tamen ego condemnationes, in quibus  
expressè comprehenderam omnes istas, quas col-  
legæ isti proponi uoluerant. Condemnaueram  
etiam adiaphoristica ut nominant, ne impediui-  
se mea causa dicerent, quæ flagitabant illi,  
qui hæc proponebant, cum tamen mendacia ab  
Illyrico sparsa de me & alijs præstantibus uiris,  
quorum aliqui mortui sunt, minimè agnoscam,  
Sed fateor hoc me consilium dedisse nostris &  
Francicis Ecclesijs, ne propter mutationem ri-

tuum non impiorum suo genere, desererent Ecclesiæ. Malui enim hanc plagam accipere pa-  
cis studio quanquam innocens, quam uideri de-  
fuisse publicæ cause contra aduersarios, cum à  
mandatis, que adferebant, sibi discedere non  
licere toties quererentur, & testatus hoc esse  
antea, ac tunc quoq; testarer. Sed Brentius Os-  
andrum nominatim taxari noluit. Hic collegæ  
nostræ suas econdemnationes adferunt ad Ponti-  
ficios, quia nostri eas publicè ab eis recitari no-  
luerant, ac postea domum redeunt. Hac distra-  
ctione facta nolunt Pontificij collocutores pro-  
cedere. Nos petimus ut procedatur. Interrogato  
Rege Ferdinando, mandata mittuntur, ut pro-  
cedamus, & scribit Rex, satis esse, si ordinè in  
singulis articulis re explicata addamus condem-  
nationes. Sed Pontificij collocutores ne quidem  
iubente Rege, & hortante Präside procedere  
uoluerunt. Nos opposita protestatione con-  
fessionem repetiuimus, ut consensus eorum con-  
spiceretur qui manserant, & petiuimus ut pro-  
cederetur. Permisimus etiam, ut à quo uellent  
articulo rursus initium facerent. Sed cum Pon-  
tificij manerent in sua sententia, & aliqui  
discederent, & Präses diceret, se non posse eos  
cogere, nos Präsidii gratias egimus, quem fuisse  
æqualem fatemur, ac aliquantò pôst etiam ex ur-  
be Vangionum discessimus. Hanc simplicem nar-  
ratio-

*ratiōnē ueram esse multi norunt, qui delibera-  
tionibus interfuerē.*

AD SENATVM INCLY-  
TÆ V R B I S H A M=

B V R G I.

S. Honestissimi uiri, prudentia & uirtute præstantes. Etsi multæ aliæ ærumnæ nos non leuiter excruciant, tamen cum Ecclesiam uestram intuemur, quæ uelut exemplum inter cæteras fulget, & quam ualde diligimus, & ueneramur, etiam hoc dolore afficimur, quod inter aliquos istic dissensio orta est. Oramus igitur Filium Dei custodem Ecclesiæ suæ, ut nos omnes regat, & ut Samaritanus fauicio uiatori opem tulit, ita ipse quoq; languidum corpus Ecclesiæ suæ foueat, sanet, & seruet. Intelleximus autem tria membra esse literarum uestrarum, significari uultis, an probemus incoatam formam procedendi in proponendis articulis. Deinde, quæ sit nostra sententia de ipsa controuersia. Tertiò, si institutam inquisitionem aliqui defungunt, quid contra eos statuendum sit, aut quid aliud agendum uideatur.

Primum autem uerissimum est, pertinere ad curam Senatus, ut Ecclesia recte doceatur, et ne dissidia serantur. Ideo quod instituta est delibera-

liberatio de restituenda concordia, Senatus p̄ic  
& recte facit. Sed optaremus non tām multos  
articulos propositos esse, quorum aliqui magnas  
& difficiles disputationes parerent, si agitaren-  
tur.

Quod deinde flagitatur nostra sententia.  
Etsi sēpē hac de re & Reuerendum uirum D.  
Lutherum loqui audiuimus, & legimus ipsius  
& aliorum scripta, & in qua sententia acqui-  
escendum sit, cogitauiimus, tamen nunc mota con-  
trouersia, scripsimus ad alios quoq; quorum ex-  
pectamus sententias, ut collatis iudicijs inter-  
plures, unam consentientem sententiam mittere=  
mus, ne postea diuersitas hæc dissidium inflam-  
maret, & spargeret in alia loca. Et non solum  
quid sentiamus ostendendum est, sed etiam ad-  
denda sunt testimonia, et argumenta, quod nunc  
subito fieri non potuit. Quām contanter autem  
accedat ad hunc articulum Reuerendus D. Lu-  
therus in enarratione Geneseos, pagina T. & in  
concone Torgensi, considerasse uos existima-  
mus. Tantum ad uictoriam Filij Dei cum accom-  
modat, cætera significat nō inquirenda esse. Vicit  
omnino filius Dei dolores inferorum, Sed Psalmi  
ostendunt dolores inferorum non restringendos  
esse tantum ad tempus post animæ separationem.  
Horrendam illam consternationem, & sensum  
ire Dei etiam in hac uita aliqui degustant, ut sci-  
tis,

tis, in qua lucta spiritus interpellat pro nobis genitibus inenarrabilibus. Sed dolor ille singularis in Filio Dei, qui integrè tulit, & sensit magnitudinem iræ Dei aduersus nostra peccata, longè maior fuit, quam unquam in ulla sanctis. Nec magnitudo eius aut comprehendendi aut sustineri ab hominibus aut angelis posset, ut ipse ostendit sudans sanguinem, & clamans in cruce, Deus, Deus meus &c.

Retineri autem oportere hunc articulum de descensu, iudicat Reuerendus D. Lutherus, etiam si ad uictoriam tantum referatur, quo contineatur destructam esse tyrannidem Diaboli, & inferorum, hoc est, liberatos omnes, qui credunt in Christum, à potentia diaboli & inferis, iuxta hoc dictum, Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Et hanc uictoriam certo modo Filius Dei diabolis ostendit, & non dubium est, Diaboli sensisse suam potentiam ab hoc uictore fratram esse, & uerè caput Serpentis à Semine mulieris contritum esse. Et quidem à Semine mulieris, à Christo Deo & Homine, & inter signa uictoriae fuit resuscitatio multorum mortuorum. Hac interpretatione ille contentus fuit, sed alias de ipsa controuersia copiosius scribemus.

Nunc de tertio membro. Cum constet tantum esse dissensionem de cruciatibus animæ Christi post separationem, oramus deinceps, non urgerti

geri inquisitionem particularem ad artículos illos, nec queri inde occasionem alterutros ei= ciendi. Sed hoc damus consilium. Cum ipse Re= uerendus D. Lutherus hanc quæstionem de pœ= nis animæ Christi post separationem non dux= rit mouendam esse, mandetur utriq; parti, ut expectent aliorum etiam iudicia, ac interea in concionibus, scholis, eut alijs publicis congresſi= bus omittant mentionem huius quæstionis in u= traq; parte: Nec interea aboletur articulus, De= scendit ad inferos, Sed retinetur, ut supra di= ctum est, Tantum inquisitio eius particulae omit= titur de cruciatibus separatæ animæ apud infe= ros, cuius partis inquisitionem nec D. Lutherus necessariam esse iudicauit.

Hanc nostram responſionem simplicem, & optimo studio scriptam, ut boni consulatis, uos etiam atq; etiam oramus. Verè autem affirmare possumus ualde diligè à nobis & Ecclesiā & ciuitatem uestram, & ipsos doctores Ecclesia= rum uestrarum, quos omnes scimus esse uiros ho= nestos, eruditos, & Deum uera pietate colentes. Nulla nobis cum quoquam similitas est, sed since= ra est erga omnes benevolentia. Nec in his tantis miscrijs nostris indulgere ullis affectibus priua= tis uelimus. Quare nihil odio cuiusquam, nihil in ullius gratiam scriptum est, nec ledere quen= quam nostro præiudicio, aut damnare uoluius, sed

sed simplicissime, & candidissime exposuimus,  
quid & uestræ Ecclesiæ, & alijs Ecclesijs pro-  
futurum esse uideatur. Quando etiam in nostris  
Ecclesijs proponitur enarratio Symboli, ut sepe  
fieri necesse est, in articulo de descensu ad inje-  
ros studio cauemus, ne quis prægrauare quen-  
quam apud nos uideatur. 1559. P. M.

## AD PHILIPPVM GLV=

EN SPIES, DE MORTE IO=

annis Reineck ciuiis Mansfeldensis.

**T**anta fuit uirtus, tanta prudentia, & in  
omni officio moderatio, temperataq; hu-  
manitate grauitas in socero tuo, ut suspicerent  
eum ac amarent omnes boni uiri, quibus notus  
fuit. Ego itaq; etsi ei propter beneficia, que in  
me propriè contulit, plurimum debebam : tamen  
ad eum amandum multò magis admiratione uir-  
tutis ipsius rapiebar, quæ erat excellens in omni  
genere. Pectus erat plenum pietatis, & ardebat  
studio Euangeli C R I S T I. deinde ingenui-  
tas summa erat, cumq; unus longè uinceret  
omnes prudentia, ac diligentia, tum à fucis,  
& sophistica longissime aberat, & ueritatem  
in omni sermone, atq; actione lucere uolebat.  
Nec morum æquabilitatem maiorem in ullo  
uidi, & illam mediocritatem, in qua collocat  
Aristoteles uirtutis decus, colebat sanctè. Emi-  
nebat

nebat in eo singularis grauitas, que tamen sine  
morositate erat. Iram, atq; odium moderaba-  
tur ita, ut quanquam natura acer, & minimè  
lentus esset, tamen affectibus illis nunquam la-  
xaret frenum. Ac mihi non raro uenit in men-  
tem cogitanti de ipso tales fuisse Atticos, quo-  
rum in hoc genere moderatio maximè prædica-  
tur. Quid de cæteris? Rempub: nōrat optimè,  
& amabat, & defendebat magno suo cum pe-  
riculo. Familiam gubernabat singulari comitate,  
ac patrio animo suos omnes complectebatur. Li-  
beralitatem exercuit erga Rempub: Ecclesiā, ci-  
ues inopes, ac præcipue scholasticos egentes, &  
ut uita erat castissima, ita sermo nihil habebat  
obscenitatis. Nec in secundis rebus insolescet,  
aut exultabat, nec in aduersis frangebatur.  
Cumq; uidisset in Repub: nouas tyrannides con-  
stitui, & prospiceret magnam rerum mutatio-  
nem, tamen erigebat ipse se, & non succum-  
bebat dolori, occurrebatq; illis malis singulari sa-  
pientia. Talem uirum quis non doleat extin-  
ctum esse? Quis non lugeat eius interitum tan-  
quam publicum damnum? Nobis uero tali ami-  
co erepto, quid potuit accidere tristius? Quare  
mi Philippe, magnum dolorem socii tui mors  
mihi attulit. Cumq; ad cæteras meas miseras,  
quibus hoc tempore excrucior, etiam hic lu-  
cias accesserit, uix me sustento, colligendis ijs  
consol

consolationibus, quæ diuinitus traditæ sunt, &  
in eruditorum disputationibus proponuntur.  
Cumq; de socero tuo cogito, tuam etiam uicem  
dolco, uenitq; mihi in mentem, quantum oneris  
iam accedat ad cæteras tuas curas atq; ærumnas.  
Et si autem consolari te debebam, tamen hoc tem-  
pore scribere plura non poteram, & tibi nota  
sunt ca, quæ in sacris literis & in Philosophia  
traduntur. Illa autem una ratio maxime moueat  
nos ad moderandum luctum, quod scimus non  
casu nasci homines, aut extingui, Deoq; uocanti  
nos ex hac uita parendum esse. Deinde sperare  
debemus, sacerum tuum tam uersari in illa æter-  
na sede cum Christo, cum beatis angelis, & san-  
ctis cæteris, quorum consuetudine & sermoni-  
bus multò magis delectatur, quam rebus huma-  
nis. Nec longo interuallo nos antecedit. Breui  
igitur eo fruemur, & fruemur iucundius quam  
antea. Bene uale.

MARCHIONIS BRAN<sup>z</sup>  
DE BVRGENSIS ELECTO-  
ris ad Sigismundum Poloniæ  
regem Epistola.

S Ereniss. atq; inclyte Rex, & carissime pater,  
cum scirem Regiam dignitatem uestram ut  
Kk cæteris

cæteris heroicis uirtutibus, ita & amore Christianæ pietatis ac ueritatis excellere: non dubitauit ad eam de mea uoluntate scribere, me pio consilio, & ea moderatione quæ Christianum Principem decet, in Ecclesijs mæditationis quædam manifesta uitia correcturum esse. Qua in re non populi affectibus aut alienis exemplis moreor, sed existimo ad corum officium pertinere, qui præsunt, inspicere Ecclesiam, præsertim tali tempore, cum dissensionibus motis præfici idoneos doctores necesse est: & ratio ineunda est, ut ueris modis autoritas religionis & disciplina retineatur. Eaꝝ moderatione uti decreui, ut non solum nihil contra Catholicam Ecclesiam Christi sententiam recipiam, à qua nulla unquam uis me auellet, sed etiam ne quid autoritati Episcoporum detrahiam.

In hanc sententiam cum Germanicè ad R. V. D. nuper scripserim, fortasse quidam durius interpretati sunt literas, nec satis exposuerunt R. V. D. consilij mei rationem. Quare accidisse iudico, ut paulò alter quam expectaram responderetur. Cum autem R. V. D. ea pietate amare & colere perpetuò decreuerim, quam filius optimo debet patri, maximè cupio cùm reliquam uitam meam, tūm uero et consilia mea in Repub. R. V. D. probari. Itaq; duxi copiosius R. V. D. exponendam esse meam mentem, & purgandam incon-

inconstantiae aut mutati iudicij suspicionem.  
Proinde rogo, ut hanc meam Epistolam paterno  
animo R. V. D. legat, sibiq; persuadeat, me ab  
officio filij nunquam discessurum esse. Semper  
ita sensi, nullum esse maius decus, quam in uera  
religione, ueroq; cultu Dei constantiam. Quæ  
sententia sic est infixa animo meo, ut non simu-  
latis aut fucosis officijs, sed uerè colendam esse  
Christianam pietatem semper statuerim. Quare  
non raro deploro Ecclesie morbos cùm ueteres,  
tum nouos, & ardentissimis uotis emendationem  
optauit.

Nec enim negari potest, quosdam etiam ue-  
teres morbos in Ecclesia herere. Disciplina ue-  
tus laxata est, multe superstitiones in tanta Pon-  
tificum negligentia & Pastorum insciitia rece-  
ptæ sunt. Non nihil etiam præsentes discordiæ  
concusserunt Ecclesiam. Ego igitur hactenus  
eam grauitatem præstiti, ut nec abusus proba-  
rim, aut crudeliter defenderim, ut faciunt alij:  
nec fanaticis opinionibus in mea ditione locum  
præbuerim. Habeo utriusq; rei honestam, gra-  
uem & piam causam, nec muto hoc iudicium.  
Cumq; uideam opus esse, ut sanctiatur disciplina,  
& præficiantur Ecclesijs boni Doctores, su-  
scipi eam curam, ut sciat populus in tantis di-  
scordijs, quid amplecti, quid fugere debeat. Qua  
in re quedam in utraq; parte ita moderor, ut à

Catholica Ecclesia Christi non discedam, nec de autoritate Episcoporum quidquam detraham. Nam nisi aliquid moderari uelim, manifesta flagitia probanda essent, & iniusta seuitia exercenda: quorum utrumq; ab ijs alienissimum esse debet, qui uerè, non simulatis aut fucosis officijs religionem colunt. Hæc cum ita sint, spero me constantiam præstare dignam bonis uiris, & uerè amantibus religionem. Nusquam enim discedam à scopo, uidelicet à sententia Catholice Ecclesie Christi.

Quod uero mihi exempla quorundam uicinorum Principum proponit R. V. D. qui multam mutationem admiserunt: sèpè cum illisipsis de tota religione collocutus sum. Idemq; uterq; operabat, ut æquitate Pontificia restitueretur Ecclesiarum concordia, emendatis quibusdam abusibus. Sacer meus etiam paulò ante mortem grauiß. de ea re deliberationes habuit. Videbat enim solitudinem fieri in Ecclesijs suis, nisi uellet iniustam seuitiam exercere: à qua abhorrere eum, ut erat iusticie amans, animaduerti. Nec moderationem illam iudicabat esse aut secessionem ab Ecclesia, aut sejunctionem ab ijs qui præsunt, aut à reliquo nomine Christiano. Quare existimet R. V. D. me non ita in hanc causam ingressum esse, ut aliorum bonorum Principum iudicia aut exempla non attenderim. Si qui autem fortasse

afpe-

afferiores sunt, ut esse non multos uidemus,  
qui sine discrimine omnes abusus, omnia errata  
immanitate suppliciorum stabiliunt: horum ex-  
empla nec ante secutus sum, nec unquam imitan-  
da esse duxi. Nec profectò consensum Ecclesiæ  
conspirationem esse, ad iniustum fœnitiam exer-  
cendam, unquam existimau. Quare etiamsi le-  
nior alicubi videor, non propter ea uel ab Eccle-  
sia, uel à reliquo nomine Christiano disiunctus  
sum. Nam & uerum consensum Catholice Ec-  
clesiæ Christi amplector, qui extat in scripturis  
Apostolicis, in ueteribus canonibus & probatæ  
fidei scriptoribus, & pollicitus sum me Synodo,  
si quando ritè conueniret, non defuturum esse.  
Nec desunt mea officia ulla in re communi tran-  
quillitati. Nec fortunas tantum meas ad societas  
tem defensionis Christiani orbis, sed etiam ope-  
ram in re militari contuli antea, & adhuc offe-  
ro. Nec à me ipse discedam, neq; unquam uolun-  
tatem hanc mutabo. Quare si uoluptati fuit R.  
V. D. antea mea coniunctio & affinitas, quam  
quidem mihi dulcis. & honorificam esse profi-  
teor: spero hanc quoq; meam uoluntatem per-  
petuò iucundam R. V. D. esse debere, que sem-  
per habebit (Deo dante) generum amantem  
Christianæ religionis, & concordiæ Ecclesiasti-  
ce, tuentem consensum Catholice Ecclesie Chri-  
sti, synodis assentientem, abhorrentem toto pe-

Etore à fanaticis opinionibus, damnatis iudicio Ecclesiæ Catholice Christi gerentem arma pro communi nomine Christiano. An qui sic affectus est, accusari poterit desertionis Ecclesiæ? Aut illi uidentur potius coniuncti Ecclesiæ, qui sine ulla ueteri autoritate receptos abusus defendunt, ignotos ueteri Ecclesiæ: qui Neronianam sauitiam in pios exercent? Nos non uidemur, qui non nullo cum periculo tuemur uerum Ecclesiæ consensum: qui populo ueros cultus proponi curamus, & ab iniusta sauitia abstinemus. Spero planè iudicium & R. V. D. & Synodi nobis æquius fore, quam ut moderationes & lenitatem nostram improbet. Quod uero horatur R. V. D. ut expectem Synodum, fateor me hæc consilia aliquandiu Synodi expectatione distulisse. Quid enim communi concordia optatus esset? Sed hanc moram Ecclesiæ expectare non possum, que interea disparentur, & in solitudinem ac uastitatem redigerentur, si eas non constitucemus. Explorata mihi est uoluntas Caroli Imperatoris, Domini nostri clementiss. quem scio magna contentione à Clemente & Paulo III. petuisse, ut quamprimum Synodus haberetur, & rite cognitis rebus concordia constitueretur. Sed Pontifices non ualde appetunt synodos, & fortasse Regum iudicia non sine causa metuunt, sed tamen si qua erit alicubi

Syno-

Synodus, non deerit ei meum officium. Habet R. V. D. meam purgationem, & perpetuæ uoluntatis testimonium. Illa pars Epistolæ maiorem etiam dolorem nobis attulit, quæ queritur nos rem indignam à R. V. D. petijisse, ac uidemus eam partem non in eam sententiam intellectam esse, in quam à nobis scripta est. Nos semper, etiam ante hanc nostram affinitatem, laudare magnitudinem animi & constantiam R. V. D. soliti sumus, quam postea multò magis prædictauimus. Sed scio etiam R. V. D. ad hanc uirtutem adiunxisse alias multas, bono Principe dignas: amorem uirtutis, Christianam pietatem, iusticiam, clementiam: propter has uirtutes libenter meum consilium significavi R. V. D. ac spero, eam non improbaturam esse hanc meam uoluntatem in moderandis abusibus quibusdam, ob illam grauiissimam causam, ne dissipentur Ecclesie nostræ. quod futurum esset, si manifesta uitia defenderentur. Cum autem cupiam consuetudinem carissimæ coniugis mee tecum suauissimam esse ipsi, quæ semper fuit & Deo dante, futura est perpetua, petui ut ei consilium nostrum exponeretur, quæ quidem ita mores meos habet perspectos, ut sciat me et religionis studiosum esse, & abhorrere ab iniustis consilijs. Cumq; in hoc nostro coniugio celebrari etiam Deum cupianus, sèpè preces coniungimus, sèpè

de diuinis mandatis, de spc uitæ æternæ, de beneficij Christi colloquimur: in his sermonibus etiam pietas ipsius mihi magno solatio est. Si quis autem amet ritus, his suo arbitrio uti potest. Nam mihi maximæ curæ est, ut nostrum coniugium utriq; iucundum sit, & salutare: & Deum oro, ut utriusq; mentem gubernet ad suam laudem. Oro autem & obtestor R. V. D. ut hanc nostram commemorationem boni consulat: & ut paterno amore nos complexa est, ita nunquam finiat animum tuum ab alienari. Nos uicissim pietatem, quam filius optimo patri debet, summa fide præstabimus: ac ualde rogamus, ut R. V. D. mittat aliquem huc, cum quo copiosius de his rebus colloqui possem, qui exponat coniugi meæ cariss: benevolentiam R. V. D. erga me nihil mutantam esse. Bene ualeat R. V. D. quam Deus duxeret in columem. 1539. Mense Octobri.

IVSTO IONAE, FILIO  
IVSTI IONÆ DO-  
ctoris, S. D.

MAGNA similitudo est legum atq; arti-  
um: ac si uerè iudicare uolumus, leges  
sunt haud dubiè ars quædam regendorum mo-  
rum, & consiliorum uitæ. Quis autem non ui-  
det,

det, quām impatiēter ferant Legum uincula,  
 homines non satis instituti & assuefacti? Quām  
 indignentur ac fremant, uelut carcere, legum  
 minis inclusas cupiditates coērceri? Sicut &  
 apud Platonem Gorgias, eisī non rectē iudicat,  
 inquit, Legem cum natura pugnare. Hæc con-  
 tumacia in iuuentute magis conspici potest, &  
 in barbaris gentibus, quō quæq; est ferocior, cō-  
 minus habet Legum & disciplinæ, & plus sibi  
 sumit licentiæ. Sicut autem affecti sunt animi  
 agrestiores erga Leges, ita uidemus plerunq;  
 adolescentes aliquos rigidioribus naturis prædi-  
 tos, erga artes affectos esse. Etiam cum discunt  
 literas, linguis, historias, religiones, Leges, reme-  
 dia, tamen à præceptis artium ipsarum abhor-  
 rent, hæc uincula sibi iniici non patiuntur, sed  
 quadam barbarica libertate uagantur in doctri-  
 narum campis, & decerpunt paſſim, quantum  
 delectat, artes ipsas neq; ordinè, necq; integrè di-  
 scunt. Nec uero ullo in genere perfecta doctri-  
 na comparari potest hac confusanea discendi-  
 ratione. Atq; hic maximè reprehendendi sunt  
 quidam, qui pueris ipsis odium præceptionum  
 instillant, qui sicut milites illiterati, Gallicè inter  
 Gallos discunt, ita sperant pueros fore Gramma-  
 ticos, sine arte, utcunq; colloquentes cum auto-  
 ribus. Ut autem uulgas gaudet, legum habenas  
 luxari, ita pueris hæc etiā χθεια, dupli ci nomi-

ne grata est. Nam & onere descendit argutias odiosas illi ætati leuantur, & sibi libertatem concedi putant, ne ad præscriptum loquantur. Sed hæc indulgentia etiam si est popularis, tamen est admodum perniciosa. Postquam enim desijt uernaculus usus linguae Latine, nemo certam loquendi rationem sine regulis consequi potest. Itaq; qui præceptiones non didicerunt, paulò post uel erroris sui uel ignauie paenabantur. Postquam enim adoleuerunt, consicij sibi inscitiae sue, nec loqui nec scribere Latine audent. quare alij desperatione quadam in totum abiiciunt literas, alij etiam si commorantur in studijs, tamen iustos fructus ex eis percipere non possunt: quorum utrumq; multis modis nocet reipublicæ. Sedent enim ad gubernacula iudicaturi de religionibus, de iure ac iusticia, de artibus, sine ulla perfecta doctrina: Ne intelligere quidem propriè ea, quæ à doctis citatur, possunt. Ut igitur popularitas & mollities in soluendis legibus præcipua est imperitorum pestis, ita religione præceptionum animos liberari, nequaquam est utile publicis studijs. Et hanc præterilem consuetudinem animaduerto in posterum nocere. Posteaquam semel induerunt contemptum præceptionum in Grammaticis, adserunt deinde similem negligentiam ad ceteras maiores artes: quarum cum leges affernantur,

tur, non solidam doctrinam, sed quandam doctrinæ umbram ex illis auferunt. Non n.earum initia & seriem ordine cognoscunt, sed fortuitò quedam inde sumunt, quæ ad ostentationem, aut mediocrem usum conducere uidentur. Et quia cognatio est legum atq; artium, clabitur animis assuefactis ad contemnendas præceptiones, reuerentia legum, quæ priuatos & publicos mores gubernant. Ita negligentia in re, ut initio uidetur, leui, parit ingens malum. Nam in instituendis ad uirtutem hominibus, præcipue hac diligentia opus est, ut animis inseratur reuerentia erga leges, ut ueras & necessarias uitæ esse ducant, nec priuato arbitrio, sed ad illarum præscriptum mores regendos esse sentiant: sicut Cyrus puer uenustissimè admonetur, iusta esse uestimenta, non quæ ipsi æqua uideantur, sed quæ legibus constituta sunt. Cum enim puer grandiusculus indutus breui tunica, alteri minori uestem longiorem ademisset, data illi breuiore tunica, quæ quadrabat admodum corpori illius, & res ad Cyrum iudicem deferretur, pronuntiat Cyrus, ut quisq; uestem suo corpori aptam teneat. Id enim puerili quadam opinione comodum & æquum esse arbitrabatur. Sed postea pedagogus retractata sententia, dat plagas Cyro, & monet iusta esse, non quæ ipsi uideantur commoda, sed quæ legibus sancta sunt. Præcipua autem

autem lex est, ut suum quisq; teneat, ne in aliorū fortunas quisquā impetū faciat. Ita significauit ille Cyri magister, assuefaciendos esse animos, ut nostris opinionibus et cupiditatib. longē antefaramus legum autoritatem. Quare ubi nō quidam fuerit, teneram etatem flectere ad amandas præceptiones, ut existimet uirtutem esse, frenare ingenium, & ad præscriptum cum loqui tum agere omnia. Illud enim constat, præceptionum contemtu, in ferocioribus ingenij ualde confirmari Cyclopicam audaciam. Et adolescentes ipsos admoneo, ut si quem uiderint æqualium inimicum artibus & præceptis, hanc ut existiment notam esse naturæ immoderatam libertatem concupiscentis, et legum repagula effracturæ. Nullum autem monstrum perinde tetur co-gitari potest, ut talis natura impatiens legum & disciplinæ, seditionis ac tyrannica. Hæc in gene-re præfari uolui de præceptionibus amandis, quæ esse uerissima omnes prudentes uiri testabun-tur, & animadueriti facile possunt, si quis inge-norum naturas considerauerit. Est autem que-dam ad mores & ad multas res necessaria dili-gentia, diuersitatem ingeniorum obseruare. Etsi igitur in artibus descendis non satis est præcepta audire, sed adiungi oportet exempla, imitatio-nem & exercitationem, tamen hoc persuasi-simum sit omnibus, uim magnam atq; utilitatem esse

esse præceptionum. Porrò ut hoc loco tantum de  
hac parte Grammatices dicam, ingens utilitas  
est, tenere certam loquendi rationem, & de na-  
tura sermonis rectè iudicare posse. Errant au-  
tem tota uia, & toto cœlo, si qui putant hæc si-  
ne preceptis quenquam consequi posse. Idq; fia-  
teri res ipsa tandem cogit eos, qui omissis præ-  
ceptis, ex sola autorum lectione iungere uerba  
didicerunt. Deinde etiamsi ad quotidianum col-  
loquium satis formularum suppeditat lectio,  
quid facient, si longior causa explicanda  
erit? Quomodo compositionem illam periodo-  
rum, & totam seriem membrorum in oratione  
intelligent, nisi omnem rationem Syntaxeos pro-  
bè cognouerint? Postremò obscuras aut uitio-  
sas syntaxes quomodo iudicabunt, nisi adhibitis  
regulis? Nam si tantum exempla querant, oc-  
current uitiosa, quorum pleraq; à rectè dictis  
non possunt sine regula discerni. Porrò etiam  
doctos homines interdum obscuritas, aut noui-  
tas in syntaxi fallit. Nam, ut ex sacris literis ex-  
empla petamus, extat in priore Epistola ad Ti-  
motheum gnome Pauli: Saluator nulier per fi-  
liorum generationem, si manserint in fide, dile-  
ctione, castitate & temperantia. Hic multos fe-  
sellit numeri mutatio, si manserint: Ideoq; dispu-  
tant, quid uelit Paulus, an mater alioqui pia, si fi-  
lii abiecerint fidem, peritura sit ipsa quoq;. His  
intem-

intempeſtiuſis quæſtioneſibus nihil opus eſſe ſagax Grammaticus facile intelliget. Ut enim dicimus: Turba ruunt, ita hic de ſexu loquitur, ſi manſerint, ſcilicet ſexus muliebris. Explicatā ſyntaxi, poſtea cernes, in hac gnome non abſurda aut hyperbolicaſ ſententiaſ contineri, ſed doctrinam de rebus maximis utiliſimam, minimeq; abſurdam. Quæ enim concio grautor & eruditior proponi potest, quam hæc ē ut in ſaluandiſ exiſtere fidem et fidei fructuſ, officia ſuæ cuiuſq; uocationiſ oportet: ita hic Paulus complectitur ſummam doctrinæ de ſalute coniugum hoc dicto, requirit fidem & uocationiſ opera, ſcilicet, officia coniugalia, et caſtitatem. Iam que conſolatio dulcior pijs in coniugio eſſe potest, quam quod audiunt hic officia coniugalia non improbari, aut inter uitia recenſeri, ſed prætantissimiſ uitutib; annumerari, quas Deus approbat, et que exiſtunt in ſaluandiſ. Hæc ſententia pios preclarè munit contra ſuperſtitionem. Hæc utilis doctrina tota iacet obruta deniſiſima caligine, ſi quis ignoret Grammaticam rationem ſyntaxeos. Itaq; hic prodigioſas ineptias Thomas comminiſcitur. Exigua laus eſſe ducitur, non falli in Grammatica, ſed tamen utilitas eſt ampliſima. Accidit enim hic quoq; ut fit, quemadmodum dicitur, δρυς μιτυ παυτος. Animadueraſa enim Grammatica ſententia, poſtea mediocriter doctus

Elus uidere potest, ad quos locos dictum accommodari debeat. Hic si errata syntaxeos in sacris libris uelim recitare, nimis prolixus catalogus futurus esset. Annotavi autem unum atq; alterum. Primum, ut uideant adolescentes, quam necessaria sint ad ueras sententias patefaciendas precepta de syntaxi. Deinde ut his admoniti exemplis, sint in loquendo et iudicando diligenter. In Euangelio Ioannis cap. 8. legitur: τίλιος ἀρχέτιον λαλῶ νῦν. Hic se felliit & interpretem & Augustinum figura constructionis. Nam τίλιος ἀρχέτιον ponitur aduerbialiter, pro particula prorsus, seu primū. Cum enim illi interrogassent CHRISTVM quis esset, respondit, Prorsus is sum, quem me esse dico, quem me esse profiteor. Hæc interpretatio perspicua est. Alij male intellecta particula, τίλιος ἀρχέτιον, legerunt principium quod & loquor uobis: ac disputatione, quare CHRISTVS se nominet principium. Hæc etiam si non sint absurdæ, tamen hoc quidem loco intempestiuæ sunt, & offendunt caliginem reliquo sermoni. In Psalmo legitur: Confirmata hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo tuo, &c. Quantum accedit lucis et gratiæ, si rectè reddatur figura constructionis: Confirmata hoc Deus, quod operatus es propter templum tuum. Orat enim, ut Deus gubernet, adiuuet & confirmet pios, ut propagare doctrinæ.

doctrinam possint: idq; orat fieri propter tem-  
plum ipsius: id est, ut Euangelium ubiq; illuce-  
scat, ut gloria Dei ornetur, & uera Ecclesia  
crescat. Quād dulcis uersiculus est in alio Psal-  
mo: In conueniendo populos in unum, & reges,  
ut seruiant Domino. Hic Grammatici de con-  
structione rixantur, cum sit forma orationis con-  
tra Latinam consuetudinem ex Greco expressa:  
Cum conueniant populi simul & reges, ut ser-  
uiant Domino. Multa enim complectitur, Pin-  
git Ecclesiae concordiam, testatur etiam ad re-  
ges Euangelium pertinere: & hanc curam re-  
gum esse debere, ut populos ad pietatem inui-  
tent: deniq; propter hunc finem homines ad so-  
cietatem esse conditos, imperia constituta esse,  
populos, hoc est, cœtus consociatos esse, & reges  
præpositos, ut ornent gloriam Dei. Hunc finem  
omnes cœtus hominum in imperijs, ciuitatibus,  
familijs, scholis expetere debent. Monet igitur  
Reges, Principes, Ciuitates, Doctores, Patres fa-  
milias, ut cogitent hoc præcipuum esse officium  
suum, ut puram doctrinam ad gloriam Dei con-  
seruare & propagare, & Deo obedire studeant.  
In his exemplis uident adolescentes monstrata  
syntaxi sententias non modo illustiores, sed eti-  
am dulciores redi studiosis. Multas enim ma-  
gnas res antea muolutas syntaxis profert & ex-  
ponit. Scio esse puerile studium, & negotium  
uideri

uideri leue: sed mihi credat adolescentes, non minus prodesse generi humano Grammaticen, ac præcipue hanc partem, quæ est absolutio Grammatices, quam plerasq; alias artes aut professiones, et si de earum dignitate nihil detraho. Magna utilitas & magna laus est Architeclonica, quæ non modò domicilia nobis condidit, sed etiam rationem muniendi magnos cœtus ostendit, que machinas omnis generis, utilissimas moles, naues, portus, aquæductus fabricat. Assentior magnam esse harum rerum utilitatem: sed non minor est utilitas Grammatices. Hæc religium, legum, historiarum, & multarum artium quasi nutricula quedam est. Ideo non solum adhortor adolescentes, sed etiam propter gloriam Dei obtestor, ut diligentiam in discendo adhibeant, quam primum Deo, Ecclesiæ & Reipublicæ debent, deinde quam flagitant parentes, quorum iudicijs obtemperare eos Deus iussit. Hæ causæ discendi inculcandæ sunt adolescentibus, ut sciant sua studia pertinere ad Ecclesiam & Rempub. Nisi Grammaticen rectè didicerint, non poterunt ceteras artes, Ecclesiæ & Reipub: necessarias, tueri. Nec nostra opera deesse his studijs debet. Ideo cum uiderem hunc libellum in manibus esse puerorum, fui autor uiro docto Vito Vuinsemio, ut cum augeret: deesse enim aliæ quæ pueriles regulæ animaduerteram. Prodit

L 1 igitur

igitur locupletatus non modo præceptis, sed etiam exemplis, quorum imitatio ad phrasin conducit. Hortantur autem te domestica exempla ad has artes amandas, quæ ad rectè dicendum necessaria sunt. Es enim natus in oratoria familiâ. Nam tuum tuum audimus summam autoritatem propter eloquentiam & ciuilem prudenteriam in patria consecutum esse, qui, ut illa tempora ferebant, non in doctus fuit, et studiosus in primis, nec decesserat in oratione nerui. Pater uero et si tantum natura ualeat, ut nullius ingenium cognouerim ad eloquentiam aptius, tanta est ubertas, tantus splendor in eius oratione, quæ naturæ bona sunt, tamen illam naturæ felicitatem magna doctrinæ copia etiam instruxit. Horum te accendi exemplis conuenit, ut posses sionem huius laudis in familia retineas. Bene uale.

AD ILLVSTREM ET  
MAGNIFICVM PETRVM  
Perenium Vngarum &c.

**I**llustris et magnifice Domine, Multorum annos haec miserabiles ruine regnum mouent, ut dubitent, an Deo curæ sit Ecclesia, Sed non solum monet Deus discernendam esse suam Ecclesiam à mundi Imperijs, sed etiam inter regnum

rum ruinas mirandis modis eam seruat. Sic ser-  
uauit eam deleta Hierosolyma à Chaldaeis, sic po-  
stea seruauit eam, cum post Cyrum interfectum  
dominarentur Reges inimici doctrinæ Prophe-  
ticæ. Speremus igitur & inter nos mansuram  
esse Ecclesiam perpetuò, etiamsi regna mutan-  
tur, & hac spe moueantur p̄ij Doctores de om-  
nibus Ecclesiæ membris, sicut & Esaias precas-  
tur. Et quanquam magnæ tenebræ paulo p̄st se-  
culturæ sunt, tamen Deus seminaria aliqua ser-  
uabit, ne doctrina penitus extinguitur. Obsi-  
gna, inquit, legem in discipulis meis, id est, men-  
tes confirmā, ut doctrina de hominum salute ad  
posteros perueniat. Hoc uotum decet primum  
& præcipuum esse in omnium hominum pecto-  
ribus, maximè uero gubernatorum. Cum autem  
audiam te etiam inter classica & armorum fra-  
gorem cum iuuocatione filij Dei coniungere  
Euangelij studium, quod fieri necesse est, scripsi  
ad te tanquam ignotus, ac te obiector, ut hunc  
Sigismundum uirum honestissimum, non solum  
in lingua Latina & Græca, sed etiam in doctri-  
na Ecclesiastica præclarè eruditum complecta-  
ris. Simul autem precor, ut in tantis tumultibus  
Ecclesiæ & studiis gentis tuæ omnibus officijs  
foneas, ut Danielem & alios Adolescentes do-  
ctrinæ deditos fouverunt aliqui Principes in ex-  
cidio Hierosolymæ, ut postea illorum uirtute (si x

cut accidit) Ecclesia instauraretur. Non dubito  
 autem paulo post repressa Turcica barbarie De-  
 um in Pannonia Ecclesiæ & studia doctrinæ  
 & virtutis instauraturum esse. Id ut fiat, iam  
 curandum est, ne desint seminaria. Et quicunq;  
 erunt euentus, bona menti magna leuatio est  
 mœsticie tali tempore bene uoluisse Ecclesiæ. Et  
 tamen affirmo, Deo iuuante, hoc studium & hos  
 conatus Ecclesiæ utiles fore, ut Psalmus inquit:  
 Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua,  
 Venientes autem uenient portantes manipulos  
 suos. Labores tui Deo placebunt, etiamsi hoc  
 luctuoso tempore fructus nondum conspicitur.  
 Nec Hieremias uidit suorum laborum fructum,  
 sed posteritas ab ipso seruata uidit, & uidebit  
 ipse cum uniuersa Ecclesia in æterna uita. Idem  
 de fructu nostrorum laborum iam speremus. Oro  
 autem ducem Ecclesiæ Dei Christum, ut prote-  
 gate, regat & iuuet. Bene & feliciter uale-  
 ur fortissime, Anno 1545. Die 27. Martij,  
 quo Filius DEI reuiuiscens ex morte,  
 ostendit se æterna uita & gloria  
 Ecclesiam ornaturum  
 esse.

AD EPISCOPVM AV-  
 GVSTENSEM TEMPORE  
 conuentus Augustani.

Multo

**M**ultò antè intellexi te in deliberationibus  
 de Ecclesiasticis controuersijs moderati-  
 simè loqui. Quanquam autem cupiebam tibi  
 causam nostram commendare, & meam de tota  
 re sententiam exponere, ut melius intelligi pos-  
 sit, me in primis cupidum esse pacis, tamen habui  
 certas causas, quare non ambieverim colloquium  
 tuum, quod fama nostri congressus uidebatur  
 aliquid incommodi habitura, & sic statuebam  
 magnos & sapientes uiros, inter quos merito  
 te numeramus, sua sponte ad beneficiendum esse  
 accensos. Nunc tamen duxi ad te scribendum  
 esse, Primum, ut intelligeres beneficium tuum  
 apud gratos homines collocari. Deinde, ut co-  
 gnitis nostris uoluntatibus negocium fiat faci-  
 lius, præsertim cum iam in extrema quasi agone  
 maximè sit laborandum bonis uiris, ut exitum  
 habeat tranquillum. Principio autem habeo ti-  
 bi gratiam, quantam animo concipere possim  
 maximam, quod hactenus in dicenda sententia  
 violenta consilia repudiasti, & hac uoce mea  
 existimabis tibi gratias agere omnes bonos ui-  
 ros in his partibus. Non enim sunt omnes per-  
 dii aut improbi iudicandi, qui amplexi sunt hoc  
 doctrinæ genus, in quo nos uersamur. Deinde  
 uelim hoc tibi persuadeas de me deq; multis alijs,  
 nos cptare ut pace constituta Episcoporum po-  
 testas sit in columnis, & hanc plurimum prodeſ-

se Ecclesijs iudicamus. Erit igitur clementie Episcopalis, ut nos qui parere non recusamus, seruemur. Atq; ijs rebus relaxatis, quæ neq; fidē lēdunt neq; bonos mores, & quas iam natura terum non patitur mutari, nostri non grauatim parebunt, ac prouidendū est, ne hi, qui iam sunt sanabiles, coniungantur cum deterioribus, si res ad arma deducatur. Quod si accidet, non solum infinitum bellum erit, sed eriam oriētur hereses, que si excitatæ fuerint, nūquam ad omnem posteritatem coire Ecclesiæ concordia poterit. Scio quas opiniones, quām perniciosa dogmata non nulli intra parietes suos contineant, ut per occasionem proferant. Et multum licet improbis tempore belli, præsertim si dux contingat audax, et furioso ingenio præditus. Memisi scriptum esse, Obturans aurem suam à clamore pauperū, & ipse clamabit, et non exaudietur. Hæc res meritò commouere debet bonos viros, ne hominum misérorum preces in tali causa aspernentur. Vobis uero Christus uestræ pietati & clementie premia reddet amplissima: Quemadmodum pollicitus est, Qui dederit potum aquæ etc. Hæc multa tranquillis temporibus caueri possunt, præsertim si Episcoporum autoritas ualeat, & Ecclesia suarum rerum curam suscepit. Quod si pacem impetrabimus, ego de me deq; multis alijs bonis viris pollicor, nos omne studium nostrum ad illu strandam

strādam doctrinam Christianam collatuos esse.  
 Tale seculum impendet, ut nisi transmittatur do-  
 ctrina religionis diligenter & prudenter colle-  
 cta & munita ad posteros, maior confusio reli-  
 gionum secutura uideatur, neq; leues habeo cau-  
 sas, cur hoc metuam. Et hæc cura decet Episco-  
 pos puram doctrinam propagandi ad posteros.  
 Oro igitur propter Deum, qui uobis commisit  
 hoc officium in terris erudiendi alios, ut quod fa-  
 citis, à violentis consilijs dehortemini Principes.  
 Bene uale.

LEONHARDO BEYR,  
 ECCLESIAE CYGNEENSIS PA-  
 stori, & Christophoro Eringio, docenti  
 Euangelium in eadem Ecclesia.

**M**agna leuatio est animorum in omnibus  
 doloribus publicis & priuatis uidere Ec-  
 clesiā oppidi sui trāquillā, quia precipue acqui-  
 escent animi in Inuocatione Dei, quæ, cū discor-  
 die in cōspectu sunt, ualde turbatur & impedi-  
 tur. Cūq; hoc tempore multi propter calamita-  
 tes magno in mœrore sint, maximè curādum est  
 singulis docentibus, ut sua ipsis Ecclesia uelut  
 portus sit, in quam moesti ciues confugientes in-  
 uocatione Dei erigantur. Audiuiimus autem de  
 re non maxima inter uos dissensionem ortam  
 esse periculosam, propter quam facta est magna

accesio ad grauiſſimos dolores, quos alioqui,  
propter multas calamitates publicas sustinemus.  
Etſi autem nihil autoritatis nobis sumimus ad-  
uersus uos, nec imperare quicquam uobis uolu-  
mus aut possumus, tamen & dolorem nostrum  
uobis significamus, & uos oramus propter De-  
um & propter ingentes omnium dolores, ut  
quod uos in hac senecta & grauitate, & in di-  
uino ministerio maximè decet, hoc certamen  
omitatis. Et quanquam uterq; iure se conten-  
dere existimat, tamen iuri uestro utilitatem Ecc-  
lesiæ anteferatis, & pastor desinat plus oneris  
imponere collegæ, & collega ultrò offerat ſe ſe  
propter Ecclesiæ ſubitum esse plus laboris.  
Aut ſi non cedit uterq;, cedat alter, nec ex-  
iftimetis turpe eſſe uinci. Nulla uictoria, nulli  
triumphi ſunt magis digni laude in Eccleſia,  
quam in talibus certaminibus anteferre publi-  
cam concordiam priuato affectui, quod cum uo-  
bis notiſſimum ſit, non eſt opus longa commemo-  
ratione. Existimamus uos ipſos ſepiſſime cogi-  
tare de Filio Dei, qui adeò ſe abiecit in ſe omnes  
homines, ut coram aeterno Patre iacuerit pro-  
ſtratus, & ſuppplex pro nobis, deriuata in ſe  
uera & horribili ira aduersus noſtra peccata,  
perinde ac ſi ipſe ſe noſtris ſceleribus polluiſſet.  
Hanc tantam humilitatem in filio Dei cogitan-  
tes nos quidam expaueſcimus, ac dolemus uos &  
alios

alios interdum uehementius pugnare de autoritate uestra. Cedamus potius de iure nostro, ut cessit filius Dei de suo, & ut ipsi propter Ecclesiam aliqua onera in nos deriuemus, non existimenus probrum esse uideri inferiorem, cum se filius Dei infra nos abiecerit. Hac imagine mortui omnium piorum pectora, non dubitamus. Deinde & tempora cogitate, obruat publica moesticia omnes paruarum rerum contentiones, nec dolores alijs augeamus, nec impediamus nostram & aliorum iuuocationem his rixis, que uariè uulnerant animos. Postremò & hoc cogitate, nequaquam offendendam esse uoluntatem Illustriſſ: Principis Electoris Ducis Saxonie tabibus contentionibus, qui non uult ciuitates in factiones distrahi. Nostro etiam dolori ut paratis, uos etiam atq; etiam rogamus, qui cū etiam alijs temporibus nulla de re, nisi de doctrina pugnandum esse iudicauerimus, nunc in hac moesticia omnium piorum, multò magis ita sentimus, ne in tantis uulneribus Reipub. plus mali oriatur. Quare uos iterum propter Deum, pacis autorem, & cuius haec uox est: Beati pacifici, quia filij Dei uocabuntur, obtestamur, ut toto hoc certamine omisso, tranquillitatem

Ecclesiae uestrae tueamini. Bene

ualete. Die 22. Iunij.

ANDREAE MUSCVLO  
IN ACADEMIA FRAN-  
cofordiensi ad Oderam.

Cum ante duos menses Illustriß: Princeps  
Marchio Elector peteret à uenerando sene  
Cordato, ut gradu Doctorum ornaret te & pa-  
storem Ecclesiae uestræ, dubitantem Cordatum  
precipue hoc argumento confirmavi, ut pro-  
mitteret officium Principi & uobis, quod sci-  
rem te & pastorem uiros bonos, eruditos &  
candidos esse, et recte sentire de doctrina Eccle-  
sie Christi. Ex ijs meis literis ad Cordatum ap-  
paret, me de utraq; benè & recte sentire, de te  
& pastore. Quod cum uerissimum sit, magnum  
acepi dolorem, postquam nunc ex tuis literis  
intellexi, uos & sententijs et uoluntatibus dissi-  
dere. Cumq; in Propositionibus tuis tam atro-  
citer reprehendas totum cœtum concionantium  
in Ecclesijs nostris, quod non dicant de ieiunio  
Ceremoniali, sed tantum de temperantia, cumq;  
de baptismo Ioannis dissentire te ostendis à mea  
qualicunq; explicatione, nihil rescripturus  
eram, nisi id petiisses, ne uiderer aut iracundia,  
aut amore mearum opinionum rixari. Sed quo-  
nam à me petis responsionem, Primum de nego-  
cio dicam. Et si iudico uera esse que scripsi, ta-  
men tecum litigare nunc quidem non uolo: Nolo  
enim

enim augere publicas discordias, & pijs lectoribus permitto iudicium ubicunq; sunt. Quanquam enim citas Ambrosium & Augustinum, tamen certum est, prædicationem pœnitentie in Ecclesia Del, non tantum augere peccata, sed simul annunciare remissionem peccatorum. Verum nolo copiosius persequi meam disputationem, non sum adeò morosus aut Quid aut Quid, nemine ut à me dissentire uelim. Ego quæ collegi doctrina tunc cum magne et multe controuersie motæ essent, & multa ambiguè et nimis confusa dicerentur, simplicit & pio studio collegi, ac iudicium Ecclesiae permitto. Te uero etiam hac tenus dilexi, & adhuc diligo. Nam omnes in hoc dicendi munere coniunctos, qui de summa doctrinæ consentiunt, amicos inter se esse oportere statuo, etiam si in explicatione alicuius rei non planè eadem dicunt. Nam aliis alio dexteris aut commodius aliquid dicit, & bona fide, & quadam Philosophica moderatione amicitiæ colui & colo, ne à me Ecclesiarum nostrarum concordia turbetur. Quod uero attinet ad questionem de ieiunio Ceremoniali, ne hanc quidem causam satis iustum aut dignam esse iudico, ut propter ea bellum inferendum esse putas toti agmini docentium in nostris Ecclesijs. Non iam de re ipsa dicam, sed de parergis quæ admisces, quæ cui theatro grata sint, non obscurum est.

Plaudit

Plaudit in sinum uicinus uester Lebusianus, cum  
audit te penè uniuersum agmen concionatorum  
huius ætatis tam atrociter reprehendere. Non  
docentur homines de Pœnitentia. Credo esse ali= =  
quos, qui nec de pœnitentia nec de fide satis dili= =  
genter & eruditè docent: Nam pauci doctrinam  
de fide & uera Inuocatione intelligunt,  
que multò obscurior est, quam doctrina de Ieiu= =  
nio: sed scias tamen præcipuos & plurimos in  
scriptis & concionibus complecti integrum do= =  
ctrinam, nec de fide tantum, sed etiam de omni= =  
bus necessarijs uirtutibus dicere, quos si tu om= =  
nes damnas, & uocas deteriores idolorum cul= =  
toribus, nimis duriter pronuncias, ut nihil aliud  
dicam. Illud in quæstione est, an per biduum  
aut triduum, ut dicas, necesse sit à cibo abstinemere.  
Hoc ne te quidem puto facere. Ut secedere ex  
turba precandi causa interdum commodum est,  
ita iudico illa ieiunia & inmediam alicuius diei  
suscripi posse, ut ad precationem uel cogitatio= =  
nem magis idonei simus, sed non, necessariam  
rem esse. Ceterum temperantia omni tempore  
necessaria est. Aut igitur explicato, an dicas il= =  
lam inmediam, hoc est, in uniuersum à cibo & po= =  
tu abstinere rem necessariam esse, aut placidius  
nobiscum agito. Poteras omnino totum rem age= =  
re uerbis mitioribus. Citas ex Augustino laudes  
ieiunij, in quibus uides hyperbolas prudenter in= =  
telligen=

telligendas esse, nec tamen Augustinus de tua  
 illa media loquitur, sed tantum de Temperantia.  
 Hæc scripsi bono & simplici studio, teq; oro, ut  
 si has Ecclesiæ, in quibus sonat doctrina, quam  
 profitemur, amas, te nobis potius adiungas, quam  
 inimicis, & quadam animi moderatione con-  
 cordiam tuearis. Satis multos habemus hostes  
 foris, nec parua res est confirmare mentes ueris  
 sententijs. Aduersus illos Filius DEI præcipit,  
 ut concordiam amemus. Orat etiam æternum  
 Patrem in illo ultimo agone, ut regat mentes  
 docentium & auditorum ad concordiam, di-  
 cens: Ut sint unum in nobis. Quare te iterum  
 atq; iterum oro & obtestor propter Filium DEI  
 & propter Ecclesiam, ut communem doctrinæ  
 cōsensum tuearis, aut certè ut leniter & placide  
 cum amicis de tuo consilio disputes. Fauebat  
 studijs tuis Lutherus, & ego ei tuum ingenium  
 laudaui, cum unâ legeremus Propositiones de  
 duabus naturis in Christo Mediatore, quas ma-  
 xime probo. Nunc te arma sumere aduersus nos  
 non uelim. Mitto tibi pagellas testes meæ  
 erga te benevolentia. Bene uale,  
 Mense Aprili, Anno

1545.

RESPON-

**R E S P O N S V M S C R I-**  
**P T V M A P H I L I P P O M E L A N T H:**  
 nomine Principum Iohannis Friderici Ducis Saxonie Electoris, & Philippi Landgrauij Hassie,  
 ac reliquorum cum his coniunctorum in negotio religionis, & datum Legatis Caroli V. Imperatoris, comitibus Theodorico de Manderschid, & Guilelmo de Nova Aquila.

**E**xistimamus & illustrum Dominum Granuelum et generosos Comites bono studio has deliberationes de pace, quas hic attulit D. Siberetus à Louenburg nomine Comitum, & postea Comes Nouæ Aquile coram nobis exposuit, instituisse. Quare eis amanter agimus gratias & publico nomine et nostro. Verè enim et ex animo hoc adfirmamus, nobis nullā rem humanam operationem esse benevolentia inuictissimi Imperatoris Augusti, Domini nostri clementissimi, & pace publica Germaniae.

In primis autem agimus gratias Illustri Domino Granuelo, quod ostendit, se & hactenus fuisse hortatorem, ne de his negotijs decertaretur armis, & suam autoritatem libenter conferre ad consilia retinendæ pacis. Hanc uoluntatem ipsius egregiam et dignam eo uiro, qui maxima-

rum

Plenū rerum consilijs in gubernatione orbis ter-  
rarum interēst, non dubitamus Deo gratam esse,  
quem quidem precamur, ut confirmet & guber-  
net hunc animum, ad illustrandam gloriam Chri-  
sti, & ad communem tranquillitatem. Rogamus  
etiam quantū possumus ipsum Dominum Gran-  
uelum, ut in hanc curam cogitationemq; in-  
cumbat, ne Ecclesiæ uolentis consilijs dissipen-  
tur potius quam iuuentur. Quæ gloria magno  
uiro expetenda est, quam ut ciuiles dissensiones  
sine ciuili sanguine componat.

Mud autem initio petimus, ne existimet nos  
delectari his discordijs Ecclesiasticis, aut cupidi-  
tate aliqua iniusta dissentire ab alijs gentibus, &  
à tot seculorum consuetudine. Non accersimus  
nobis odia, labores, sumptus, pericula tot iam an-  
nos tantum errore & morositate aliqua. Sed  
Postquam inciderunt dissensiones in Ecclesia de  
doctrina, ut sèpè alias accidit, non est abiiscienda  
professio ueritatis, nec adiuuanda iniusta crude-  
litas, quæ in homines pios & innocentes passim  
exercetur. Has habemus iustas, graues, ueras &  
magnas causas dissentendi à ceteris. Ut Illus-  
tris Dominus Granuelus pro sua sapientia ipse  
iudicare potest. Constat enim multos magnos  
& n. dissimulando abusus ab aduersarijs de-  
fendi quadam noua asperitate, quæ non decet  
Eccle-

Ecclesiam, ut monet Psalmus. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. In die mala liberabit eum Dominus.

Et quoniam intelligimus Inuictiss: Imperatori instillari quasdam suspiciones aduersus nos, ut nos non de gloria Dei, de emendatione Ecclesiarum, de salute animarum contendere putet, sed querere uel opes Ecclesiasticas uel alia, magnopere oramus, ut Illust: Dominus Granuelus Inuictiss: Imperatori Domino nostro clementiss: nos purget & excusat. Scimus tales fabellas seri in populo à maleuolis, ad deformandam causam quam agimus. Sed tamen in consilio summi Principis dominetur ueritas, non sit locus calumnijs. Cum enim aduersarij diffisi sue cause non possint doctrinam, que in Ecclesijs nostris traditur, ueris argumentis labefactare, decurrent ad has querelas, clamitant occupari facultates Monasteriorum aut aliarum Ecclesiarum. Quam indignum est autem flagitare eos opum defensionum, non flagitare emendationem in Ecclesia maximorum uiciorum, que & ipsi agnoscent. Prima enim cura debebat esse doctrinæ diuinitus traditæ. At istis prima cura est Imperiorum, opum, uoluptatum.

Non dubium est autem, satis perspectum esse ipsis aduersarijs, nos nō litigare de opibus, nec appetere

appetere Ecclesiasticas facultates. Sed hic p̄textus fingitur, ut Regū animos incendat ad de-  
lendam doctrinā, et ad explendam crudelitatem.  
Constat enim neminem ex nobis ullam partem  
alieni territorij abstulisse cuiquam aut auferre  
conatum esse. Nemo ex nobis in Germania ade-  
mit ulli Episcopo partem aliquam ditionis. In-  
risditionem Ecclesiasticam, postquam desit esse  
questuosa, ipsi abiecerunt, ac ne possunt quidem  
hanc exercere. Collegia Episcopalia fruuntur  
adhuc suis opibus.

Econtrā aduersarij occupant multa bona  
nostrarum Ecclesiarum, & redditus debitos no-  
stris Ecclesijs solui prohibent, Et collegia Epi-  
scopalia cum antea solerent aliquid decidere de  
suo, ad alendos pastores & gubernatores scho-  
larum in ciuitatibus, iam multæ ciuitates ex suo  
ærario soluunt stipendia ministris Ecclesiarum  
& scholarum. Ac tantum abest, ut his ciuitati-  
bus quicquam accesserit, ut etiam uetera com-  
moda amiserint. Inter ea quantum periculorum  
& sumtuum adfert eis hæc causa. Quare uideri  
non possunt aut auaritia, aut cupiditate liberta-  
tis amplecti hoc genus doctrinæ.

At maleuoli odioſe traducunt Principes  
propter Monasteria. Hanc totam rem notiss:esse

Mm &

& Inuictiss: Imperatori & Illustriß: Domino  
Granuelo optamus, quare in Monasterijs admis-  
tratio mutata sit, quomodo bona partim ad  
usus Ecclesiasticos translatâ sint, partim adhuc  
à nobis tencantur, quæ sit nostra de his uolum-  
tas. Deinde quibus expilationibus aduersarij  
exhauriant non solum Monasteria, sed etiam cœ-  
teras Ecclesiæ et Parochias, qua ex re, in eorum  
ditionibus ethnica barbaries fecitura est. Ro-  
gamus illustrem Dominum Granuelum, ut pro  
sua excellenti sapientia hoc consideret.

Etiam si quas accessiones haberent Princi-  
pes, que aut sunt exiguae, aut certè multò mino-  
res quam dicuntur, tamen propter has nequa-  
quam sibi tanta odia, labores, curas, sumtus, &  
pericula accerferent, quanta adfert hæc causa.  
Nam ut nihil de oлиjs et laboribus dicamus, con-  
ferantur anni sumtus nostri cum his redditibus  
monasteriorum. Et apparebit sumtus longè ma-  
iores esse, quos iam annos amplius sedecim faci-  
mus propter hoc negocium, et hi nobis cum ipsis  
difficultatibus crescunt.

Deinde conferantur pericula. Quis Prin-  
ceps in discrimen adducere uellet omnes suas  
fortunas & dignitatem propter talem accessionem?  
Hæc sunt perspicua et euidentia argumen-  
ta uoluntatis nostræ.

Quare

Quare maximè oramus inviclis: Imperato-  
rem, ne suspicetur nos ulla cupiditate moueri in  
defensione huius causæ. Omnibus humanis com-  
modis benevolentiam ipsius & patriæ concor-  
diam anteponimus. Nec dubitamus etiam ad-  
uersarios nostros, quibus notæ sunt nostræ ditio-  
nes & tota nostra gubernatio, liberare nos in  
hac re suspicione avaritiæ. Itaq; non aliam ob-  
causam sustinemus tam difficile onus profitendæ  
huius doctrinæ, nisi quia Deus præcepit Euangeliij  
confessionem, ut inquit Christus, Quisquis  
me confitebitur coram hominibus, confitebor  
eum coram Patre cœlesti. Præcipit etiam ut fu-  
giamus impios cultus, iuxta illud, Fugite Idola-  
triam. Præcipit item, ne socij simus iniustæ saeu-  
tie, quæ aduersus pios exercetur.

Nunc redimus ad querelam de Monasterijs,  
de quibus primum exponemus causam, quare  
mutata sit administratio. Postquam his regioni-  
bus illuxit Euangeliij doctrina de ueris cultibus  
Dei, multi sponte deseruerunt hypocrisin Mo-  
nasticam, multi discessuri ex monasterijs, ut aut  
redirent ad studia, aut aliud uitæ genus hone-  
stum amplecterentur, ac possent øconomias in-  
stituere, petiuerunt aliquid pecuniae. Cum igi-  
tur tempora ipsa flagitarent mutationem, ubi-  
cung; reliqui erant Monachi, addidimus pios

Concionatores, & iussimus aboleri impios cul-  
tus, & eos qui manere malebant in illis sodali-  
tis, liberaliter ali, quanquam prorsus ociosos, ac  
principuè uoluimus senectuti pauperum prospe-  
ctum. Et adhuc talia sodalitia in quibusdam Mo-  
nasterijs aluntur.

Fuit autem utrungq; officijs nostri, curare, ut  
pia doctrina proposita in illis locis superstitio-  
nes abolerentur, & proprietere, ne publica bona  
dilaberentur, que iam ab ipsis Monachis uel de-  
screbantur, uel negligebantur, uel diripiabantur.  
Constat enim Principes debere custodes  
esse publicorum bonorum. Nec erant iam in  
Monasterijs, qui familias regere possent. Quare  
prefecimus œconomos, qui familias gubernau-  
rent, & curarent agriculturam, & colerent  
œconomica officia. Sic mutata est administratio  
Monasteriorum.

Quis autem non uidet causas mutationis  
probabiles esse : nec enim percgrinos Monachos  
accersere uoluimus, qui turbarent Ecclesijs no-  
stras. Nam multæ Parochiæ pertinent ad Mo-  
nasteria. Statim igitur initio de bonis Mona-  
steriorū redditus constituendi fuerunt uicinis pa-  
rochijs. Paulatim & ceteris Ecclesijs, que acce-  
sione opus habebant, multa adiecimus. Constitui-  
mus & Hospitalia quedam. Attribuimus aliquid  
scholis. His necessarijs officijs mutilati sunt iam  
redi-

reditus Monasteriorum, quæ tamen alibi fuerunt  
magis, alibi minus locupletia.

Reliquum adhuc est in potestate Principum, quod in plerisq; regionibus exiguum est. Et tamen adhuc inde sunt augenda Parochiæ, ac nunc quoq; ex his facultatibus sepè iuuantur pauperes Sacerdotes, dantur & stipendia aliqua pauperibus scholasticis, alibi plura, alibi pauciora. Ac tempora postulabunt, ut conseruandorum studiorum causa incatur ratio, ut ex Ecclesiasticis facultatibus plures scholastici ali possint.

Quare de his facultatibus quæ reliquæ sunt offerimus nos, si in aliqua pia Synodo aut conuentu concordia Ecclesiarum constituetur, nos ea bona ad Ecclesiæ, scholarum & cæteras publicas utilitates in nostris territorijs, non grauatum translatueros esse, ut tunc synodus aut conuentus constituet. Nam facultates Ecclesiarum pertinent ad conseruationem ministerij Euan gelij, scholarum, & alios usus Ecclesiasticos & publicos, ut testantur dicta diuini iuris, & iustæ Synodi ac ueteres Canones.

Quod cum ita sit, uicissim petimus, ut aduersarij nunc sinant bona Ecclesiastica, quæ ipsi tenent, transferri ad ueros usus Ecclesiæ, hoc est, ut Parochijs, Scholis & Pauperibus consultetur, ubi opus est accessione. Nunc enim multæ

sunt ciuitates, ubi aut nulli aut prorsus exigui sunt redditus parochiarum. Interea nec Episcopi nec Canonici obeunt officia Ecclesiastica, negliguntur studia literarum.

Necessæ est igitur inire rationem, ut conservari religio Christiana & literæ possint. Hanc rerum causa cum precipue politias Deus constituerit, earum conservationem maximè curare summos gubernatores oportet. Offerimus etiam nos tunc datus esse cautionem, ut Ecclesiastice facultates, in nostris ditionibus transfrantur ad tales usus, ut dictum est, si uicissim & aduersarij cautionem dederint. Videmus enim in tanta multitudine collegiorum Ecclesiastico-rum infinitum numerum sacerdotiorum praedæ esse indoctis, helluonibus, scortatoribus, qui non solum usui esse Ecclesijs et Reipub. non possunt, sed etiam oneri sunt.

Iam hoc tempore quid fit? In ducatibus Principum qui aduersantur piæ doctrinæ, ea que nostris Ecclesijs debentur, in ipsorum ditionibus passim ipsi occupant, ac prohibent ne nobis soluantur. Cumq; nos possumus debita, nosq; offerimus ipsorum Ecclesijs soluturos esse, que solent eis pendi ex nostris ditionibus, illi mutuam uicem non reddunt, & adiuuat hos iudicium Camere, cogit ut illis soluamus. Ita nostris Ecclesijs ipsi impuniè eripiunt que uolunt. Vulgare prouer-

prouerbium est, *equalitas non parit bellum.*  
 Quare si aduersarij cuperent Germaniam esse  
 tranquillam, profectò tam insignem inæqualita-  
 tem non exercent erga nostras Ecclesias, qua  
 etiam defraudant parochias & pauperes. Sed  
 adeò non curant pia officia, ut nec suis Ecclesijs  
 parcant, indicunt intolerabilia tributa paro-  
 chijs & cæteris Ecclesijs. Et quia ſeuitiam ex-  
 ercent in pios Pastores, paſſim deseruntur Paro-  
 chiæ. Ibi desertarum Parochiarum reditus trans-  
 feruntur ad prefectorias. Exhauriuntur Mona-  
 steria adeò, ut in multis locis dicant Monachi,  
 nibil ſibi reliquum eſſe, niſi campanarum ſonum  
 & ſuos cantus, paſſim non ſolum pagi, ſed etiam  
 oppida ſunt ſine Pastoribus, que res mirum in  
 modum animos bonorum offendit, & parit in  
 moribus uulgi Ethnicam feritatem, ac ad postea-  
ros obliuionem religionis & barbariem.

Ac profectò optaremus Inuictiss: Imperato-  
 rem uerè inquirere, in quibus locis benignius  
 tractentur Pastores, diligentius ornentur Eccle-  
 ſie, maiore cura ſtudia Ecclesiæ neceſſaria co-  
 lantur apud aduersarios, an apud nos. Ita res ipſa  
 nobis eum placaret, & excitaret, ut emendatio-  
 nem institueret ac conſuleret Parochijs. Nam  
 donec ſeuitia exercetur in pios Doctores, de-  
 crunt Pastores in utraq; parte.

Hanc totam Narrationem comperiet Inui-  
ctiss: Imperator uerissimam esse, quæ quidem satis  
ostendit, nos non propter auaritiam huic doctri-  
næ fauere, quæ nobis auget sumtus & pericula,  
cum interim aduersarij tutò rapiant ex bonis  
Ecclesiasticis quantum uolunt, & habeant alias  
amplas mercedes, quibus conducti sunt ab Epi-  
scopis ad delendam piam doctrinam. Deinde spe-  
ramus nos Inuictiss: Imperatori satis excusatos  
fore, quod offerimus nos etiam de reliquis bonis  
Monasteriorum, translatuos esse ad usus publi-  
cos, quod superest, ex sententia pia Synodi aut  
conuentus, in quo concordia constituetur. Hæc  
arbitramur satisfactura esse æquis & rectis iu-  
dicijs de prima querela.

ALTERA accusatio, multò maiorem do-  
lorem nobis attulit, quod Inuictiss: Imperator sua-  
spicatur nos, cum offerimus nos ad ueram & pi-  
am collocutionem cum alijs, simulare studium  
concordiæ, ut negocium extrahamus, & re ipsa  
tergiuersari & defugere ueram dijudicationem.  
Et allegantur actiones superiorum conuentu-  
um, in quibus quia non abiecamus doctrinam, di-  
cimur tergiuersati esse. Valde dolemus clemen-  
tiss: Imperatoris animo tam graues suspitiones  
aduersus nos inseri. Est enim odiosa & turpis si-  
mulatio, maximè in causis religionis. Igitur ma-  
gnope\*

gnoperè rogamus, ut invictiss: Imperator nos  
stram purgationem ueram & ingenuam au-  
diat.

Cum aduersarij sparsissent in ipso conuen-  
tu Augustano infinitas calumnias aduersus Ec-  
clesias nostras, nosq; iussi essemus dicere de do-  
ctrina & ritibus Ecclesiarum nostrarum, nihil  
occultauimus, sed ingenuè & simpliciter totum  
doctrinæ genus complexi sumus, ut intelligi pos-  
set, nos Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ Chri-  
sti consensum uerè sequi, ac retinere Symbola, et  
congruere doctrinam & usum Sacramentorum,  
cum ueteri ac puriore Ecclesia.

Habuimus multas & graues causas nostri  
consilij, & speramus bonos uiros plurimos tunc  
quoq; placatores factos esse, cum uiderent nos  
ueterem Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ con-  
sensum tueri, & abusus atq; errorcs, qui poste-  
rioribus seculis in Ecclesiam irrepserunt, taxa-  
re. Neq; enim negari potest multa non toleran-  
da uitia irrepisse. De Pœnitentia & Remissio-  
ne peccatorum fuit summa confusio doctrinæ.  
Sacramentum in Missa, ad quos abusus transla-  
tum fuit, cum certum sit priuatas Missas igno-  
tas fuisse ueteri Ecclesiæ. In coelibatu quantum  
est turpitudinis.

Doctrina de potestate Clavium plena fuit  
M m 5 uanitatis

uanitatis & ambitionis, & translata ad augen-  
dam Romani Pontificis dominationem. Quan-  
tum fuit onus traditionum superstitionarum,  
quam nullus delectus ministrorum Euangelij. De  
his materijs profesi sumus, qui errores taxati-  
sint apud nos. Et extant scripta nostrorum, ac  
multi p̄ij ubiq; terrarum fatentur, se ex illis p̄ie  
& utiliter admonitos esse, ut rectius de doctrina  
Christi, & de ueris cultibus Dei sentiant.

Non igitur fugimus lucem. Cumq; Augu-  
stæ compositio tentaretur, nihil prorsus astutè  
fecimus, ostendimus nos expetere concordiam, si  
necessaria reciperentur, diximus nos de usu in-  
differentium non litigaturos esse.

Proposuimus moderatam uiam, sed qua  
æquitate nobiscum actum sit, optaremus penitus  
scire clementiss: Imperatorem. Delecti ad eam di-  
sputationem ab aduersarijs, expressè præfati  
sunt, se nihil mutaturos esse de sua sententia,  
tantum nobiscum disputaturos, ut nos retrahen-  
tent ad suas opiniones. Incipiebant defendere  
Inuocationem sanctorum, Missarum abusus et sa-  
tisfactiones. Hæc non erat dijudicatio uera que-  
sitis fontibus & fundamentis, sed erat ueterum  
errorum confirmatio.

Nunc quia non sumus assensi, nec abiici-  
mus ueritatem, aduersarij calumniantur nos  
apud Inuictiss: Imperatorem, & fingunt nos si-  
mulasse

mulasse studium concordie, ut negotium extra-  
heremus. Nec aliud uocant conciliationem, nisi  
defectionem à ueritate, nec postea ulla fuit de do-  
ctrina disputatio in ullo conuentu, & nunquam  
defugimus tales congressus, in quibus piè & ue-  
rè de doctrina deliberaretur, & maximè opta-  
mus, ut pijs & doctis liceat de rebus tantis, que  
sunt Ecclesie necessarie, tandem libere colloqui,  
maximè optamus ueros fontes & fundamenta  
doctrinæ cognosci.

Quare persuasum esse Inuidiss: Imperatori  
cupimus, nos nec effugia nec ambages querere.  
Si nos pudoret causæ, possemus eam plausibili-  
ter abiecere. Sed quia scimus esse piam & Eccle-  
sie necessariam, sustinemus ingens onus confes-  
sionis propter mandatum Dei, ut supra dixi-  
mus. Nec agimus astutè, cupimus propagare  
& conseruare piam doctrinam propter gloriam  
Dei, & nihil optabilius est bonis, quam pia con-  
cordia Ecclesiarum. Ideo sicut in conuentu  
Francofordiano & alijs nos obtulimus, ita &  
ad huc offerimus nos, ad piam & ueram collo-  
cationem cum alijs Principibus & statibus Im-  
perij, in qua patefactis fontibus & fundamentis  
doctrinæ Christianæ pia conciliatio institua-  
tur.

Et ne quid suspicionis pariat ambiguitas,  
uocamus piam conciliationem, in qua patefacta  
uerita-

ueritate, consulatur Ecclesiæ, emendentur ueteres errores, et restituuntur ueri cultus Dei. Cū enim toties iam dictum sit, uelle Inuictiss: Imperatorem, ut uerè componantur controuersiæ pærefactis fontibus & fundamentis, conciliacioni non intelligimus confirmationem ueterum errorum, aut defectionem à ueritate.

Non existimamus unquam Inuictiss: Imperatori uerè narratam esse seriem disputationis Augustanæ, in qua expressa præfatione aduersarij nostri testati sunt, se nihil mutaturos esse de sua sententia, sed hoc tantum acturos, ut nos ad sua deliria infleterent, quæ aperte pugnant cum Euangelio. Si hoc modo res iterum ageretur, id non esset reuocare causam ad fontes & fundamenta seu ueritatem querere, sed Pythagoricum illud nobis proponere, ipse dixit, quod de autoritate humana in Ecclesia nequaquam recipiendum est. Nam uoluntas Dei non potest cognosci ex humanis opinionibus, sed ut Iohannes inquit, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Hunc Doctorem iubeat arbitrum esse controuersiarum Inuictissimus Imperator. Iubeat queri ueritatem, ut illustretur gloria Christi, & consulatur salutis hominum. Ea res erit digna pio Imperatore.

Et quia uitandæ sunt ambages, & Inuictiss: Imperator petit, ut prorsus & penitus euoluta nostra

nōstra uoluntate proferamus, quos articulos ab  
īci non posse flatuamus. Extat confessio nostra  
cum Apologia, in qua satis apparet, quos articu-  
los tanquam necessarios defendamus, nec dubi-  
tamus quin hoc ipsum genus doctrinæ, quod in  
Ecclesijs nostris traditur, sit ipse consensus Apo-  
stolicæ & Catholicæ Ecclesiæ Christi, quia &  
in Propheticis & Apostolicis scriptis hæc ipsa  
doctrina proponit, & congruunt ueteris Ec-  
clesiæ testimonia de rebus necessarijs, uidelicet  
de dogmatibus, de legitimo usu Sacramentorum,  
de potestate Clauium, de officio ministrorum Ec-  
clesiæ, quod prorsus dissimile est dominationi  
Romani Pontificis, et de libero usu traditionum  
humanarum.

Quare si abiceremus confessionem no-  
stram, dissentiremus ab Apostolica & Catholi-  
ca Ecclesia, nosq; ipsi se uingeremus ab illa uera  
Ecclesia omnium temporum, in qua primi Pa-  
tres, Prophetæ, Apostoli & reliqui sancti eadem  
fide, quam prædicamus, inuocauerunt Deum, &  
Filiū Dei saluatorem, sicut inquit Petrus, Huic  
omnes Prophetæ testimonium perhibent. Ab  
hac Ecclesia dissentire non licet, à qua diuellere-  
mur, si abiecta nostra confessione ueteres errores  
& horribilem abusum Sacramentorum restitue-  
remus.

Sunt

Sunt autem preter articulos necessarios alij quidam indifferentes ritus humani, qui ut in templis sit ordo aliquis, instituti sunt. De his ritibus, de iurisdictione Ecclesiastica, de institutione, de ordinatione ministrorum, de cæteris inspectoriis Ecclesiarum, et de bonis Ecclesiasticis, de iudicijs controversiarum matrimonialium conueniri posset, constituto consensu principalis doctrinæ. Quorsum enim prodeisset aliquid pacisci de ritibus aut de iurisdictione cum ijs, qui adhuc reuera in articulis principalibus doctrinæ dis̄siderent. Tollit dis̄sidium non potest, si alij pergent errores defendere, & interficere pios.

Quod autem aliqui obijciunt, errores ad mixtos esse doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, et si non dubitamus, doctrinam Ecclesiarum nostrarum, quam confessi sumus, uerè esse consensum Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ Christi, tamen si quid reprehendunt aduersarij, proferant tunc in conuentu, Ibi de singulis articulis cōposito respondebimus, & speramus nos omnibus pijs & amantibus ueritatem satisfacturos esse. Si quid etiam obscurius & breuius esset dictum in Confessione et Apologia, quantū opus est, declarabis. Si alioqui sparsæ essent opiniones ab aliquibus scriptoribus nostris, ut sunt humana, quas corria

corrigi opus esset, illi admoniti non repugnabant ueris iudicijs.

Scimus etiam humanorum rituum dissimilitudine in nostris Ecclesijs indoctos offendit, et si similitudo in his non est necessaria, ubi de doctrina recte conuenit, tamen propter communem concordiam ea de re etiam in conuentu agi possit. Nam, Dei beneficio, omnes nostræ Ecclesiæ unum hoc doctrinæ genus, quod extat in Confessione et Apologia, profitentur. Hæc etiæ causa est, cur nos quidem arbitremur, in publico conuentu potius de communi concordia agendum esse, quia de usu indifferentium nihil agi potest, nisi prius de doctrina necessaria conueniat, quam ad rem opus est quadam collocutione, ut declarari res tantæ possint. Deinde hoc consensu constituto communi consilio, de Iurisdictione Ecclesiastica, & de gubernatione Ecclesiarum, multa deliberanda erunt, quæ seorsim quomodo agi possint, non intelligimus.

Postquam uoluntatem nostram declarauimus, iterum rogamus illustrem Dominum Granuelum, ut sit hortator Inuictiss: Imperatori & ad pacem faciendam, & ad Ecclesiæ reformationem suscipiendam, ut firma & durabilis concordia fieri possit. Nam si uitia manifesta stabiliantur, semper erunt qui reclament, & iniustum

est re-

est reprehensionem uitiorum & errorum uelle  
armis prohibere. Talia imperia non decent in  
Ecclesia.

Imperator Constantinus bis dederat Iudia-  
ces Donatistis, quanquam aperte delirantibus.  
Tertio ipse eos audiuit, ne prius edicta duriora  
proponeret, quam res satis disputata & cognita  
esset, ne autor esset exempli in Ecclesia asperio-  
ris. Speramus autem Inuictiss: Imperatorem et  
Iusticia & bonitate praeditum esse, ut cum tam  
multæ controuersiæ de rebus maximis exortæ  
sint, non sit ante ueram & iustum cognitionem  
aliquid uolenter acturus.

Oramus igitur, ut quemadmodum in Fran-  
cofordiano conuentu per Oratorem promisit  
collocutionem publicam, clementer eam collocu-  
tionem instituat, ut sicut toties iam dictum est,  
curet patesieri ueritatem ex fundamentis, que  
inspici præcipue in Ecclesia debent, uidelicet ex  
uerbo Dei, quod in Propheticis & Apostolicis  
scriptis traditum est, cum quo etiam uetus &  
purior Ecclesia congruit.

Quicquid autem accidet, tota posteritas  
iudicabit, nos æqua & pia petiuisse, ac profutu-  
ra non tantum nobis, sed uniuersæ Ecclesiæ, cui  
consulere Inuictiss: Imperator debet, præsertim  
cum Pontifices ardentis ambitione & crudeli-  
tate

tate tantum sint hortatores, ad trucidandos in-  
nocentes & pios sacerdotes, & uastandas Ec-  
clesias. Ac profectò magna laus est Inuictiss:Im-  
peratoris, quod hactenus non gesit morem his  
atrocibus consilijs, quia Deus uult in primis ex-  
erceri pietatem et lenitatem erga miseros Euana-  
geliij ministros.

Postremò et hoc ualde oramus, ne Inuictiss:  
Imperator fidem habeat atroci calumniæ, qua  
aliqui ex nobis dicuntur adiuuisse hostes, cum  
quibus Imperator Inuictiss: bellum palam indi-  
ctum gesit. Constat enim nos eo tempore cer-  
tis officijs quosdam Capitaneos Inuictiss: Impe-  
ratoris adiuuisse, misisse bombardarios & pul-  
ueris tormentarij mediocrem copiam, libenter  
etiam nostris subditis concessisse, ut in militiam  
ad Inuictiss: Imperatorem proficiserentur. Con-  
stat et illud, nos tunc quedam non uulgaria  
commoda oblata repudiasse, non aliam ob cau-  
sam, nisi ut fidem & obseruantiam nostram er-  
ga Inuictiss: Imperatorem maiore studio decla-  
raremus. Quare nos purgatos esse Inuictiss:Im-  
peratori cupimus, & si quis ex nobis nominatim  
delatus est, eius responsonem speramus satisfa-  
cturam esse Inuictiss: Imperatori.

Hanc nostram responsonem in singulis ar-  
N n ticulis,

ticulis, ueram simplicem et ingenuam, rogamus, ut Illustris Dominus Granuelus non grauatum legat, & Inuictiss: Imperatori reuerenter commorem, nosq; ei commendet, ac oret, ut ueram conciliationem, sicut supra dictum est, Ecclesiarum instituat, quæ quidem adeo necessaria est, ut si seuitia non cessauerit, metuenda sit ad posteros horribilis uastitas Ecclesiarum. Nam Pontifices malunt extingui totam Religionem, quam aliquam reformationem admittere.

Maxime autem oramus, ut Illustris Dominus Granuelus exponat etiam Inuictiss: Imperatori Domino nostro clementiss: querelam nostram iustiss: de Iudicio Cameræ, in quo nobis coniuncti iniquissimè uexantur contra Ius & contra prohibitionem Imperatoriam. Et quidem in causis leuibus non solum iniuste, sed etiam atroces sententiae feruntur, ut in causa Mindensi appareat, in qua lis est de sexaginta florensi aut circiter, quos ciuitas egena attribuit Parochie, ut & antea pertinebant ad Ecclesiam. Sed aduersarij malunt eos ab ociosis consumi, cum interea magnas opes Ecclesiasticas habeat ibi collegium Sacerdotum ociosorum, qui prorsus non seruiunt Ecclesie. Et tam exiguum partem noluerunt decidi ad usus Parochie. Propter tam leuem causam in Iudicio Cameræ lata est sententia

tia proscriptio*nis contra ciuitatem Minden-*  
*sem.*

Hanc petulantiam Iudicij Cameræ coērce-  
ri, & prohiberi omnes tales processus magnope-  
re oramus iuxta petitionem nostram, & formu-  
lam, de qua in conuentu Francofordiensi cum  
duobus Electoribus Palatino & Marchione  
actum est.

Inniictiss: Imperator uult Germaniam tran-  
quillam esse, ut ostendit, profecto processus illi  
Iudicij Cameræ prohibendi sunt. Nam tales sen-  
tentiae quid sunt nisi classica ingentium tumul-  
tuum, aduersus quæ iure naturæ concessa est de-  
fensio. Ac si non aboleantur hi processus, &  
fortè accideret, ut aliqui contraherent militum  
copiae, non possemus non suspicari contra nos  
eas colligi. Qua ex re possent subiti tumultus  
oriri, quod minimè uellemus. Nos enim maximè  
cupimus tranquillam esse Germaniam, & ma-  
gnopere oramus Illustrēm Dominum Grānue-  
lum, ut Inniictiss: Imperatori Domino nostro cle-  
mentiss: sit hortator, ut nobis pacem concedat, et  
processus contra nos iniustos in causa religionis  
prohibeat. Rogamus etiā Generosos Comites, ut  
nos amanter Illustri domino Granuelo commen-  
dent. Nos uiciissim & ipsi & Gene-  
rosis Comitibus nostra officia  
deferimus.

EPISTOLÆ  
EPISTOLA EORVN  
DEM PRINCIPVM NOMI= ne scripta ad DuceM Lo= tharingia.

Illustriſſime Princeps, & consanguinee dilec-  
te, etſi non ignoramus, apud exteras nationes  
interdum de nobis iudicari durius, propterea,  
quod ijs, qui Ecclesiasticos abusus pio studio &  
ueris rationibus taxarunt, non aduersati sumus,  
tamen cum ſciamus D.T. ſingulari prudentia &  
grauitate preeditam eſſe, arbitramur eam de no-  
bis quidem iudicium ſuspendere, donec haec con-  
trouerſie aliquando legitima ratione audiantur  
& cognoscantur, praesertim cum manifestum  
ſit, multos eſſe ueteres morbos Eccleſiae, de qui-  
bus necesse eſt tandem pios gubernatores popu-  
li Christiani deliberare. Verè enim hoc affir-  
mare poſſumus, nos ex animo ſemper optiſſe, ut  
piè cognitis rebus gloria Dei illustraretur, ſalu-  
ti hominum conſuleretur & communi concor-  
dia, & Eccleſiae pax conſeruaretur. Nam cum  
profefſio nobis ingentia pericula, labores, ſum-  
tus adferat, non eſt existimandum, nos priuata  
cupiditate huic negocio fauere. Non enim ob  
alias cauſas abusus corrigi permifimus, niſi pro-  
pter gloriam Dei. Quare cum cognitionem Ec-  
cleſiae

eleſiæ ſemper flagitauerimus, ne quaquam accu-  
 ſari poſſumus tanquam ſeiuandi ab Eccleſia. Et  
 oēs ſapientes Principes ubiq; oramus, ne quid de  
 nobis ſtatuant, ſine cognitione, quæ decet Dei  
 Eccleſiam. Hæc petitio cum ſit æquissima, im-  
 petret à D. T. ne grauatiſ ſas noſtras literas  
 accipiat, quas de tranquillitate ciuitatis Meten-  
 ſis ſcribendas eſſe duximus. Cūm enim nuper eo  
 Legatos noſtros miſiſſemus, nullius priuatae uti-  
 litatis cauſa, ſed tantum ut ciues ad concordiam  
 hortaremur, & uiam oſtenderemus plam & fa-  
 lutarem, intellectimus, quosdam inimicos ijs, qui  
 doctrinam puriorem expetunt, moliri, ut ad ſua  
 odia adiungant D. T. & auxilio D. T. per-  
 terrefaciant aut opprimant honestos homines  
 nobiles & plebeios, qui & ſunt tranquilli & fi-  
 deles in omnibus ciuilibus officijs præſtandis, nec  
 aliud petunt, niſi ut habent in aliquibus Eccle-  
 ſijs doctrinam puram, & uſum ſacramentorum  
 ſincerum. Scimus autem D. T. naturæ bonitate  
 & uoluntate ab iniuſta asperitate abhorreto,  
 ſed tamen calumniosis delationibus interdum  
 optimi & mitiſſimi gubernatores incenduntur,  
 ut non ſue moderationi, ſed alienis affectibus  
 morem gerant. Promittunt ciues Metenses, pro  
 quibus ſcribimus, ſe in omnibus ciuilibus officijs  
 omnia libenter facturos, ſe nulla in re paci deſu-  
 turos, tantum ſuas Eccleſias recte constitui uo-  
 lunt.

lunt. Id si impeditur, primum gloria DEI ledit, deinde multa animarum & ciuitatis pericula, sequuntur.

Postquam sparsa est aliqua Euangelij lux, multos ab iesu iam intelligit populus. Hos si cogitur obseruare contra conscientiam, excutitur eis uera inuocatio Dei. Nam cum perturbatio hæret in conscientia, quæ deponi non potest, fugit mens, non inuocat Deum. Quid est autem tristius & detestabilius, quam impedire ueram inuocationem Dei? Accidit etiam interdum, ut in tali perturbatione animorum concipientur, uel ab erroribus oriantur false opiniones, ubi desunt boni concionatores, qui publicè doccent. Nocent autem priuatae opiniones & animabus & paci publicæ. Econtra uero pia & salutaris doctrina etiam pacem ciuitatum munit. Constat enim doctrinam de omnibus ciuibibus officijs, in hac ipsa luce Euangelij magis illustratam esse, quam antea unquam. Et quanquam optandum est, omnes uera inuocatione & pijs moribus Deum colere, tamen hi, qui doctrinam priorem expetunt, non sunt impedituri ceremonias cæterorum, qui secus sentiunt. Viciissim æquum est non labefactari conscientias horum, qui abusus intelligunt, & uitare cupiunt. Rogamus igitur D. T. & amanter & diligenter,

ter, ne se incitari sinat contra partem ciuitatis, quæ Ecclesiæ rectè constitui cupit, nec adiuuet iracundiam eorum, qui ciuilem sanguinem haurire cupiunt. Nam hæc causa qualiscunq; videatur, non potest nec debet promiscuis & multis ciuium cedibus dijudicari. Nec uero dubitamus, quin D. T. pro sua uirtute digna principe bono maximè detestetur ciuilem crudelitatem, & uelit uicinam ciuitatem tranquillam esse. Sic autem retineri tranquillitas potest, si neutra pars alteram ui impediat. Hæc mutua moderatione, & maximè ciuilis est, & multis ciuitatibus in Germania salutaris fuit, in quibus paulatim ueritate clarius illucente, & dissensio mitigata est, & sanatæ sunt uoluntates. In his locis si violenta consilia initio tentata essent, omnia funditus perirent. Semper n. in ciuium dissensionibus magis salutaria fuerunt mitia consilia, quam violenta. Quare D.T. pro sua bonitate ac sapientia annittatur, ut tali moderatione consulatur saluti ciuitatis Metensis. Hæc ut scriberemus ad D. T. non priuato affectu, sed honestiss. & publicis causis adducti sumus, ut honesti & innocentes homines, quorum multi propter uirtutes & facultates patriæ magno praesidio atq; ornamento sunt, & uero timore Dei mouentur, ad querendam de Christo Salvatore puram doctrinam, sint in tuto. Tales Principum benevolentia

lentia tuendi sunt. Ideo rogamus, ut has nostras  
literas D. T. in optimam partem accipiat, nosq;  
nostra officia D. T. summa cum benevolentia de-  
ferimus. Bene & feliciter ualeat D. T. Date  
7. Nouemb. Anno 1542.

X

CASPARO CRVCI-  
GERO D. THEOLOGIÆ,  
de Ecclesijs in Episcopatu-  
Colonensi.

**N**on posse harum Ecclesiarum labes sine  
lacrimis uidere. Pastores aut nulli sunt, aut  
indoctissimi. Tota religio populi est in adoran-  
dis statuis. Quare fatetur Princeps necessariam  
esse emendationem, ac adfirmat, se eam recte &  
uerè instituere cupere, nec defugere pericula.  
Coloniæ nunc fit uestis statuæ, quam aestimant  
centum aureis. Hæc Groperus defendit, quem  
aiunt circiter tria milia aureorum quotannis  
habere. Etsi magna est confusio Imperiorum,  
& dolendum est distrahi Germaniam, tamen  
tante sunt tenebræ, ut nos iustissimis & necessa-  
rijs causis urgeri intelligere possumus, ut doctrinæ  
puritatem adseramus. Legi hic Eccij rabio-  
sissimum scriptum, Allatrat nos, quòd dicimus  
imputari

imputari iusticiam. Nihil contendit dici à Pau=lo iusticiam, nisi nostras qualitates, eaq; de re prolixè declamat. Quid agatur hic, scripsi D. Doctori Martino. Tantum incoatum est scri=ptum de forma rituum, & doctrinæ, & sequi=tur formam Noribergensem. Legi quædam, & ipse articulum intertexui, πρὶ τῷ ὑποσά=τεωρ τῆς θεότητος. Commendo tibi familiam meam. Mitto epistolam Pontificis ad Senatum Coloniensem. Bucerum & Pistorium uideo omnia fideliter agere. Die 9. Maij. 1543.

JOHANNI BVGENHA=  
GIO POMERANO, PA=  
stori Ecclesiæ VVite=bergen sis.

D Eum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut honestissimæ filiæ tuæ det felix, faustum, et secundum coniugium, ut et tu træquillo animo Ecclesiæ Dei diu seruire possis, & uideas in eadem statione aliquantò post tuam posteritatem. Initia emendationis Ecclesiarum in his regionibus Dei beneficio mediocria sunt. Ipse quidem Princeps cupit rectè consuli Ecclesijs, sed collegium Coloniense adeò atrociter ad-

Nn s uersas

uerfatur, ut nuper Landgrauius ad collegium  
scripserit, se & cæteros federatos eum defen-  
suros esse, si eum excutere conentur, ut minati  
fuerant. Videres in his regionibus deploran-  
dam inscitiam pastorum, & singularem uulgi-  
amentiam, quod summam religionem in solis sta-  
tuis adorandis collocat. Et tamen Groperus, &  
alij docti Coloniae hæc portenta tueri student.  
profectò necessariam esse his locis emendatio-  
nem facile iudicari potest. Ideo Deo commen-  
dabis has Ecclesias, & totam Ecclesiam dissi-  
patam toto orbe. Gallia, & Belgicum magis  
sæuiunt, quam unquam. Cætera ex literis scriptis  
ad Reuerendum D. Doctorem Martinum, & ad  
Crucigerum cognosces. Commendo tibi  
familiam meam. Bene uale. Bonne

1543. 9. Maij.

THO

THOMAE EPISCO-  
PO CANTVARIENSI  
*in Anglia.*

R Euerende domine, literis quas Iona filius de sermone tuo mihi scripsit, ante mensem respondi. Quò diutius autem de uestra deliberatione, qua nulla grauior, & magis necessaria in genere humano institui potest, cogito, eò magis & opto, & uos adhortandos esse censeo, ut de uniuerso doctrinæ corpore edatis confessio nem ueram & perspicuam, collatis iudicijs eruditorum, quorum & nomina adscribantur, ut apud omnes gentes extet illustre testimonium de doctrina graui autoritate traditum, & ut posteritas normam habeat, quam sequatur. Nec uero multum dissimilis ea confessio nostræ erit futura, sed paucos quosdam articulos uelim extare ad posteritatem magis explicatos, ne ambiguitates postea occasionem prebeant nouis dissidijs. Nunc & à Carolo Imperatore proposita est moderatio controuersiarum, quam fortaffis editurus est, sed quia coniungere dissidentes conatur, idq; eo modo fieri posse existimat, posita aliqua generali sententia, quam nemo propter generalitatem reiwcere posset, cothurnos facit, qui nouas discordias excitabunt, & quea

quædam intexit confirmatura abusus. In Ecclesia rectius est, scapham, scapham dicere, nec obijcere posteris ambigua dicta, ut in fabulis dicitur, pomum <sup>epid</sup> obiectum esse deabus in conuiuio sedentibus. Si in Germania nostrarum Ecclesiarum consensus integer fuisset, in has miseras non incidißemus. Magnopere igitur tehortor, ut incumbas in hanc curam & cogitationem, ut Ecclesijs uerè consulatur. Si meum iudicium ac suffragium etiam flagitabitis, libenter & audiam alios doctos uiros, & dicam ipse sententiam meo loco, & sententie causas ostendam, τὰ μὲν πείθωμ, τὰ δὲ πειθόμενος, ut decet in colloquio piorum. Vincant autem semper ueritas, gloria Dei, & salus Ecclesiae, non priuati affectus ulli.

Hanc Epistolam dedi Eusebio Menio, filio Iusti Menij, qui Ecclesias in ditione Ductis Saxoniæ Iohannis Friderici diu piè rexit, & adhuc regit, & præclarè doctus est in cœlesti doctrina & Philosophia, & multa scripsit utilia Ecclesiae, cumq; uiciniam habebat, in qua multi idola Papæ defendebant, & uenena Anabaptistarum spargebant, piè, & diligenter lupos repressit. Filius ut oris, ita animi paterni effigies est, & eruditonem ad bonos mores adiunxit, patremq; hac parte superat, q; Mathematica studiose didicit,  
que

que in Academia frequenti magna cum laude docere potest. Et habebat locum honestum in his regionibus, sed tam tristi tempore spectator esse calamitatum patriæ noluit. Ut autem Gotthicis temporibus Ecclesiæ, & doctrinarum reliquæ in insula uestra seruatae sunt, ita nunc quoq; tumultuante Europa optandum est, ut aliqua maneat tranquilla hospitia literarum. Et Britannia uestræ tranquillitatem opto. Hunc autem Eusebium tibi reuerenter commendando, teq; oro, ut cum complectaris. Poterit in Academia Mathemata alijs tradere, & spero Ecclesiæ usui, atq; ornamento futurum esse ubicunq; erit. Non dubito multos istuc accedere, sed tamen bonitatis & pietatis est tua, ut tales adolescentes præstantium virorum, & bene meritorum de Ecclesia filios, ingenijs et eruditione excellentes adiuues. Bene & feliciter uale. Calendis Maij, 1548.

AN

AN PATER PIVS ET  
VERE AMPLEXVS EVANGE-  
lium poſſit petere reditus ex Sacerdotio colle-  
gij Canonicorum, pro studijs filij, Et  
an fruens talibus reditibus  
peccet.

PRimum si filius obligatur, ut pro ipso aliis  
celebret uſitatas ipsis Missas, aut additur  
alia impia obligatio, manifestum est, nequaquam  
tales obligationes recipiendas esse, & fugienda  
collegia & reditus, si requirant ullam impian-  
t obligationem, iuxta regulam, Fugite idola. Se-  
cundo, si nulla addatur impia obligatio, petere  
eos reditus, & frui illis reditibus, resticita &  
concessa est. Imò hæc ipsa bona sunt initio à  
Regibus ad hunc principalem uſum ordinata,  
ut fint docentium & discentium stipendia seu  
alimēta. Hoc certissimū est. Nec ideo reditus ipſi,  
frumenta, pecunie sunt res malæ, quia antea te-  
nuerunt impij, Sicut uasa Ægyptiorum non  
erant res malæ, etiamsi Ægyptij fuerant impij.  
Ac piè Israëlitis licuit uti illis uasis. Ita uniuersa  
rerum natura condita est ad uſus piorum &  
propter eos. Quanquam igitur ſæpè impij plu-  
rimis rebus magis fruuntur, tamen ubi concedi-  
tur, licet pijs frui eisdem rebus. Sicut uidemus  
emtio-

emtionibus, iurisdictionibus, donationibus, locationibus & alijs contractibus res ipsas & eorum usum transferri. Vehitur Paulus in manibus impiorum. David prædam ingentem captam ex Syria iubet ad ædificationem templi comparci &c. Nota est Regula. Omnis creatura Dei bona est, & cum gratiarum actione sumenda. Item, sanctificatur cibus per uerbum et per preæcationem, id est, usus fit sanctus amplectenti Euangeliū, & utenti sicut Deus ordinavit, non furanti, non rapienti, sed habenti legitimo modo, & ad finem bonum, & Deum inuocanti &c. Item sicut licet uti alijs politicis ordinationibus, ita licet uti hac constitutione stipendiorum ad bonos usus, etiam si alij Canonic abutuntur suo ad Missas & alia Idolatrica

&amp;c.

Ex autographo Philippi,

I S S.

# INDEX.

## A.

Adamo Carolo.	
Priusquam iter ingrederer.	173
Andreeæ Francisco Camiciano.	176
Meministi quæ fuerit.	
Andree Osiandro.	
Ex literis Viti.	317
Andree Musculo.	
Cum ante duos menses.	522
Arnoldo Burenio.	
Valde consternatus sum.	340
Ad lectorem de Colloquio VVor=maciensi.	
Reuocat mihi colloquij.	106
Ad amicum initio belli Ger=manici.	
Euntes ibant & flebant.	435
Ad lectorem de Flacio.	
Vt præcipua cura.	452
Ad amicum hærentem in disputatione de controuersia Osiandri.	
Tuam Epistolam longiusculam.	479
Augustensi Episcopo.	
Multò antè intellexi.	516
Cassaro	

INDEX.

C.

Casparo Crucigero.

<i>Et dilexi filiam.</i>	322
<i>In Tragœdia Aeschyli.</i>	438
<i>Cum in schola sine.</i>	439
<i>Quicquid erit superanda.</i>	440
<i>Vtinam, ut anni.</i>	441
<i>Non posse harum Ecclesiærum</i>	552
Commendatio Musices.	
<i>Totum opificium hominis.</i>	262
<i>Comiti Iohanni à VVeda.</i>	
<i>Magnam cepi uoluptatem.</i>	342
Casparo Aquilæ.	
<i>Cum spes ostensa esset.</i>	449

D.

Ducibus Luneburgensibus.

<i>Pulcerrima res est.</i>	171
Duci Megapolensi Magno.	
<i>Et ex literis tuis.</i>	169
<i>Duci Prusia, Gratulatoria de</i>	
<i>coniugio.</i>	
<i>Illustriss: &amp; clementiss:</i>	323
De legendis Tragoedijs.	
<i>Sæpè de hominum.</i>	244
O o	De dissi-

F N D E X.

De dissidijs præsentibus.	
In tanta confusione.	253
De coniugio Gratulatoria.	
Vt cæterarum omnium.	329
De Pontificum consilijs.	
Non dubium est filium.	116
De Ratisbonensibus actionibus.	
Etsi non prorsus noui.	123
De Synodis.	
Etsi multi disputant.	137
De seipso.	
Excusatione stulticie.	141
De editione Locorum Theolo=	
gicorum.	
Cum in docendo.	154
De puellis dæmoniacis.	
Etsi sunt interdum.	386
De Pomeranica controuersia.	
Reuerende uir ♂ amice.	389
De eleuatione.	
Venerande uir, ♂ amice.	416
De controuersia Matthiae Lau=	
terwaldt.	
Ita iudicamus de controuersia.	424

E.

Erasmo Roterodamo.

Nunc

I N D E X.

- Nunquam eram crediturus. 36  
Cum nactus essem certum. 37  
Ecclesiæ Dei in urbe Francofurto  
ad ripam Meni.  
In tanta Ecclesiarum. 472  
Epistola Marchionis Brandenburgensis  
Electoris ad Sigismundum  
Regem Poloniæ.  
Serenissime atq; Inlyte Rex. 497

F.

- Franciscus Rex Galliæ Philippo  
Melanth. 94  
Singulare tuum ad sedandas.  
Francisco Regi Galliæ.  
Christianissime & potentissime 95  
Francisco Burchardo.  
Iucundissima mihi fuit. 181  
Gratum mihi fuit quod uir. 445

G.

Georgio Principi Anhaltino.

- Etsi deerat mihi. 272  
In aditu Bauariæ. 274  
Doctrinæ studia. 276  
Scio C.T. sæpe. 277  
Oo z Si ge=

INDEX.

<i>Si genus humanum.</i>	279
<i>Ex multorum literis.</i>	281
<i>Cum hic nunciata est.</i>	284
<i>Nondum absolui</i>	287
<i>Cum post redditum.</i>	289
<i>Multa accidunt.</i>	290
<i>Extat apud Platonem.</i>	371
<i>Cum Filius Dei.</i>	372
<i>Memini virum excellentem.</i>	374
<i>Quod hactenus</i>	375
<i>Nec obliuione accidit.</i>	376
<i>Vetus praeceptum est.</i>	378
<i>Vt initium Ecclesiæ.</i>	378
<i>Non dubito quin ut.</i>	380
<i>Quòd Cels; T. clementer.</i>	381
<i>Georgio Sabino.</i>	
<i>Magnam uim esse.</i>	319
<i>Georgio Spalatino.</i>	
<i>Quòd inspiciendum mihi.</i>	429
<i>De libris scribam cum à.</i>	430
<i>Multa Dircaeum leuat.</i>	432
<i>Magnum à te munus.</i>	433

H.

*Henrico Octauo Angliae  
regi.*

*Serenissime rex &c.*

69  
*Inclite*

INDEX.

Inclyte & clementiss.	73
Inclyte & serenissime.	75
Henrico II. Franciae regi.	
Inclyte, potentiss: Christian.	303
Historia colloquij VVorma- ciensis.	
Anno 1557. mense Augusto.	481

I.

Imperatori Carolo.	
Inuictiss. Imperator.	50
Inuictiss. Imperator Auguste.	66
Ioachimo II. Marchioni.	
Et Reipub. gratulor.	165
Iohanni Oberburger.	
Cum conuentus Imperij.	207
Et si exempla moderationis.	442
Iohanni Pfeffingero.	
Ideos Deus humano.	308
Iohanni Reineck.	
Cum te propter eximiam.	312
Iohanni Aepino.	
Reuerende uir CT.	315
Iohanni Silberbornero.	
Literas tuas in quibus.	365
O o 3      Iohanni	

I N D E X.

Johanni Bellaio Cardinali.	
Sæpè te intuentem.	392
Et memini uire.	384
D. Iacobo Rungio.	
Heri huc allatæ sunt Frederi.	393
Institutio Iohannis Friderici Ducis Stetini.	
Aßiduè repetenda est.	398
Iohanni Pfefferkorn.	
In omnibus humanis.	419
Iohanni Bugenhagio Posmerano.	
Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi oro.	553
Iusto Ionæ filio.	
Magna similitudo est.	504

L.

Legato Pontificio.	
Instat dies in quo celebratur.	44
Leonhardo Eccio.	
Etsi non dubitabam.	294
Leonhardo Beier & Christophoro Eringio.	
Magna levatio est animorum.	519
Lotharingia Duci.	
Illusterrime Princeps.	548
D. Mar-	

INDEX.

M.

D. Martino Luthero.

Noribergæ non plus.	1
Iam conduxeramus.	2
Cum hodie ad te.	5
Pridie corporis Christi.	7
Ante biduum deditus.	9
Quanquam heri misimus.	9
Scripsi tibi subinde.	11
Habemus tibi maximas.	12
Nondum exhibita est.	14
Hodie putauerunt.	15
Rariores habemus.	16
Postquam non destitit.	18
Mittitur tibi Apologia.	19
Versamur hic in.	21
Heri finiuimus.	22
Per Cyriacum plura.	24
Tuum iudicium	26
Neq; de priuatis rebus.	27
Scio tibi diuturnum.	28
Ante triduum finitum.	29
Heri uestperi Principes.	30
Toto pectore ago.	31
Scripscrat Lundensis.	33
Initio conuentus.	55
Præter meum morem.	266
	Pax

I N D E X.

Pax optima rerum.	268
Postquam ueni Bonnam.	270
Deus Pater liberatoris.	291
Martino Sidemanno.	
Et consilium, & uoluntatem tuam.	405
Magnum omnino decus est.	408

N.

Nicolao Perotto Gran-	
ucciano.	
Illustriſ. & ampliſ. Domine.	39

P.

Principi Palatina.	
Fortiſis hoc genus.	167
Picus Hermolao.	
Ego quidem mi Hermolae.	201
Phil. Mel. pro Hermolao.	
Cum uiderem te.	216
D. Paulo Rhodio & collegis.	
Reuerendi uiri, & cariſimi.	391
Pastoribus in finibus Bohemie &	
Lusatiae.	
Vtrumq; prædixit uox diuina.	412
Pastoribus Ecclesiæ Hamburgensis.	
Reuerendi uiri, & amici.	462.
Pasto-	

*I N D E X.*

*Pastoribus Ecclesiæ in  
Marchia.*

<i>Venerandi uiri, sicut</i>	<i>468</i>
<i>Pastoribus in Comitatu Mansa- feldensi.</i>	
<i>Orat Filius Dei in agone.</i>	<i>470</i>
<i>Philippo Gluenfpies.</i>	
<i>Tanta fuit uirtus.</i>	<i>495</i>
<i>Petro Perenio Vngaro.</i>	
<i>Illustris &amp; magnifice Domine.</i>	<i>514</i>

*Q.*

*Quæstio de petitione redditum Ca-  
nonicorum.*

<i>Primum si filius obligatur.</i>	<i>558</i>
------------------------------------	------------

*R.*

*Responsum Iohannis Friderici Ducis  
Saxonæ Electoris, & Land-  
grauij Hassiae &c.*

<i>Existimamus Illustrem Dominum Granuelum.</i>	<i>526</i>
---	------------

*S.*

*Senatui Veneto.*

<i>Cum anno superiore.</i>	<i>97</i>
○○	5

*Sebastia-*

I N D E X.

Sebastiano ab Alba Spina.	
Ne fieri quidem potest.	385
Senatui urbis Eperiensis.	
Honestissimi uiri.	422
Senatui urbis Hamburgensis.	
Etsi multæ aliæ ærumnæ.	492

T.

Tarnouio Polono.	
Non dubito te uirum.	299
Sigismundus Pannonus.	302
Thomæ Matthiae.	
Deus eternus Rater.	327
Thomæ Episcopo Cantuariensi.	
Reuerende Domine, literis quas.	555

V.


Venceslao Linco.	
Vtinam similis esset.	386


F I N I S.

## ERRATA.

Folio 14. uersu 3. eam de Cæsaris  
confilio. 28. 21. ut. 32. 8. seque id debere.  
36. 8. πολιτεῶμ. 68. 1. pertexuisse. 68. 4. qua=  
rundam. 75. 19. istic. 84. 25. quo. 89. 12.  
ipſi. 117. 10. exorti. 120. 8. uno ore. 128. 4.  
condemnassemus. 136. 9. hec. 148. 16. dimidi=  
um. 163. 1. delineanda. 177. 2. oriretur. 177.  
23. uellent. 183. 18. σύγχυσις. 183. 24. δοκι=  
μίας. 191. 6. Simonium. 203. 12. cincimnos.  
204. 5. Erit'ne. 204. 9. parum fidentes. 210.  
8. aculeata. 224. 22. δύσκωφθ. 243. 21. ui=  
tuperasset. 273. 20. ignota est. 307. 8. uestra.  
312. 17. dolorem. 321. 16. nuncio. 346. 25. ob=  
iectis. 379. 7. ira. 406. 22. Magnæ. 449. 20.  
uidebant, uel, uidebatur. 500. 13. nullam.  
502. 19. possunt. 506. 21. imperiorum.







# THE EPISTLE

TO THE ROMANS  
APOSTOL PAUL,  
A SERVANT OF JESUS CHRIST,  
APPOINTED TO THE GOSPEL OF GOD,  
TO THE JEWS A PROPHET,  
TO THE GENTILES A TEACHER,  
HAVING RECEIVED OF GOD,  
A MANDATE TO PREDICATE  
THE GOSPEL OF GOD'S GRACE  
TO THEM WHICH ARE FAR OFF,  
AND THEM WHICH ARE NEAR;  
TO PREPARE THEM FOR THE RECEIPT  
OF THE GOSPEL OF GOD,  
WHICH IS IN YOU;  
FOR I SAY UNTO YOU,  
THAT SINCE THE FATHER HAS SET ME  
APART AS A PROPHET TO YOU,  
I HAVE NOT HAD A MIND  
TO PREDICATE TO THEM WHICH ARE NEAR,  
WHICH ARE ALREADY  
FILLED WITH KNOWLEDGE,  
BUT TO THEM WHICH ARE FAR OFF,  
WHICH HAVE NOT RECEIVED  
THE WORD OF GOD;  
FOR AS THEY HAVE NOT RECEIVED  
THE WORD OF GOD,  
SO THEY SHALL NOT HEAR  
ME;  
FOR THEIR HEARTS ARE  
DESTITUTE OF UNDERSTANDING,  
AND THEY ARE DARKENED  
IN THEIR UNDERSTANDING,  
BEING BY NATURE  
PROFOUNDLY  
EVIL,  
AND IMPOSSIBLE  
TO BE REACHED  
BY THE WORD OF GOD;  
FOR THEY COULD  
NOT BE REACHED  
BY THE WORD OF GOD,  
IF THEY WERE  
NOT PROFOUNDLY  
EVIL,  
AND IMPOSSIBLE  
TO BE REACHED  
BY THE WORD OF GOD;

A SERVANT OF GOD, PAUL.

